


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


ESEARCH LIBRARIES
07077861 2






Z









Wettssen

IO. LAVRENTII A MOSHEI[I]

INCLVTI GEORGIAE AVGVSTAE, DVM IN VIVIS ES[SET]

CANCELLARII

DE

BEGHARDIS

ET

BEGVINABV[S]

COMMENTARIVS

FRAGMENTVM EX IPSO MS. AVCTOR[IS]
CELEBERRIMI LIBRO EDIDIT, DVPLI[CI]
APPENDICE, COMPLVRIVM DIPLOMATV[M]
VARIETATE LECTIONIS, NOTIS ALI[IS]
ET INDICE NECESSARIO
LOCVPLETAVIT

GEORGIVS HENRICVS MARTINI, A.

SCHOLAE AD D. NICOL. RECTOR


LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

MDCCLXXXX.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
1897.



PRAEFATIO.

LECTORIBVS

S. ET O. P

Tandem aliquando accidit, vt in lucem ex eat Auctoris, triginta iam annos, am plius, demortui, nimirum τȣ̃ πάνυ IO. LAV RENTII MOSHEMI *liber de Beghardis et Begui nabus*, quem *copiosum et longum incboasse, e totum fere absoluisse*, commemorauit Ipse, te stis grauissimus et fide dignissimus, *Institutt. Hist Eccles. antiquae et recentioris Saec.* XIII. Part. I c. 2. p. 531. not. *a*. Quod vti haud dubie prae ter omnium spem atque exspectationem euenit ita fore reor plerosque, qui, eum conspicati haec duo potissimum scire aueant: alterum cur fragmentum isthoc, si luce publica dignum putabatur, tamdiu in scriniis latuerit? sin e indignum, nihilo secius promulgetur? alte rum, cur mea, tanquam obstetricis, manu cum que tandem diuulgetur? vtpote quem conste nec Viri Summi institutione et consuetudin vsum esse, ita, vt morti proximus scidas su

mihi tradere, et quasi commendare potuerit, nec libris, adhuc a me scriptis, documentum dedisse certum, quod me in hoc litterarum genere, ad quod Moshemianus liber pertinet, non nihil versatum exercitatumque demonstret, adeoque lectores adducat, vt me hoc in negotio adgrediendo exsequendoque recte et ordine versari potuisse credant. Quae si qui, quod suspicor, nosse velint, hi erunt fere, qui tum me measque rationes non satis norunt, tum ignorant, incredibili Dei o. m. prouidentia haud raro res confici nec opinatas, et saepenumero per se vix probabiles. Horum ex animis vt scrupulum euellam omnem, in praefatione, quam molior, hoc faciendum censeo, vt primo loco doceam, a quo libri, de quo quaeritur, fragmentum diuulgandum acceperim; tum, vt quam fieri potest modeste significem, me, rerum in ciuitate Christiana gestarum non prorsus rudem et ignarum, libri edendi curam suscepisse: porro, vt paucis explicem, quid in administranda hac quasi prouincia fecerim: caussam denique exponam, cur duplicem libro Moshemiano appendicem subiunxerim. Quae nec arroganter et breuiter exposita, reor, efficient, vt viro cuique prudenti, et iusto rerum existimatori videar non inconsultus, nec temerarius operam qualemcunque meam ei promulgando dicasse.

Ac primum quidem omnium (rem ordine narrare placet) mihi, ab A. O. R. MDCCLXIII.

Gymna-

Gymnasium Ratisbonense, *Poeticum* vocant, gubernare iusso, in beneficiis emolumentisque reliquis, quibus me cumularunt viri ciuitatis Reginensis primi ac principes, et quorum gratus meminisse soleo, praeter spem meam contigit, vt Moshemii τȣ̃ ἐν μακαρίταις filius, patre tanto dignissimus, qui tum in oratoris, a Serenissimo Potentissimoque Magnae Britanniae rege, eodemque Electore Brunsuico-Luneburg. ad S. R. I. comitia missi, comitatu erat, litterisque secretioribus conficiundis operam dabat, ex variis laboribus meis, in primisque ex *Iacobo Alberto Schmidio*, viro iuris scientia eximio, cuius ingenio longe suauissimo, amicitiaque integerrima vel absens delector, quemque, donec in viuis ero, amore sane quam maximo complectar, quis ego? et qualis essem? intelligeret. A quo, quum non pauci viri eruditi, eidemque prudentes nominis Moshemiani aestimatores, intellecto, Ipsum Patris optimi librum MSC. eo secum attulisse, identidem postularent, quin flagitarent, vt illum orbi litterario diutius ne inuideret: crebris horum cohortationibus permotus chartas, de quibus tantopere appellabatur, Viro cuidam Clarissimo et Doctiss. qui τὸν πάνυ Moshemium audierat, tradidit, vt ipsas in lucem, si hac iudicaret dignas, quamprimum exire iuberet. Verum hic lustro plus cunctatus, promisso minus satisfecit; credo, quod eius rationes, vel impedimenta alia, haud permittebant, vt exsolueret, quod promiserat. Vnde Moshemius, filius, hac via et ratio-

ne, quod cupierat, non aſſequutus, ſuaque ſpe deceptus, tandem per epiſtolam, datam Stutgardiae, vbi inter Sereniſſimi Ducis Wirtemberg. Comites Conſiſtorianos cooptatus, ante triennium fere in viuis eſſe deſiit, communi, quem dixi, amico praecepit, vt ad Virum iſthunc eruditum adiret, et chartas, de quibus quaeritur, repoſceret, mihique eadem quaſi lege traderet. Quod Ipſius mandatum ſumma, qua omnia ſolet, fide exſequutus eſt Schmidius noſter.

Scidas Moshemianas hac via et ratione acceptas, vt primum per negotia magis neceſſaria licuit, totas perlegi; idque tanto maiori alacritate et oblectamento, quanto propius me reuocare videbantur ad ſtudia, propter muneris mei officia et rationes intermiſſa: quippe quibus nunquam non praecipue delectatus, non parum operae ſtudiique in eis diſcendis poſueram, idque iam olim documento aliquo publico, quantum per aetatis ac rei familiaris peranguſtae rationes licebat, demonſtraueram. Accedebat, quod in eis certiſſima Moshemiani ingenii, diligentiae ſcientiaeque hiſtoricae latiſſime patentis veſtigia non animaduertere non poſſem. Vnde id vnum deplorabam, Virum Summum, ab exquiſita hiſtoriae mediae ſcientia, libris praeſtantiſſimis et maxime neceſſariis, quin rarioribus Codd. MSCC. inſtructum, telam perite et ſcienter inchoatam, pertexere non potuiſſe. Cepi igitur, ab eo ſtatim tempore, librum rerum non vulgarium, ſed exqui-

quisitarum copia refertum, in lucem emittendi consilium, ita tamen, vt symbolam qualemcunque meam adiiciendam, et locum, de quo disputatur, vtcunque possem, exsequendum censerem. Verum breui post, tot et tanta impedimenta, alia ex aliis profecta, fecerunt, vt voluntati studioque meo non illico obtemperare possem. Interim Moshemianus labor animo meo nunquam non obuersatus est, de eoque augendo et diuulgando cogitaui: quin hanc ob caussam diversis in scriptis, quibus de libris recens editis, aliisque ad rem litterariam pertinentibus solet differi, consilium meum patefeci, ea mente, vt, qui possent, libros rariores, Codd. MSCC. in primis eos, quibus vsus erat Auctor immortalis *), vna cum quadam Ioannis XXII. P. M. bulla, ab eo iam desiderata, mecum communicare ne grauarentur. At enim vero mihi non contigit, vt aut hanc, aut eos in patria nostra reperirem. Vnde ego Bullam, quam dixi, Romae in tabulariis, quibus litterae Pontificiae adseruantur, haud dubie exstare ratus, Virum Clariss. et longe Celeberr. Iacobum Morellium, bibliothecae Venetae ad D. Marci praefectum, fautorem et amicum mei amantissimum, rogaui, vt eam, in libris editis frustra requisitam, interuentu amici cuiusdam sui, iam et mei, Celeberrimi atque Eruditissimi Caietani Marini, tabulariis, quae

 paullo

*) Codd. MSS. quos? et vnde? habuerit, Moshemius immortalis nuspiam indicavit, nec mihi rem explorare licuit.

paullo ante dixi, praefecti, et viri antiquitatum aliarumque rerum intelligentissimi, siquo modo fieri posset, descriptam acciperem. Accepi etiam (gratus agnosco, et, vt par est, praedico vtriusque viri amicissimi animum liberalem, et incredibile artes iuuandi prouehendique studium), non eam quidem, quam poscebam (Romae enim non minus, quam a me, requiritur), sed complures alias, partim necdum editas, et ad hunc locum pertinentes: quarum plerasque in posteriori appendice cum viris eruditis communicatas volui. Accepi praeterea ex copiosa Academiae Helmstadiensis bibliotheca, interuentu quidem Magnifici et Summe Venerabilis, HENR. PHIL. CONR. HENKII Abbatis, S. Theolog. D. et P. P. viri longe Celeberr. et fautoris summopere colendi, Cod. MS. sed a Moshemianis discrepantem, quo, praeter Eymerici Directorium Inquisitionis, complures chartae vetustae continentur, quae historiae, de qua quaeritur, lucem affundunt non mediocrem. Accepi denique mutuos, vel aere meo comparaui libros alios, quos aut immortalis Auctor ipse laudarat, aut ego nonnihil, quod ad Beghardorum historiam pertineret, continere sciebam.

Ab his velut praesidiis instructus, rem ipsam adgressus sum, et pleraque loca, in libro MSC. notata, euolui, documenta ἀνέκδοτα cum exemplaribus meis comparaui, et lectionis varietatem enotaui; vnam alteramue allucinationem, qua

qua decebat modeſtia, emendaui; quae denique quaſi ad exitum fabulae deerant, breuiter ſtrictimque expoſui, et in appendicem priorem reiicienda cenſui, vt ſymbola qualiscunque mea facilius a Moshemianis ſecerni queat, nec Viro immortali, quos ego admiſi, vitio dentur errores. Quae omnia Perilluſtris ac Summe Venerabilis CRAMERVS, quando communem patriam, et Lipſiam potiſſimum, poſtremo inuiſebat, quum ex me audiiſſet, ac librum deſcriptum vidiſſet, Vir Summus me magnopere cohortatus eſt, vt eum quam primum ederem, et ipſe ad conficiendum librum, quem in manibus habebat, neceſſaria inde depromere poſſet. Verum non erat in fatis, vt ipſi librum Moshemianum verſare liceret.

Ex quibus, quae adhuc memoraui, non poteſt non intelligi ac confici, me in labore hoc recognoſcendo atque vulgando, hoc vnum ſequutum eſſe, vt illum prorſus illibatum intactumque ſinerem, adeoque Lectores O. et B. non qualemcunque meam, ſed Viri immortalis ſuper hoc loco ſententiam peruidere poſſent *). Verum praeter id, quod rei quaſi arcem conſtituit, complura

*) Vnde ipſum Moshemi immortalis αὐτόγραφον, bene, vt decebat, ligatum in perquam locuplete Ciuitatis Lipſicae bibliotheca Senatoria depoſitum volui, vt ſiqua ſuper re naſcatur dubium, editionis meae lectio cum ipſo codice comparari, factaque contentione, de fide mea hoc in negotio adhibita, et rectius et verius iudicari poſſit.

plura alia in commentario tanguntur, quae ad Inquisitionis, quam vocant, in Germania stabiliendae origines, progressus et historiam pertinent. Qui locus haud dubie dignus videtur, quem vir quispiam eruditus, et in Saec. XII. et consequentium historia nauiter versatus, accuratius indagare ac persequi possit.

De caussa, qua permotus libro duplicem subiunxerim appendicem, pluribus disputare non attinet: quippe quam in eis, quae supra dicta sunt, breuiter iam indicaui. Priori opus esse credebam, vt telam inceptam quodammodo pertexerem, nec rerum, ad Beghardos Beguinasque pertinentium, exitum silentio praetermitterem. Quas me non copiose, sed breuiter strictimque narrasse, pigebit, reor, neminem. Posteriorem necessario requirere videbatur rerum a me expositarum ratio. Eas tamdiu ante memoriam nostram gestas, ecquis credat reuera accidisse, nisi, quae dicta sunt, ex documentis certis et fid prorsus dignis effici cogique videat? Igitur eiu modi argumenta, in vnum quasi locum coac exstare oportuit, ne cui quidquam temere, i considerate, quin falso affirmasse videar.

Indicem denique huic libro subieci, tu facilius quaeri et reperiri possint tot et ta riae res, huc, illuc, dispersae; tum vt hic reliquis libris Moshemianis, si non prorsus, quodammodo conueniat, neque ab his

quod aiunt, coelo diſtet. Ceterum vel in hoc conficiendo iuſto copioſior eſſe nolui.

Atque haec habui, quae de libro Moshemiano, cura ſtudioque meo tandem demum diuulgato, commemorarem. Longe alia non ſolum, ſed exquiſitiora etiam, ſcripſerit Auctor immortalis, ſi ei contigiſſet, vt librum ante in lucem exire iuberet, quam e vita diſcederet. Verum quum hoc munere defungi Ipſe non poſſet; ego autem, quae dicturus fuiſſet, neque ſciebam, neque adeo dicendo perſequi poſſem, ac praeterea praefationem omnem, iuſto longiorem, non nihil nauſeae creare non ignorarem: ſatis multa in eis, quae ſupra dicta ſunt, de fragmento Moshemiano diſputaſſe mihi videor. Ceterum nihil vehementius opto, niſi hoc, vt lector quisque ex eo verius ac plenius peruideat, quid de iſto, vtriusque ſexus, hominum genere tenendum ſit atque ſtatuendum, et quanto opere cauendum, ne eos vno eodemque calculo vel laudandos, vel vituperandos cenſeat. Quo facto, operam qualemcunque meam quaſi obſtetriciam non male me conſumſiſſe exiſtimabo. Denique ſi quis ſit, qui huic libro Moshemiano ſtudium, reliquis Viri Summi libris praeſtitum, dicare velit, eumque ex latino in germanicum conuertere, fructuoſum fore credat: ei auctor ſuaſorque ſim, velit videre, vt ex bibliothecis, quae Baſileae exſtant, et in quibus libros non paucos, manu tantum exaratos, ſed ad *Beguinarum* rationes, opinio-

opiniones, litesque explicandas maxime necessarios, adseruari memorat Vir Eruditiss. ac Celeberr. Io. Conradus Fuesslinus *), praesidia sibi comparare, ex eisque locum, de quo quaeritur, plenius enarrare queat. Quod qui fecerit, is sese cum de libro Moshemiano, tum de vniuersa historia ecclesiastica, quam optime promeriturum sciat. Vale. Scrib. Lipsiae Ipsis Cal. Maiis A. C. N. MDCCLXXXX.

*) Neue und unpartheyische Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern Zeit. Zweit. Th. 4. Abschn. 2. Kap. S. 42. Anmerk. 51.

Difficile



Difficile negotium aggredior, et dissensionibus longe maximis implicatum, de *Beguinis*, *Beghardis*, *Lolhardis* acturus, et quaenam hominum genera his vocabulis proprie designentur, demonstraturus: neque ducem inuestigare mihi licuit, cui me fidenter committere possem. Frequentissima quidem *Beghardorum* et *Beguinarum* memoria in scriptoribus varii generis, inde a decimo tertio saeculo occurrit: Pontifices, Concilia, Imperatores seueras in eos leges tulerunt: magni passim et turbulenti valde motus eorum caussa coorti sunt, his homines infamiae nota inustos extinguere tentantibus, illis eosdem animose defendentibus. *Lolhardorum* ante decimum quartum saeculum, nullum fere vestigium inueneris: hoc vero et sequenti saeculo plurima: quorum alia laudi sunt illis, alia dedecori. Quis credat facile, sectas toties et damnatas, et laudatas, alias expulsas, alias inuitatas, hic accusatas, illic excusatas, adhuc oculis tot sagacium virorum, a quibus res inter Christianos gestae sunt explicatae, eo vsque sese subducere potuisse, vt magna sui parte in tenebris iaceant? Neque tamen hoc certius fieri aliquid potest. Quod qui suo studio et experiendo cognoscere malunt, quam mihi assentiri, eos ego euoluere et inspicere iubeo vniuersos, qui per bina saecula, aut dedita opera in Annalibus et Institutionibus Historiae Christianae *Beghardos*, *Beguinos*, *Lolhardos*

A tracta-


tractarunt, aut, occasione tantum data, in aliis scriptis attigerunt. Quorum omnium dicta qui vel inter se, vel cum antiquiorum scriptorum testimoniis contulerit, is confusa quadam mole discrepantium sententiarum et narrationum sese opprimi sentiet, quam ne ingeniosissimus quidem ad vnam quamdam et immobilem normam revocauerit. Id quum mihi quoque vsu veniret, periculum non semel facienti, num arte quadam et diuinatione fugientes quasi *Beghardos*, *Beguinas*, *Beguttas*, *Lolhardos* sistere, et quae de illis tot libris memoriae prodita sunt, digerere, et certae cuidam rationi subiicere possem: in eam postremo cogitationem veni, nihil me acturum esse, dum actum esse ab aliis aliquid putarem, et nouam plane telam mihi exordiendam, et ex ipsis maiorum monumentis adhibita summa diligentia texendam esse: quod iudicium multo magis placere mihi coepit, postquam chartas quasdam, Pontificumque, Imperatorum, antistitum litteras nondum editas, fauente fortuna, nactus sum, ex quibus huius negotii nonnulla intelliguntur adhuc ignota, alia parum antea cognita illustrantur. Itaque horis, quibus animum a curis gravioribus auocare licet, manum operi admoui, et redactis sub certa capita, quae assidua et diuturna obseruatione didiceram, libellum ex illis construxi, quem fortassis nec iniucundum, nec inutilem prorsus censebunt, ad quos de huiusmodi rebus iudicandi potestas pertinet. Ego quidem, nec pauci mecum alii, iucundum esse putamus, mores, instituta, opiniones praeteritae aetatis contemplari, ortum, progressum et occasum societatum et factionum perspicere, quae vtramque rem publicam olim conturbarunt, obsoletorum vocabulorum vim et rationes videre; vtilissimum vero cum ad multa alia, tum ad animum roborandum, et prudentia instruendum, caussas et initia nosse rerum, quarum nobis reliquiae ante oculos versantur, ignorantiae et superstitionis vim et effectum tamquam in speculo cernere, immen-

sam

ſam humanae prauitatis potentiam ad rectae rationis et communis ſenſus lucem obſcurandam luculentis exemplis cognitam habere, ad extremum diſcere, quae nobis portenta videntur inſolita et inaudita, eadem multis ante nos ſaeculis iam contigiſſe, vitamque hominum fabulae ſimilem eſſe, cuius perſonae ſaepiſſime, non item actus, mutantur. Omitto, quae ſacram aeque, ac ciuilem Hiſtoriam perficiunt, caliginisque plurimas vtriusque partes obſidentis nonnihil tollunt, neque fructu, neque delectatione omnino carere poſſe. Abſolutum opus me dare, et omnibus erroribus vacuum, nec ipſe credo, nec, vt alii credant, poſtulo: in eiusmodi enim argumentis, quale hoc eſt, diffuſis, contentioſis, per ſcriptores plurimos, eosdemque barbaros, negligentes, poſteritatis immemores, ſparſis, ex toto denique nondum patefactis, tam frequens et facilis eſt vel labendi, vel praetermittendi aliquid, occaſio, vt qui eam effugerit, homine maiorem, et cautiorem eſſe oporteat. Hoc vero confidenter et ſine arrogantia adſeuerari a me poſſe opinor, non ea me repetiiſſe tantum, quae ante me ab aliis dudum propoſita ſunt, ſed obſeruaſſe haud pauca, aut praeterita prorſus, aut minus luculenter percepta, atque rem vagam quondam et diſſolutam ſub certa coegiſſe capita, vt facile iam perpurgari, limari, et ad perfectionis, qualem quidem ratio eius admittit, gradum efferri poſſit. Quod ſi non temere prorſus me opinari viri eruditi exiſtimauerint, ſatis magnum operae fructum me cepiſſe putabo. Ceterum in eruendo et confirmando vero plus poſui diligentiae, quam in proferendis et corrigendis aliorum a vero declinationibus: quarum alioquin non mediocrem copiam ex inclyti nominis ſcriptoribus exhibere potuiſſem: in quo et magnorum virorum exiſtimationi conſului, et lectorum commoditati, et tempori etiam meo. Multi multa de *Beghardis, Beghinis, Lolhardis*, alii copioſe, alii breuius, diſputarunt. IO. WOLFIVS in *lectionibus memorabilibus*, RVDOL-

PHVS HOSPINIANVS opere *de Monachis*, ISAACVS BEAVSOBRE *Dissertatione de Adamitis*, CASIMIRVS OVDINVS de *scriptoribus Ecclesiasticis*, NATALIS ALEXANDER in *Historia Ecclesiastica*, et innumerabiles alii: nulli accurate, distincte et plene; aliqui etiam in primis confusse et imperite, vt, quos priore loco nominaui, OVDINVS, HOSPINIANVS, WOLFIVS, laboriosi quidem et eruditi homines, sed minus prouidi et in dispescendis sectis, sententiisque exercitati. Horum omnium peccata voluminis essent non modici materia. Quotus vero quisque id vel sine molestia legeret? vel fructuosum valde iudicaret? Satius nempe est, rectum iter aperire et designare, quam aliorum ab eo aberrationes multis verbis docere: quas quidem sine monitore et vident, et cauent, qui, qua via eundum sit, recte atque ordine instituti sunt.

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

DE POTESTATE ET ORIGINE VOCABVLORVM BEGVINA, BEGVINVS, BEGVTTA, BEGHARDVS.

§. I.

Antequam homines in lucem voco, quibus, diuersis temporibus, vocabula illa sunt imposita, quae capitis index exhibet, de ipsorum vocabulorum indole et rationibus quaedam praemittenda esse, video. De illis vero, quae disputari cum fructu quodam possunt, ad duo redeunt: ad vsum, et ad veram significationem; seu, quod idem est, originem. Quae duo valde saepenumero inter se distare, in vulgus notum est: ecquis enim multa nomina longe aliter vsurpari nescit, atque notio eorum et natiua vis suadere videtur? Si radices, vnde nostra prodierunt vocabula, apertae essent, de natalibus eorum primo agerem, hinc ad vsum et potestatem descenderem: qui ordo naturae conueniens esse videtur. At quum ortus eorum vehementer obscurus sit, nec nisi coniecturis indagari possit: liceat mihi, quibusnam hominibus propria fuerint, ostendere, priusquam viros doctos de vi et ratione eorumdem dimicantes inducam. Vt scribenda et pronuntianda sint, quaerant, quibus tempus frustra consumere placet: me certe non iuuat quaerere. Veteres chartae et codices, tam editi, quam inediti, mirifice discrepant. Habent alii *Baginus* et *Bagina*, alii *Beginus* et *Begina*, alii *Begainus*, alii *Beghinus*, alii *Bequinus*, alii *Begginus*, alii *Beoginus* et *Beogina*, alii *Begiana*, alii denique *Beniagina*. Maior etiam fere occurrit in exprimendo vocabulo *Begardus* varietas. Hic legas *Beggihardus*, illic *Bacquardus*, saepissime *Bogardus*. Sunt, qui habent *Banquardus*: sunt item, qui scribant *Beringardus*. Omitto le-

viores differentias. Apud CASIMIRVM OVDINVM est *) *Bollhardus.* In hoc suspicetur aliquis, aut memoriam, aut calamum errasse, quum antiquus scriptor haud indicetur, apud quem lectio tam longe ab vsitatiori recedens, extet. At qui cognouerit, eosdem, qui plerumque *Begardi* appellantur, a nonnullis etiam *Bograos* esse nominatos, quod magis etiam a vulgari pronuntiatione abit, is fieri potuisse non diffitebitur, vt aliqui vocabulum *Begardus,* contumeliae fortassis caussa, in *Bollhardus* conuerterent **). In *Articulis probationum contra fratrem Vbertinum de Casali productarum,* quos STEPH. BALVZIVS ***) vulgavit, haec scripta extant: *Et si ibidem dogmatisata non essent haeretica manifeste, sequeretur etiam, quod processus et sententiae prolatae per Inquisitores Ordinis Praedicatorum et Minorum contra Sarabaytas et* BOGRAOS, *pro eo quod asserebant pertinaciter dogmatisata in dicta Postilla de ecclesia, fore rectissima et catholica.* Agitur his in verbis de illis, qui ea, quae PETRVS de OLIVA de Ecclesia Romana in *Postilla* sua tradiderat, contra Iohannis XXII., Romani Pontificis, decreta constantissime defenderant, et eo nomine capitis ab Inquisitoribus damnati erant. Istud vero genus hominum *Beguinorum* et *Beghardorum* nominibus designatum esse, sciunt, qui Historiae Saeculi decimi quinti non prorsus ignari sunt. Ex quo constat, *Bograus* idem esse hic, quod *Beghardus.* Ex tot ista nomina efferendi modis quinam ceteris anteferri debeant, nullus, vt puto, dixerit, nisi cui stirpes patent, vnde profecta sunt: quae quum lateant, vt paullo ante monui, et deinceps pluribus testatum dabo, praestat, arbitror, hanc

*) Comment. de Scriptor. Eccles. Tom. III. p. 1326.

**) Editori verisimilius videtur, *Bollhardus* ex *Lollhardus,* siue per errorem, siue de industria, factum esse.

***) Miscellaneor. Lib. I. p. 295.

hanc totam disceptationem seponere, et communissimam enuntiandi consuetudinem sequi.

§. II.

Plurimi memoriae prodiderunt, *Beguina* mulierum, *Beghardus* virorum nomen esse *): quod si ita volunt intelligi, *Beguinarum* vocabulum saepius foeminis, quam viris tribui, parum aut nihil fere est, quod in eo desideres. Si vero arbitrantur, *Beguinorum* nomine viros numquam salutatos fuisse, aut si forte hoc aliquando factum sit, vitio factum esse hominum, sermonis leges ignorantium, sententiam mutent, necesse est. Haud pauci enim veterum loci, quorum multos in medium deinceps proferemus, testatissimum faciunt, *Beguinorum* appellationem vtrique sexui, ab ipsis sectae, cui ea proprie convenit, incunabulis communem fuisse, fratresque ipsos sese *Beginos*, sorores *Beginas* nominasse. Certius est, *Beghardorum* vocabulum in solis viris positum, nec ad mulieres vnquam translatum fuisse. Id vero ne fieret, mea quidem opinione, vis et significatio voculae HARD obstitit, quae vocabulum *Beghardus* terminat: eius enim notio, qualiscumque demum sit, veteri siue Francorum, siue Teutonum, siue Saxonum sermone, in foeminas haud cadebat. Habet vetus illa populorum Germanicorum lingua, cuius perpaucae tantum supersunt hodie reliquiae, pluscula nomina, in quibus syllaba *Hard* eodem modo cum alio nomine iungitur, quo in vocabulo *Beghard: Gotthard*, verbi caussa, *Weickhard*, *Reinhard*, *Bernhard*, *Einhard*, *Erhard*, *Lollhard*, *Solard*, *Papelhard*, *Neidhard*, et plura alia: quorum tamen nul-

*) CONRADVS de MONTE PVELLARVM *contra Begehardos et Beginas* in IAC. GRETSERI *Operibus iunctim editis*, Tom. XII. *Part. posterior*. p. 98. *Qui vulgariter Begehardi, quoad viros, et Beginae, quoad foeminas, nominantur.*

lum foeminini nominis formam olim induit: vnde satis, quod dixi, apparere iudico, ipsam voculae *Hard* significationem repugnare, ne nomina in eam desinentia, mulicbria fiant. Erant, quod suo loco patebit, etiam fratribus *Lollhardis* sorores, iisdem, quibus ipsi, legibus viuentes: hae sine dubio *Lollhardae* fuissent dictae, si postrema vocabuli *Lollhard* syllaba ad foeminas trahi potuisset: verum nemo istas mulieres sic appellare ausus est; vocantur semper aut Germanico nomine *Schwestriones*, aut *Cellitissae*, aut *Alexianae*, aut aliis nominibus. Et quid multa? Vocabulum *Begutta*, quo frequentissime in antiquis libris designantur mulieres eiusdem, cuius *Beghardi*, militiae et ordinis, luculenter ostendit, quemadmodum ex praescripto linguae inflecti et finiri nomen *Beghardus* debuerit, vt foeminis aptum fieret: neque hoc inuentum fuisset nomen, si per sermonis indolem *Beghards* dicere licuisset. Est, qui putet, vir eruditus *), viros etiam *Beguttos* fuisse appellatos, coniiciatque obscoenum hoc esse nomen, et hominibus minime malis ab aduersariis *ioci et contumeliae* caussa, propter nimiam cum mulieribus *Beguinis* consuetudinem, datum fuisse. Neutrum vt probem, adduci possum. In nullum enim locum, post tam diuturnam et attentam omnis generis scriptorum lectionem, incidi, qui ad mares etiam *Beguttorum* vocabulum pertinuisse doceat: plurimi vero in promtu sunt, ex quibus liquet, omnis infamiae olim expers *Beguttarum* fuisse cognomen, et ad foeminas, virginesque praeter ceteras religiosas designandas adhibitum. In *Processu B. Wernheri, martyris*, quem *Acta Sanctorum* exhibent **), haec habes: *Lisa Seckelers virgo LXXV. annorum dicit, se audiuisse*

*) GEORGIVS RIVIVS PVRITANVS, siue vero nomine, LAVTERBACHIVS in *Monastica Historia Occidentis*, c. CLXXI. p. 472.

**) Acta Sanctor. mensis Aprilis Tom. II. Process. c. III. §. 27. p. 722.

uisse a proprio patre — — — — quod Wernheri sanctitas primo per candelas — — fuerit prodita, maxime a TRIBVS VIRGINIBVS SEV BEGVTTIS *ante mane ecclesiam visitantibus.* LAVRENTIVS BYZINIVS in *Diario Belli Hussitici: Qua de re,* inquit *), *quaedam nostrae sorores Pragenses, quae* BEGVTTAE *sunt vocatae, nolebant a suis Sacerdotibus in apparatu officiantibus, communionis sacramentum sumere, nisi prius vestes, quas plastas nuncupabant, deponerent.* SIGISMVND. MEISTERLEIN pias, pauperesque virgines Norimbergenses hoc vocabulo insignit **): *Sub eodem Rege Adolpho* BEGVTTAE *quaedam extra ciuitatem habitantes, sub titulo poenitentium — — — paupertate coactae mutarunt domicilium, et auxilio dictorum Ebner se submiserunt tertiae regulae S. Clarae et fratribus Minoribus.* In *obscurorum virorum* Epistolis ***) M. WILLEBRORDVS NICETI *ordinis* amico suo, BARTHOLOMAEO COLPIO *tot et plures mittit salutes, quot in mari sunt guttae, et in Colonia sanctae* BEGVTTAE; deinde hanc sibi quaestionem enodari cum maxime cupit: *Rogo vos, quod velitis mihi dare vnum bonum consilium in mea quaestione. Est autem quaestio talis: Vtrum* LOLHARDI *et* BEGVTTAE *in Colonia sunt saeculares, vel spirituales personae? vtrum teneantur facere professionem? Et an possint accipere mulieres et viros?* Pluribus haud opus est, etsi plura dare parum difficile foret. Ecquid vero in his omnibus est iniuriosi? Addo, virgines illas, quae religionis nomine vitae communis commercio re-

A 5 nun-

*) Lib. III. in IO. PETR. de LVDEWIG Reliquiis Manuscriptorum omnis aeui. Tom. VI. p. 195.

**) Chron. Norimberg. Cap. V. in LVDEWIGII Reliquiis Manuscriptorum, Tom. VIII. p. 73.

***) Part. I. p. 78. edit. Francof. 1599. in 8.

nuncupauerant, ſemet ipſas promiſcue vel *Beguinarum*, vel *Beguttarum* vocabulo ab aliis diſtinxiſſe, domosque, in quas ſeceſſerant, *Beguttarum domos* appellaſſe: quod vel ea luculentiſſime teſtantur, quae ex *libro Beguinarum Hamburgenſium* NICOL. STAPHORST excerpſit *). Has quis credat ſponte nomen adſciuiſſe, cui contumeliae et ignominiae aliquid adiunctum erat? Scio, et hanc appellationem, et reliquas illis cognatas, vſu loquendi degeneraſſe in conuitia, et a vulgo ad homines ſub ſimulatae pietatis velo ſcelera et errores circumferentes, indicandos adhibita eſſe: id vero multis euenit nominibus natura ſua honeſta notione praeditis: neque populus abutendis iſtis vocabulis efficere potuit, vt prima eorum bona et decora ſignificatio prorſus abrogaretur et interiret.

§. III.

Quatuor illa, quae commemoraui, nomina nec origine inter ſe differunt, nec poteſtate. Qui *Beguini* dicuntur, illi etiam *Beghardi* vocantur: quae *Beguinae* his, eaedem aliis *Beguttae* audiunt. Sola igitur terminatione disiungi videntur: quae quidem in vocabulis *Beguinus* et *Beguina*, Romana eſt, ſeu Latina: in ceteris Germanica. Quamquam et fortaſſis, nec id vane prorſus, vt opinor, coniecerit aliquis, nomina *Beguardus* et *Begutta* contractione, ſeu vnius ſyllabae eliſione, vt ſaepe fit, breuiora reddita eſſe, et plene *Beginhardus* et *Beginutta* pronuntiari debere. Quicquid id eſt, hoc ex illis, quae iam monuimus, patet, commode omnia, quae de vſu et origine horum vocabulorum a me animaduerſa ſunt, ſub vnum veluti caput vocari poſſe, nec, vt in partes diſtrahantur, neceſſarium eſſe. Quo diligentius vero inter ſe confero et expendo, quae varii ſcriptores partim data opera, partim aliud agendo, de illis tra-

*) Hamburgiſche Kirchengeſchichte, Vol. I. p. 239. ſequ.

tradiderunt, quibus ista nomina vulgo data sunt, eo mihi certius et clarius intelligere videor, a multis saeculis ea notas fuisse hominum, maiorem aduersus Deum pietatem ceteris prae se ferentium, eamdemque cum moribus et habitu, tum vestitu, oratione, et a turba, negotiisque secessione profitentium. Nihil ea in ipso ortu suo dedecoris et ignominiae habebant, immo honorifica habebantur ab illis, qui ceteris sanctiores aut esse volebant, aut videri. Procedente vero tempore quum haud pauci inter eos, quibus propria erant, apparerent siue sententiarum portentis, et turpissimis erroribus infecti, siue vultus grauitate et vestimentorum inusitata forma, libidines et flagitia sua occultantes, siue denique superstitiosi et mentis parum compotes, ideo accidit, vt a multis in sensum raperentur a vera et prima eorum significatione alienum, et ad tristes nebulones, ad versipelles religionis simulatores, ad noxiarum et ineptarum opinionum magistros, ad deliros et somniis animum pascentes designandos, sine discrimine adhiberentur. Vtriusque generis, et illius, puta, quod vere religiosum erat, et spe Deum sibi placandi nouas et singulares vitae rationes sequebatur, et huius, quod religionem mentiebatur, et populum morum, vestiumque insolentia fallebat, variae numquam non extiterunt species, omnes quidem certa ratione inter se similes, alia vero valde dissimiles. Quas quoniam vniuersas barbari et incuriosi scriptores iisdem vocabulis denominant, et nulla plerumque notione discernunt, difficillimum saepenumero expeditu est, quorsum pertineant, quae de *Beguinis* illi et *Beghardis* memorant, et ad quamnam ex tot familiis referenda sint. Vehementer hoc quidem veteris Historiae scrutatoribus incommodum: tolerabile tamen, nec insuperabile prorsus homini sagaci, et antiquitatis non ignaro. Illud multo grauius et deterius, quod ista vnius vocabuli ad personas et sectas multum inter se discrepantes translatio magnas olim tempestates in Gallia, Belgio, Heluetia, Ger-

Germania peperit, hominesque aut rei alienae cupidos et malitiosos, aut incautos et imperitos impulit, vt innocentes cum nocentibus opprimerent, et hominibus nihil mali cogitantibus, multo minus molientibus, exquisitas iniurias inferrent. Verum haec calamitas suo loco, quam fieri poterit accurate, explicabitur: nunc, quod coepimus, persequamur. Igitur vocabula, quae tractamus, tamquam genus aliquod spectari debent, omnes illos complectens, qui extraordinarium quoddam Deo placendi studium verbis factisque, siue ex animo, siue simulate, declarant: cui vero generi multae haud parum inter se diuersae formae subiectae sunt, quas caute distinguere oportet non supinos rerum olim inter Christianos Europaeos gestarum interpretes. Quod quum non satis perspicerent viri maximi nominis, nec vulgaris doctrinae, tam Historici, quam Iuris, quod *Canonicum* dicunt, explanatores, omniaque de *Beguinis* et *Beghardis* obseruata et lecta in vnum cadere ordinem existimarent, et se ipsi, et lectores suos, in difficultates nullo modo explicabiles induxerunt; quae certis constant testibus, labefactare et infirmare, malos et perniciosos homines purgare, probis et sceleris puris labem affricare ausi sunt; eos denique, quos erudire volebant, incertos plane reliquerunt, quemadmodum de secta statuendum esset, fama quidem nobilissima, at mirabili colorum varietate depicta. Ista tamen peccata viris egregiis haud difficulter condonauerint, qui viderint, ne ipsos quidem legumlatores confusionem illam effugisse, et Pontifices non modo et sacrarum rerum antistites, verum etiam Imperatores et supremos Principes vno nomine comprehendisse, et vna sanctione condemnasse, quos certis notis disiungere et segregare debuissent.

§. IIII.

Haec in vniuersum proponere volui, ne sine lumine siluam variarum obseruationum, et densam et late paten-

patentem, legentes ingrederentur; eadem nunc per partes explicanda, et certis auctoritatibus munienda erunt. Ordiar a testimoniis generalibus, quae et infamia quondam omni caruisse docebunt illa saepius iam repetita nomina, et homines praeter communem morem religiosos et pios illis insignitos fuisse, patefacient: postea sigillatim ostendam, quot, quamque discrepantibus familiis ea vulgo, superioribus saeculis, imposita fuerint: quas inter nulla est, quin nostram de vsu eorum sententiam confirmet. Agmen testium ducant duo viri, Belgicarum antiquitatum vni omnium consultissimi, IO. BAPT. GRAMAYE et AVBERTVS MIRAEVS, qui compertum sibi esse ex vetustis chartis et tabulis testantur, virgines nobiles, et Niuellenses et Andennenses, quae virtutis et castitatis tuendae caussa seclusae viuant, *Beguinas* a Romanis Pontificibus nuncupatas esse. Hic, MIRAEVS nimirum, postquam binas ceteris celebriores, quas infra commemorabimus, de origine nominis *Beguina* sententias retulerat: *Vt vt sit*, inquit *), *id mihi constat, Canonicas et virgines nobiles Niuellenses nuncupari* BEGINAS *in vetustis Romanorum Pontificum diplomatibus, quae etiamnum Niuellis in Brabantia asseruantur.* Tempus litterarum Pontificiarum, quas laudat, non addit vir ceteroquin accuratae diligentiae: ex quo coniectura probabilis nascitur, ex aliis eum, quae perhibet, accepisse, non ipsas epistolas inspexisse. Sed quod ab ipso praetermissum est, id prudens alter, GRAMAYVM intelligo, addidit, a quo haec scripta sunt relicta **): *Ego addam amplius, ex diplomatibus me scire et*

*) In libello, *Antwerp. 1602. in 8.* hoc indice edito: *Origo Beguinarum virginum in Belgio hodieque frequentium, ad Catharinam Miraeam sororem*, quem deinde nonnihil auctiorem in *Chronico* suo *Cisterciensis Ordinis, Colon. 1614. in 8.* iterum formis exprimi curavit, p. 198.

**) In Antiquitatibus Gallo Brabanticis in Niuella cap. VIII. p. 17.

et diuerſis Pontificum reſcriptis, alias eſſe noſtras Beginas a Germanicis illis damnatis, et amplius, nomen earum Niuellis et Andennae etiam duobus ſaeculis ante Lambertum le Begge in vſu et ore fuiſſe. LAMBERTVS ille *le* BEGGE, de quo deinceps agendum erit, duodecimum illuſtrauit ſaeculum: decimo ergo ſaeculo datae ſint neceſſe eſt litterae illae, quas GRAMAYVS cum MIRAEO teſtatur, ſi duobus ſaeculis LAMBERTO antiquiores ſunt. Alios his iungere liceret, idem ſignificantes; praeter ceteros ZEGERVM van HONTSVM, Canonicum Antwerpienſem, qui: *Dominae,* inquit *), *Ardennenſes reperiuntur antiquitus Begginae nominatae;* GVILIELMVM de REBREVIETTES **), PETRVM COENS, et plures: ſed mitto hos, quia mihi omnes aut ex MIRAEO, aut ex GRAMAYO ſua tantum hauſiſſe, ſaltim aliena fide ſcripſiſſe videntur. Et ſufficiunt certe bini illi ſpectatiſſimi nominis viri ad rem, quam tradunt, firmandam, maxime quum nulla in illis, cur fallere voluerint, ratio appareat. Miretur forſan aliquis, neque MIRAEVM, qui tot alia vetuſtatis documenta in lucem protulit, neque alios bene multos, qui poſt eum ſacram et ciuilem Belgii Hiſtoriam ex ineditis chartis et tabulis amplificarunt, litteras illas Niuellenſes et Andennenſes adhuc promulgaſſe. Animaduertet fortaſſis alius, ipſum GRAMAYVM magnam nobis dubitandi cauſſam ſubiicere, verane, an falſa ſint, quae praedicat. Alio enim loco***), quo id ipſum confirmat, quod diximus, *Canonicas Niuellenſes olim Beginas fuiſſe dictas,* vnam tantum VRBANI, Pontificis, epiſtolam teſtem enuntiati ſui in ora libri

*) In Declaratione veridica, quod Begginae nomen, inſtitutum, et originem habeant a S. Begga, Brabantiae Duciſſa, p. 97.

**) Image de la nobleſſe de S. Gertrud & de ſes parens, p. 14. Paris. 1612. in 8.

***) Antiquitt. Gallo-Brabantiae in Niuell. cap. II. p. 5

libri citat, et ea quidem ratione citat, vt conſulto veritatem obſcurare velle videatur. *In Bulla*, inquit, *Vrbani, Papae, data Idibus, vbi eas in ſuam recipit protectionem.* Haeccine hominis videntur eſſe, cauſſae ſuae parum fidentis, et dedita opera celantis, quae ſuae voluntati obſtare videt? Si plures eius generis extant epiſtolae, decimo iam Saeculo datae, cur vnam tantum nominat? Quis eſt iſte *VRBANVS Papa*, quem advocat? nam plures eius nominis, quod notiſſimum eſt, Romae regnarunt. Cur annum, cur menſem epiſtolae ſilet? Saeculo decimo nullus VRBANVS Romanae eccleſiae praefuit. Si vel VRBANVM II. intelligit, qui ſaeculo vndecimo fere elapſo, vel VRBANVM III. qui ſaeculo duodecimo rem Romanam adminiſtrauit, ex hac certe epiſtola non probabit, binis ante LAMBERTVM le BEGVE ſaeculis, virgines nobiles Niuellae et Andennae verſantes, *Beguinas* ſalutatas fuiſſe. Ego quidem non veriſimile, ſed certum prope iudico, VRBANVM illum, quem appellat, *quartum* eſſe huius nominis Pontificem. Hunc enim nouimus valde propitium Beguinis Belgicis fuiſſe, et pluribus epiſtolis eas in tutelam ſuam recepiſſe. Publicauit AVBERTVS MIRAEVS *) litteras eius Viterbii, Nonis Iulii primo Pontificatus anno datas, quibus *collegia omnia Begginarum et Recluſarum dioeceſeos Leodienſis, cum omnibus bonis ſuis, ſub B. Petri et ſuam protectionem ſpecialem recipit:* alias item, eodem anno quinto Idus Iulii ad Decanum Leodienſem ſcriptas, quibus Beguinas curae eius et prouidentiae diligentiſſime commendat. Idem ille officium ſine dubio aliis, et in his Niuellenſibus Beguinis praeſtitit. Quia vero hic VRBANVS ſaeculo demum decimo tertio cathedram S. PETRI conſcendit, eiusque idcirco epiſtola nihil plane ad rem a GRAMAYO propoſitam conducit, noluit ille, vt opinor, nomi-

*) Operum Diplomatico-Hiſtoricor. Tom. I. p. 429.

nomini numerum, et epistolae annum suum adiicere. Haec, fateor, nonnihil dubitationis commouere possunt: at ea tamen, si quid iudico, non sunt, vt virorum tumprimis integrorum, et extra doli mali suspicionem positorum fidem et auctoritatem euertere penitus valeant. Credamus ergo illis, quum nihil vsquam appareat, quod nos credere vetet, seruari vetustas siue Niuellae, siue Ardennae, Pontificum litteras, in quibus virgines ibi residentes *Beguinarum* vocabulo compellentur. Atqui hoc si dubitatione careat, manifestum est, primo, nomen istud antiquum, et decimo iam saeculo in Belgio et Germania auditum esse; deinde, honorificum id, quum nasceretur, fuisse; postremo, ad virgines Deo consecratas, et ea re vitae, morumque castitate supra ceteras eminentes, designandas inuentum esse. Longius etiam viri doctissimi haud pauci ex Belgis progrediuntur, atque chartarum illarum ope confici posse censent, illas sigillatim virgines, quas *Canonissas saeculares* vulgo vocant, *Beguinarum* appellatione primum honestatas fuisse. Ad hanc enim virginum religiosarum classem illae pertinent, quae hodie Niuellae et Ardennae domicilium suum habent: quarum similes si fuissent, quae superioribus ibi saeculis habitarunt, haud male rationes subducerent, quibus ista placet sententia. Me vero, ne adsentiar, grauissimae rationes cohibent. Nolim quidem GRAMAYO litem intentare, qui: *Beginae,* inquit *), *nomen olim augustum et Nobilibus, medium illud vitae genus inter Coenobiticam et saecularem professis, proprium fuisse, docere possum.* Dabo potius, docere hoc potuisse virum doctum, quum sciam, latissima potestate id nomen quondam valuisse, et in omnibus positum fuisse, in quibus forma quaedam religionis, quotidiana maioris, conspiciebatur. Quod si vero ex litteris illis Niuellensibus et Andennensibus, quas aliquoties appellat, docere id voluit,

*) Antiquit. Gallo-Brabantiae in Niuella, cap. II. p. 5.

luit, res nouas antiquis miſcendo non leuiter peccauit. Solide nimirum, vti mecum grauiſſimi viri ſtatuunt IO. MABILLONVS *), HIPPOL. HELYOT **), aliique conuicerunt, tam Andennenſes, quam Niuellenſes puellas diu ſub S. BENEDICTI regula militaſſe, et recentiori aetate, forte decimo tertio ſaeculo, paullatim a maiorum diſciplina ita degeneraſſe, vt ex veris monialibus demum Canoniſſae ſaeculares fierent. De Andennenſibus idem ipſe conuenienti loco ex *Vita S. Beggae*, quam IOSEPHVS GELDOLPHVS a RYCKEL edidit, teſtatum reddam.

§. V.

Si cui vero paullo ad credendum difficiliori veteres illae MIRAEI et aliorum chartae, quia latent adhuc, non perſuadeant, religioſis virginibus *Beghinarum* nomen a maioribus tributum fuiſſe; aliis ille tamen teſtimoniis, vt dubitare hac de re deſinat, adduci poterit. Duo nunc ad manus ſunt; plura in progreſſu diſputationis attendentibus ſeſe obiicient. Alterum ſumo ex CAESARIO HEISTERBACENSI, ſaeculi decimi tertii ſcriptore, magno quidem nugatore et ridiculorum ſaepe miraculorum oſtentatore, at plurimis tamen rebus ſcitu iucundis et vtilibus referto. Is Abbatem quendam inducit moniales quasdam Ciſtercienſis familiae, pietate ſingulari praeditas, ſollicite indagantem, quarum precibus a Deo *donum lacrymarum*, cuius ſeſe ad ſalutem indigere iudicabat, impetraret ***): qui qua ratione hanc ſibi

*) Annalibus Ordinis S. Benedicti, Tom. I. p. 378. 399. 609.

**) Hiſtoire des Ordres Monaſtiques religieux & ſeculaires, Tom. VI. p. 397. ſ. 432. 437.

***) In *libris XII. illuſtrium miraculorum et hiſtoriarum memorabilium*, *Lib. II. cap. XXI. p. 81.* editionis eius, quae *Antwerpiae 1605. in 8.* cum Dedicatione IO. FISCHERI, Harlemienſis, ad Ioh. Roderum, Abbatem Hemmenrodenſem, prodiit, et in fronte *ab innumeris*

ſibi curam mulier quaedam diſſuaſerit, his ipſe verbis narrat: *Veniens ad domum cuiusdam honestae matronae Brabantiae hoſpitandi gratia, quae cum intellexit deſiderium meum, dixit in ioco, quid quaeritis videre* ISTAS BEGINAS? *Vultis ego oſtendam vobis mulierem bonam.* Hic quid ſunt Beguinae? Sine ulla controuerſia moniales, quibus ſolito maior ineſſe putabatur ſanctitas: et his quidem mulier opponitur pia quidem, verum votis et religioſis legibus haud obligata. Alterum teſtimonium ſuppeditat verſus ex *Summa* RAYMVNDI, ex Dominicana familia monachi:

Si BEGVINA *Deum ſponſum praeelegerit, atque*
In ſignum crines praeſciderit, iſta marito
Si nubit, nupta maneat, ſed poeniteat, quod
Infregit votum.

RAYMVNDVS hic quis gente fuerit, et quo tempore vixerit, neſcire me fateor: nudum hominis nomen, nulla nota ſubiuncta, per quam a multis aliis cognominibus ſecerneretur, poſuit CAROLVS de CANGE, cui hunc eius locum debeo *): neque, niſi me fallit opinio,

innumeris mendis repurgata dicitur. Poſt hunc dignum hoc opus cenſuit BERTRANDVS TESSIERIVS, quod Tomo II. *Bibliothecae Patrum Ciſtercienſium,* quibus CAESARIVS adſcriptus fuit, *Bonofonte 1662. fol.* editae, committeret. At hunc tamen, Francum videlicet, et Belgico illo editore, FISCHERO, ſaniorem, honeſtus quidam pudor vetuit, tot putidas, ineptas et aniles narrationes ciuibus ſuis legendas exhibere. Itaque partim CAESARIVM ſuum mutilauit, partim ſuperſtitionis, credulitatis et ſtuporis notis inuſtum, in publicum prodire iuſſit. Id ipſe in limine libri ſignificat: *Correctum eſt hoc opus in quibusdam, quae videbantur male ſonantia: et quae minus certa, aut etiam fabuloſa videbantur, fere diuerſo charactere exarata ſunt* — — — *Et in annotationibus in fine operis oſtenſa eorum falſitas, aut exigua probabilitas.* In hac editione totum illud caput, ex quo locus, hic allatus, depromtus eſt, cum ſequenti capite omiſſum eſt.

*) Gloſſario mediae et infimae Latinit. Tom. I. p. 1094.

nio, necesse est, vt ex latebris suis hominem extrahere studeam. Id vero liquere arbitror, *Beguinae* vocabulum in eius verbis, neque talem *Beguinam*, quales hodie adhuc passim, maxime in Belgio, degunt, neque illiciti moris et ordinis virginem, sed puellam Deo solenni ritu dicatam, siue *sanctimonialem*, vti vulgo loquuntur, designare. *Beguina* enim eius Deum sponsum elegit, perpetuam ipsi castitatem promisit, huius voluntatis testandae caussa crines sibi praecidi curauit, sponsionem deinde factam violauit, et poenas idcirco iustitiae diuinae soluere debet. Quorum quidem omnium nihil in *Beguinas*, proprie ita dictas, cadit, quippe quae nec votis sese alligant, nec nubendi potestatem amittunt, nec denique capillos sub ingressum ordinis deponunt. Hanc vocabuli *Beguina* notionem quum ignoraret CANGIVS, sciret autem, Beguinas, id est, medii generis inter sacras et profanas virgines, vota edere non solere, lapsus est nonnihil, et ex RAYMVNDI loco conflare censuit, quasdam saltim ex *Beguinis* votis olim semet alligasse: quem errorem sine dubio cauisset, si diligentius considerasset scriptoris verba, et cuncta, quae *Beguinae* suae tribuit, ante oculos sibi posuisset. Quod foemineo nomini *Beguina*, idem virili *Beghardus*, quod a *Beguinus* nulla re differt, nisi terminatione, accidit, vt *monachis* etiam a maioribus vulgari sermone imponeretur. Narrat IOHANNES CHRAFTVS, qui saeculo decimo quarto ANDREAE Ratisbonensis, Chronicon accessionibus auxit, senem quemdam Monachum LVDOVICO Bauaro, Imperatori, Romae in aede S. Petri apparuisse, et de eius in Bauariam reditu eum ipso egisse: qua historia, longiori, quam vt hic repetatur, absoluta, ita pergit *): *qui praedictus monachus siue* BEGHARDVS *in ecclesia S. Petri, Imperatore solo*

*) In IO. GEORGII ECCARDI Corpore Historicor. medii aeui. Tom. I. p. 2100.

solo existente, apparuit modo praedicto. Ex his quis, quaeso, difficulter intelligit, qui Monachi vulgo nuncupantur, eosdem olim *Beghardos* quoque, honoris caussa, id est, viros Deo ceteris arctius iunctos, salutatos esse? Cogitaui aliquando, hanc potestatem isti vocabulo subesse in illis etiam veterum locis, in quibus certi homines, *Beghardi* veste sumta, per varias errasse prouincias memorantur, ne ab insidiatoribus et inimicis agnoscerentur. Proscriptorum enim et damnatorum amictum induisse, qui vestium ope periculum capitis euadere, et reuerentiae aliquid sibi comparare volebant, difficile creditu est. Verum accuratius locis istiusmodi, quorum numerus quidam colligi potest, consideratis, per *Beghardos* ibi etiam intelligi posse illos sensi, de quibus alias copiose agemus, qui sordido inuoluti amiculo vrbes agrosque peragrabant, victumque mendicando quaerebant, rati, voluntariam paupertatem supremae perfectionis signum et documentum esse. ALBERTVS Argentinensis in Chronico *): *Iohannes dux post multas occultationes tandem in forma* BEGHARDI *adueniens ad Pisas, ab Imperatore Henrico inibi captus est.* Pari fere modo IOH. TRITHEMIVS **): *Iohannes vero — cum nusquam in Germania tuto posset latere, per Italias in habitu* BEGHARDI *vagus hinc inde discurrebat, semper pauidus et metuens.* His in dictis vocabulum *Beghardus* ita, vti monui, intelligi potest: in illis, quae GVIL. DE NANGIS Continuator, de Philippo Maioricensi scripta reliquit ***), sine dubio sic intelligi debet. *Philippus, filius Regis Maioricarum, vir vtique nobilis — — — cum abundanti gauderet patrimonio, — — — omnibus dimissis, peditanter, vt pau-*

*) In CHRIST. VRSTISII Scriptor. Rerum Germanicar. p. 114.

**) Chronic. Hirsaugiensi, Tom. II. p. 114.

***) In LVC. DACHERII Spicilegio veterum scriptorum, Tom. III. p. 93.

pauper quaerens elemosynas, in habitu BEGARDORVM *per mundum progreditur, nec a quoquam volens aliquid accipere etiam fratre vel sorore, nisi sibi pietatis intuitu et titulo eleemosynae concedatur.* Hic euidentissime istud hominum genus cernas, a Pontificibus et praesulibus rerum sacrarum toties infamia notatum, quod semet ipsum sanctitatis nomine ad mendicitatem detrudebat, et lacero pallio tectum, misericordiam aliorum implorabat. Contigerunt ea, quae retuli, Anno MCCCXXX: quo tempore iam plurimae leges contra circumforanea illa mendicabula, vt APVLEII verbis loquar, rogatae erant.

§. VI.

Virorum, qui decimo tertio saeculo scriptis, rebusque gestis inclytum sibi nomen peperere, non postremi sunt GVILIELMVS de S. AMORE et ROBERTVS de SORBONA. Ille celebris collegii Theologorum Parisiensium doctor, et Sorbonae, quam vocant, socius, fortiter caussam Academiae suae contra Dominicanos sodales egit, et hodie adhuc, Pontificum licet decretis confixus sit, disertissimi et aeternum venerandi patroni sui loco, a magistris Parisiensibus colitur. Hic LVDOVICO VIIII. Sanctis adscripto, Franciae Regi, cumprimis carus, ex collegio Sorbonico condito, amplissima dote instructo, et a se nominato, immortalem famam adeptus est. Vterque *Beguinorum* et *Beguinarum* aetatis suae, saepius meminit, nonnullaque nobis valde memorabilia suppeditat, ex quibus et vsus huius vocabuli, et conditio hominum, quibus datum fuit, cognoscere nobis integrum est. Audiamus primum ROBERTVM, qui aetate illum paullum superat. Extat eius *de conscientia sermo ad Theologos*, quem praeter alia eius opuscula, et *Bibliotheca Patrum Parisiensis* *)

 ex-

*) Tomo V. p. 1453. ed. Paris. 1589. fol.

exhibet, et CAESAR EGASSE de BOVLAY dignum habuit, quem in *Historia Academiae Parisiensis* *) legendum daret, simplex et eloquentiae inops, at pro aetatis illius ingenio pius, et sententiis non contemnendis plenus. In eo haec primum de *Beguinis* scripta extant **): *Item ille, qui frequentat magis scholas, et diligentius magistrum audit, debet melior Clericus reputari.* (Hic, aliasque *Clericus* idem est, quod hodie *Studiosus*) *Ergo* BEGVINI ***), *siue in saeculo, siue in religione et libro isto scilicet conscientiae sunt sapientiores, quia frequentius et pluries confitentur, sicut patet ad oculum: imo propter hoc dicuntur Papalarei, quia frequentant confessiones.* Haec manifesto *Beguinos* ob sapientiam et morem peccata saepe confitendi, commendant. Neque fides haberi debet CANGIO ****), qui ex hoc et alio, quem paullo post proferam, loco cogere vult, ROBERTVM *Beguinos vt viros fictae religionis et pietatis perstringere.* Honorifice hic semper de vtriusque sexus *Beguinis* loquitur, satisque demonstrat, viuendi rationem eorum sibi vehementer placere. Et qui poterat vituperare et despicere, quorum Regem LVDOVICVM, Herum suum, amantissimum esse, non ignorare poterat? Duo igitur bonus ille ROBERTVS hic nos de *Beguinis* docet: Primum, eos saepius aliis hominibus animum peccatorum conscientia grauatum, apud sacerdotes exonerasse: qua re ipsi *sapientiores* aliis, et *in saeculo, et in religione*, et *in libro conscientiae*, id est, rerum diuinarum non minus, quam humanarum, rectaeque salutem obtinendi rationis peritiores videntur, et cum litterarum studiosis, magistrorum recitationes frequentantibus conferuntur. Alte-

*) Histor. Acad. Paris. Tom. III. p. 225. s.

**) p. 232. edit. *du Boulay*.

***) In Biblioth. Patr. Tom. V. p. 1462. male expressum est *Begumi*.

****) Glossario Latinit. med. aeui, Tom. I. p. 1093.

Alterum: Eos propter multam confeſſionis peccatorum iterationem a populo, per irriſionem, *Papalareos*, ſeu, vt alii, et ipſe, alio loco, ROBERTVS *), magis ex lege Teutonici ſermonis ſcribunt, *Papelardos* vocatos eſſe. Agit de vocabulo *Papelardus* CANGIVS **), erudite quidem, at, ſi quid ego harum rerum aſſequor, minus accurate. Vult nimirum, *Papelardus* idem eſſe, quod *hypocrita, adulator, ſimulator:* quam poteſtatem nullus firmat locorum, quos ſubiicit. Omnes e contrario declarant, *Papelardum* hominem eſſe immodice religioſum, ſeu ſuperſtitioſum. Nec felicius originem nominis expedit. Recte quidem iudicat, quum ingenio abuti ſignificat, qui vel a Graeco παιπάλημα, *aſtutia*, vel ab Hebraico *Palpel*, quod eſt, *acuere ingenium*, illud deriuatum eſſe cenſent. At dubito ***), num ipſe multo melius ingenio vtatur, quando *Papelardum*, ait, eſſe virum, *qui vel Papae frequenter exclamat, vel qui, vt infantes, qui Papas parentes vocare ſolent, voce adulatoria vti conſueuit.* Aliis implicatus cogitationibus vir infinitae lectionis, non recordabatur, quum haec ſibi excidere pateretur, ſacerdotes *Papas*, Germanice *Pfaffen*, id eſt, patres, maioribus noſtris appellatos fuiſſe, et ROBERTVM noſtrum clare ſcripſiſſe, frequentem confeſſionum iterationem nominis huius cauſſam fuiſſe. Quorum ſi in mentem ipſi veniſſet, haud dubie

 intel-

*) ROB. de SORBONA *Sermone de conſcientia*, p. 229. ed. de Boulay: *Tales homines cum ſint, cum* PAPELARDIS *viris et religioſis dicunt:* Orate pro me: — — *Et quando ſunt cum Mundanis, faciunt ſicut Mundani, vel peius.*

**) Gloſſario Latinit. Tom. V. p. 124.

***) IO. GERSON de diſtinctione verarum viſionum a falſis, Tom. I. opp. p. 58. edit. du Pinii: *Irridens ipſi deinceps ſaeculares ſaeculariter viventes vnumquemlibet, qui religioſa ſimplicitate vitam agere decreuit. Appellatur confeſtim illuſor et illuſus, clamatur Phantaſticus, exſibilatur* PAPELARDVS, BEGOSVS *et* BEGARDVS, *et ſic occaſione accepta irridetur iuſti ſimplicitas.*

intellexiſſet, *Papelardum* hominem eſſe ſacerdotibus deditum, ſiue ſeruum et mancipium ſacerdotum. Vix enim me contineo, quin exiſtimem, vocabulum *Hard*, ſiue *Hart*, quod multa terminat antiqui ſermonis Teutonici vocabula idem eſſe, quod *famulus et ſeruus*. Locum, quem adhuc expendimus, alius apud ROBERTUM praecedit, quo acriter in eos inuehitur, qui ſanctitatem ſimulant apud eos, quos religioni ſtudere norunt, et apud alios, quos licentius viuere ſciunt, eamdem habitu et moribus diſſimulant *). *Vidi quendam, qui, cum eſſet coram* MAGNIS BEGVINIS, *habebat magnum ſupertunicale rotundum cum magnis et latis manicis de Camelino: et coram Mundanis, habebat de Bruneta ſciſſum ante et retro, ſtrictum, ſine manicis, de vario, foderatum.* Hic quum *Mundani*, ſiue homines luxurioſi, ſplendidi, et ad vitioſas ſaeculi conſuetudines ſe componentes, *magnis Beguinis* opponantur, hi viri ſint, oportet, continentes, ſobrii, et animi demiſſionem pietatemque erga Deum externa vitae ſuae forma teſtari volentes. Quorum qui beneuolentiam captabant, veſtitum quoque eorum, quum ſalutandi eſſent, imitabantur. Vtebantur ergo *Beguini* Pariſienſes ampla quadam et rotunda toga, ſiue pallio, interiorem amictum tegente, latis manicis, quibus, vt opinor, ipſas etiam manus inuoluebant, ex panno rudiori et vili, ſiue *Camelino*, id eſt, ex hircorum, caprarum et camelorum pilis contexto. Effugit alius eiusdem ROBERTI libellus temporum iniuriam, quem *Iter paradiſi* inſcripſit, in quo pariter *Beguinorum* mentionem facit: *Aliquis*, inquit **), *incipit agere poenitentiam, irridetur ab aliquo, qui dicit: Iſte eſt* BEGVINVS, *et tunc iſte tibi dicet aliquid, quia modo aliquo tibi iniuriatur: ignoſce ergo ei, et aliquid lucratus es ad viam tuam.* Haec mon-

*) Serm. de Conſcientia, p. 229. ed. du Boulay.

**) Biblioth. Patrum Pariſiens. Tom. V. p. 1492.

monstrant, *Beguini* vocabulum eodem sensu tum temporis vsurpatum fuisse, quo, nostra aetate, nomina *Pietista* et *Rigorista;* hominibusque iniectum fuisse, modum pietatis erga Deum excedentibus, et ad superstitionem declinantibus: vnde is, quod clare hic significatur, qui eo denotabatur, iniuria quadam se affici, conqueri poterat. *Beguinas* semel tantum et obiter tangit ROBERTVS noster, ita vero, vt se optime de illis sentire testetur. Melius enim has mulieres Deo in extremo iudicio rationem esse reddituras, quam Magistros artium et theologiae, qui de animo emendando segniter cogitauerint, decernit *). *Magnum erit dedecus Magistris de Artibus, et magna decisio* (rectius habet Bibliotheca Patrum, *derisio*), *etiam Magistris in Decretis et in Theologia, qui modo nolunt studere in libro conscientiae suae, quia nescient respondere: Ideo obmutescent in die iudicii coram omnibus, vbi aliqua* BEGVINA **), *vel conversus, vel Monachus simplex, optime respondebit, qui totam suam intentionem ponit et faciendum* (lege potius cum Biblioth. Patrum: *sciendum*) *librum conscientiae suae.*

§. VII.

Longe aliter erga *Beguinas Beguinosque* aequalis et familiaris ROBERTI, GVILIELMVS de S. AMORE, affectus erat: qui, quum summam sibi inuidiam fratrum Mendicantium, patronique eorum, Romani Pontificis, libro *de periculis nouissimorum temporum*, aliisque scriptis consciuisset, eaque de caussa in ius vocatus esset, imminentem sibi poenam haud sese commodius amoturum esse putabat, quam si quae contumeliose scripserat, non in Dominicanos et Franciscanos, verum in Beguinos Beguinasque, similisque generis homines

*) Serm. de conscientia, p. 232. ed. du Boulay.

**) Biblioth. Patr. iterum male habet: *Beguma*, p. 1462.

nes a se dicta esse, iudicibus persuadere conaretur. Quod quidem eius consilium postulabat, vt peracerbe, quoties id res ferebat, *Beguinos* castigaret, et variorum vitiorum argueret. Ponam ego primum omnia in medio, quae ad eos infamandos passim monuit: postea interpretis vice fungar, et quae de statu et conditione hominum, quos notat, ex verbis eius elici possunt, subiiciam. Generatim primum ita sese purgat litis suae cognitoribus *): *Sciendum, quod ea, quae superius de mendicitate dixi, dixi praecipue propter * * * validos corpore, quorum est in regno Franciae multitudo infinita: et propter quosdam iuuenes, quos appellant* Bonos Valetos: *et propter quasdam mulieres iuuenes, quas appellant Beguinas,*

*) In *Casibus et Articulis, super quibus accusatus fuit a FF. Praedicatoribus, cum Responsionibus ad singula*, p. 91. in *Operibus Magistri Guilielmi de S. Amore, sacrae Facult. Theologicae Parisiensis e celeberrima Domo Sorbonica, Doctoris olim integerrimi omnibus, quae reperiri potuerunt, Constantiae 1632. in 4.* Editor horum operum est celebris ille IOH. CORDESIVS, GROTII amicus, qui IOANNIS ALITOPHILI nomen in *Praefationis de libris et doctrina M. Guilielmi de S. Amore* titulo adsciuit, ne inimicitiam in se deriuaret Dominicanorum, in quibus aduersarii sui acerrimi, GVILIELMI, odium nondum extinctum est. In quo bene sibi consuluit. Adeo enim inflammabat haec operum GVILIELMI renouatio sodalium S. DOMINICI animos, vt LVDOVICVM XIII. Franciae Regem, ad librum seuera lege supprimendum inducerent. Extat edictum hoc Regium in S. THOMAE *opusculis, curis F. P. Pellican Blesensis, A. 1656. Lutetiae Paris. in 4.* editis, *p. 533.* et ante paucos annos ab ANTON. TOVRON in *Vita S. Thomae Aquinatis*, Gallice scripta, *Libr. II. c. XI. p. 164. Paris. 1737. 4.* denuo repetitum est. Iubet Rex omnia exemplaria tolli et in consilii Regii tabularium inferri, poena capitis, quod in primis mireris, in mercatores librarios, qui vel vnum venale haberent, et ter mille librarum mulcta in eos, qui vnum seruarent, constituta. Quare inter libros rarissimos haec opera referuntur: quae, index licet *Constantiam* nominet, Lutetiae prodierunt.

guinas, per totum regnum iam diffusas: qui omnes, cum sint validi ad operandum, parum certe, aut nihil volunt operari, sed viuere volunt de eleemosynis in otio corporali, sub praetextu orandi, cum nullius sint religionis per sedem Apostolicam approbatae: Et extra praedictas, iam est quarta secta Parisiis, quae dicit, nunquam operandum manibus, sed incessanter orandum: *et si homines sic orarent, plures fructus terra sine cultura afferret, quam modo afferat cum cultura.* Ita locus est editus: vtrum CORDESIVS ita eum scriptum inuenerit in antiquis codicibus, an vocabulum, cuius locum tres asterisci replent, vetustate oblitteratum et deletum fuerit, an denique consulto primae sectae de quatuor illis, quas hic commemorat, vir timidus nomen omiserit, decernere nolo: coniicio tamen, nihil hic callide actum esse, et vocabulum *Trutannus* desiderari, quod aliis locis GVILIELMVS habet, et paullo post a nobis explicabitur. Paucis interiectis, hostibus suis, a quibus accusatus erat, quod modestiam in vestimentis temere irrisisset, respondet *): *Dixi, quod illa superbia, quae est ex vili veste, annexam habet simulationem, propter quam maius peccatum est. — — — Et sciendum, quod praedicaui hoc propter* BEGVINAS ET BONOS VALETOS, *dicentes, quod vestis pretiosa portari non potest sine magno periculo.* Sequitur eadem pagina, alia ex dogmate eius de vestibus ducta accusatio: *Item dixit, quod mulieres existentes in saeculo, mutantes habitum suum causa religionis, peccant grauiter: et quae caedunt capillos suos, existentes in saeculo, credentes hoc facere causa religionis, peccant: et debent istae et illae excommunicari, siquidem tales sunt, quae vocantur* BEGVINAE. Quam culpam his verbis diluit bonus GVILIELMVS: *Respondeo: Hoc non dixi: sed dixi, quod non licet viro vel mulieri saeculari vel regulari, mutare*

*) l. c. p. 92.

mutare habitum suae professionis in habitum alterius professionis. — — — Item dixi, quod si vir vel mulier, gerat habitum viliorem, vt aliis dissimilis videatur, et inter alios sanctior reputetur, peccatum est hypocrisis. — — — Haec autem omnia dixi propter hypocritas, de quibus tunc loquebar. Attigerat et GVILIELMVS in sermone quodam ad populum *tunicam* CHRISTI *inconsutilem,* dixeratque, si hac veste redimitus Seruator ad homines rediret, fore, vt in hominum stulte piorum indignationem incurreret: quod hoc modo aduersarii eius enuntiant *): *Item dixit in sermone Ramis palmarum, quod Dominus Iesus habuit tam pretiosam vestem, scilicet, tunicam inconsutilem, et quae tanti pretii erat, quod crucifixores voluerint eam diuidere: et quod, si aliquis nunc ita pretiosam vestem deferret,* PAPELARDI *in faciem eius spuerent, sicut Pharisaei spuerunt in faciem Domini Iesu Christi sic induti.* Istam criminationem non tam depellit, quam excusat accusatus, *propter falsam humilitatem* se ita esse loquutum monens.

§. VIII.

Haec in breuiori defensione sua a doctore nostro Sorbonico de *Beguinis*, similisque gregis et ordinis hominibus disputantur: scripsit vero aliam deinde, quum certamen cresceret, multo pleniorem et longiorem, hoc indice: *Collectiones catholicae et Canonicae Scripturae ad defensionem ecclesiasticae hierarchiae, et ad instructionem et praeparationem simplicium fidelium Christi, contra pericula imminentia ecclesiae generali per hypocritas, Pseudopraedicatores, et penetrantes domos, et otiosos, et curiosos et gyrouagos.* In ea passim quoque nonnulla leguntur, quae nostro negotio inseruiunt. Mendicitatis damna et pericula quum facunde, pro aetatis illius captu, enumerat, sic inter alia disserit **): *Propter*

*) l. c. p. 97.

**) p. 228. Opp.

pter mendicitatem etiam, qui otiose viuere volunt, multipliciter simulatores fiunt: nam vt miserabiliores appareant, et ex eo eleemosynas largiores acquirant, plerumque simulant se infirmos vel debiles, cum tamen sint sani et fortes, vt videmus quotidie in TRVTANNIS. *Plerumque autem per hypocrisin simulant se esse sanctos, cum tamen parum aut nihil sanctitatis, praeter speciem exteriorem, habeant, vt videmus in* ALIQVIBVS PAPELARDIS. In progressu disputationis, aliud veluti agendo, vt videri vult, ad magnam et intimam *Beguinorum* et *Beguinarum* consuetudinem et familiaritatem delabitur: in qua tamen reprehendenda, haud parum verborum consumit. *Sicut*, inquit *), *illud praeceptum Apostoli* 1. *Cor.* 6. Fugite fornicationem, *non solum fornicatores, vel eos, qui de facili labuntur in fornicationem, adstringit, verum etiam omnes, qui in fornicationem labi possunt. Exceptis forsan* BEGVINIS, *qui* BEGVINAS *fugere non debent, vt asserunt, sed cum eis continue commorari et confabulari, et in Domino consolari, audiendo etiam quotidie a mane vsque ad vesperam confessiones illarum, si sint presbyteri.* Dubitantis hic personam sumit, vtrum illa necessitudo et familiaritas virorum et foeminarum, celsiorem pietatis gradum affectantium, toleranda et pro licita habenda sit? nec ne? Verum hanc statim personam deponit, nec modo diuinorum librorum et antiquorum doctorum dictis eam feruide oppugnat, verum etiam fortiter cum illis congreditur, qui pro ea verba facere non dubitabant. *Sed*, inquit paullo post, *forte dicet aliquis* BEGVINORVM *excusator, quod licitum est bonis viris, maxime autem Praedicatoribus* (fratres Dominicani sodalitii intelligit, quos et Praedicatores nominari, notum est) *habere familiaritatem continuam et consortium cum mulieribus, quales sunt mulieres* BEGVINAE, *quae* BEGVI-

NAE

*) l. c. p. 266.

NAE *ideo appellantur, vt asserunt, quasi* benignae, *vel quasi* bono igne ignitae: *cum Dominus Iesus Christus tales mulieres haberet in suo comitatu, vt legitur Luc.* 8. *Apostoli etiam tales mulieres circumducebant,* 1. *Cor.* 9. — — *Ad quod dicendum est, quod quaedam mulieres, quas Dominus curauerat ab infirmitatibus suis corporalibus vel spiritualibus, eum sequebantur, vt ei* — — — *vitae necessaria compararent, ac de suis facultatibus ministrarent, vt apparet Luc.* 8. *Ob eamdem etiam causam quaedam similes mulieres Apostolos sequebantur, non quod ipsi pascerent eas, sed potius pascebantur ab illis iure Dominico, tamquam earum Euangelistae a Domino ordinati, sicut dicit Augustinus* in libr. de opere Monachor. cap. 4. et 5. *Sed* BEGINAE *nostri temporis non pascunt illos sanctos homines, cum quibus conuersantur, tamquam suos Euangelistas, cum non sint earum Euangelistae a Domino ordinati, videlicet, quia non sunt earum Praelati, sed magis quandoque pascuntur ab illis, vel saltem sub praetextu paupertatis et simulatae sanctitatis ipsarum, licet sint iuuenes, et validae ad operandum corporaliter, vnde viuant: nihilo minus tamen per eorum procurationem pascuntur de eleemosynis fidelium, quae potius deberent pauperibus debilibus, et laborare impotentibus, tam viris, quam foeminis, erogari. Nam secundum Apostolum, illae tantum viduae debent de bonis pauperum sustentari, quae sexagenariae sunt, vt propter debilitatem senectutis iam laborare non possint.* — — *Et sic ecclesia grauatur per illas iuniores* BEGVINAS *contra illud* 1. *Timoth.* 5. — — — *Sed esto, sine praeiudicio, quod mulieres illae* BEGVINAE *pascerent eos, et ministrarent illis, tamquam suis Euangelistis; quia tamen non constat, eos ad instar Apostolorum Christi virtute ex alto esse indutos, siue in gratia confirmatos, sicut nec saeculares Clericos, idcirco, si* BEGVINAE *illae iuniores fuerint et formosae, periculosa est illis earum frequentia corporalis.* — — — *Maxime*

mus autem periculosa est iuuenibus viris, propter lubricum iuuenilis aetatis. Haec et sacri codicis oraculis, et veterum doctorum enuntiatis nonnullis, ex more illius aetatis, roborat, maxime illo ex S. FRANCISCI *Regula* loco, quo fratres in *Monasteria Monacharum ingredi* prohibentur: ex quo quidem sic argumentatur: *Si non licet eis ingredi Monasteria Monacharum, quae aliqua regula Canonica coercentur, multo minus licet eis ingredi Domos* BEGVINARVM, *vel aliarum mulierum consortia, quae nulla regula Canonica coercentur.* Succedunt alia, quibus *Beguinarum* necessarii succurrere sibi, et reprehensoribus occurrere poterant. Primum: *Quod si forte dicatur, non esse timendum de sancta familiaritate* BEGVINARVM, *saltem incorruptarum et virginum, eo quod non sint assuetae ad carnale commercium, et ideo nullum aut modicum gerant incitamentum.* Ad haec respondet: *Etiam in eis est nonnullum periculum propter earum verba tenera et ridentem aspectum.* Cui iterum tam exemplis, quam dictis, firmitatem comparare studet. Secundum: *Dicet forsan aliquis Regularis: Quod viri Regulares, qui per longam experientiam exercitati sunt in operibus castitatis, visitare debent sanctas mulieres, quae appellantur* BEGVINAE, *vt eas instruant bonis moribus, et in Domino consolentur. Nec est timendum de illorum cohabitatione propter votum continentiae et obseruantiam parcimoniae in vtrisque.* Huic excusationi primum opponit: *Quod hoc non pertinet ad viros Regulares, siue ad Monachos, sed potius ad Clericos siue Praelatos, quorum officium est, visitare sanctas viduas et sanctas virgines, ita tamen, ne ingrediantur soli domos earum.* Quibus more suo probatis, contendit, veterumque testimoniis efficere nititur, illam virorum regulis adstrictorum, et continentiam et parsimoniam minime supra dubitationem esse positam. Tertium: *Sed iterum dicet aliquis Regularis Beguinarum Amator: Quod bonis viris Regularibus et pudicis, praecipue autem*

tem praedicare scientibus (intellige Dominicanos, quod in primis sugillat), *vtile est conuersari in consortio bonarum mulierum, quae appellantur* BEGVINAE, *praecipue autem in consortio adolescentularum et pulchrarum, propter duos eorum profectus; videlicet, propter profectum praedicationis, et quod per earum aspectus et colloquia quandoque tentati carnaliter, pugnant contra tentationes, quas vincendo gloriosius coronantur*. Haec, puto, GVILIELMVS non ex suo ingenio, sed ex ore eorum hausit, quibus dulce videbatur, regulae austeritatem per colloquia cum foeminis quodammodo frangere. Erant enim eius aetate passim multi, qui summum perfectionis gradum appetentibus, libidines non tam enecandas aut sedandas esse, quam studiose excitandas, et excitatas magna contentione oppugnandas, opinabantur: mediocre enim praemium illis tantum iustitiam diuinam debere, qui peccandi occasiones et instinctus fugerent, magnum vero, qui eas dedita opera quaererent, et feliciter tamen debellarent. Noster nascentis Sorbonae doctor alterum fructuum illorum, quos ex consuetudine cum *Beguinis* sperabant Monachi, ad ipsos non pertinere, iudicat: populum enim docendi, seu, vti ait, *praedicandi* munus non esse Monachorum, verum antistitum et sacerdotum: alterum commodum et incertum esse, et a diuinarum legum norma remotum: fugere enim et euitare irritamenta vitiorum iussisse Deum homines, non captare. Digreditur hinc ad alia GVILIELMVS, quae nostri non sunt instituti, et idcirco praetermittuntur. Reuertitur tamen mox ad *Beguinas*, et eos perstringit, qui viduas bonis suis spoliant, et spoliatas aut in monasteria, aut in *Beguinarum* collegia compellunt, itemque illos, qui vni ex *Beguinis* plura, quam ceteris, amoris et humanitatis officia praestant *). *Non caret autem scrupulo suspicionis malae, si forte aliqui Religionis speciem ostendentes,*

*) p. 274.

dentes, viduas iuniores et pulchras, vel opulentas, ad eorum regimen non pertinentes, sub specie pietatis adeo circumueniant, et seducant, quod blande ablata eis sua pecunia, postea eas sub professione continentiae faciant intrare monasteria Monacharum, vel in saeculo remanere in habitu BEGVINARVM, *et tunc procurent eis eleemosynas, unde viuant* — — — *postea vero sub praetextu audiendae confessionis, vel impendendae doctrinae salutaris, quotidianis colloquiis, ac immoderata familiaritate coniungantur eisdem* — — *Illud etiam non modicam suspicionem inducit, si forte aliquis* BEGVINORVM, *siue Regularis, siue saecularis existat, maiorem vni* BEGVINAE *vel Moniali, quam aliis, dilectionem vel familiaritatem exhibeat; plures forte illi, quam aliis, eleemosynas (licet forte non magis egeat) procurando, vel forte xeniola, vel saltem dulces litteras destinando.* *Tertia*, quam vocat, *distinctione* libri sui GVILIELMVS sigillatim, quanta, quamque multiplex sit simulatio generis illius, quod inuisum reddere laborat, copiose demonstrat. Hac in disputatione bis iterum *Beguinos* et *Beguinas* nominatim inuidiose criminatur. Primum et vestimentis, et moribus, et verbis vti eos significat nouis, insuetis, superstitiosis, et ad plebem decipiendam accommodatis: quod simulationis certissimam esse notam iudicat. *Contrarium autem,* inquit *), *faciunt* Beguini et Beguinae hypocritae, *qui licet non sint Regulares proprie; tamen, vt sanctiores aliis videantur, et populum in se vitae nouitate conuertant, superstitiosas, tam in habitu, quam in aliis exterioribus, innominiunt nouitates, et ad eas, quoscunque possunt, inducunt, cum tamen magis curandum esset, differre a peccatoribus conuersatione et mentis puritate interiori, quam habitu vel cultu exteriori.* Paullo post, quum S. PAVLI verba de cultu foeminarum, 1. *Tim. II.* 9. recitasset, ex illis

*) p. 305.

illis sententiam suam firmat, et inter alia: *Docuit eas*, inquit, *suam indicare honestatem, non per talia vestimenta, non per verba superstitiosa et insueta* AD INSTAR BEGVINARVM, *sed per opera bona.* Deinde vitae illud institutum, quod sequebantur *Beguini* et *Beguinae*, BEGVINAGIVM ab ipsis appellatum esse, tradit *). Ostensurus nimirum, quantum periculi secum vehat illa viuendi ratio, animaduertit praeter alia, *hypocritas propter immoderatam laudem populi se plerumque sanctos existimare, et propterea ita vinctos esse in peccato, vt poenitere non possint:* qua re paullulum explicata: *Ideo*, addit, *periculose falluntur hypocritae, quia, cum peccatum suum hypocrisis (quam Beguinagium superstitioso nomine vocant,) reputent esse virtutem, de remedio cogitare non possunt.* Ex his cognoscas, veterem et primam vocabuli *Beginagium* potestatem, ab ea differre, quae deinceps inualuit. *Beginagium* enim in omnibus, quas tractaui, chartis et libris decimi tertii et sequentium saeculorum, domicilium, siue congeriem domuum, quas incolebant *Beguinae*, significat.

§. VIIII.

In his a GVILIELMO de S. AMORE contra *Beguinos* et *Beguinas* animose disputatis insunt quaedam, quae lucis aliquid poscunt; alia, quae multum lucis Historiae huius generis afferunt. Primus eius, quem descripsi, locus patefacit, quatuor decimo tertio Saeculo per Franciam vniuersam diffusas fuisse, praeter Dominicanos et Franciscanos fratres, familias, quae per simulationem studii pietatis alieno labore, quam suo, alimenta sibi parare maluerint, et mendicitatem gloriae duxerint. Primae sectae nomen deest: vix tamen dubitabis, si cum aliis locis hunc conferas, id quod supra iam indicaui, *Trutannos* intelligi debere. Alias enim quum diserte hos

*) p. 332.

hos homines nominet, nec modo inter eos referat, qui mendicando necessitatibus suis consulebant, verum etiam a *Beguinis* distinguat; magno id nobis argumento esse debet, illos in hac generali distributione familiarum mendicantium ab eo non omitti potuisse. Vocabulum *Trutannus* in illorum temporum scriptoribus non est insolens. Habet bis, vel ter, CAESARIVS HEISTERBACENSIS: *Asserebat sibi,* inquit *), *frater Godofredus, a quodam Monacho Claraevallis bene noto relatum, quendam Clericum actu* TRVTANNVM, *quales per diuersas vagari solent prouincias, venisse ad Claramvallem, non quidem zelo ordinis, sed vt aliquid monasterio raperet sub pallio religionis.* Alio eius loco mulier maritum suum his verbis compellat **): *Saepe ab huiusmodi* TRVTANNIS (agitur de mendico, miserum se simulante) *illusi estis, et adhuc a superstitionibus vestris non cessatis?* Adhibet idem vocabulum ROBERTVS a SORBONA ***): *Scis, quod* TRVTANNI *infirmi et pauperes ostendunt transeuntibus membrum magis morbosum, vt eos ad misericordiam et compassionem sui alliciant.* Habent plures alii, praeter hos, quos CAR. du FRESNE indicat ****). Qui CAESARIO, Antwerpiae edito, *vocabulorum* obsoletorum *explicationem* praemisit, editor, vt puto, IOH. FISCHERVS, nomen id esse tradit hominis *verbis alios in fraudem impellentis, et decipientis.* In quo eum fallit opinio †). Nam qui

*) Dialogor. de miraculis, lib. I. c. III. p. 4. ed. Antwerp. supra descriptae.

**) Lib. VIII. miraculor. c. LVIIII. p. 510. ed. Antwerp.

***) In Tractatu super confessione, Tom. V. Biblioth. Patrum, Paris. p. 1472.

****) Glossar. Tom. VI. voce *Trutanus*, p. 1327. qui notionem verbi non prorsus assequutus est. Magis enim aliquid, quam *Erronem* et *mendicum* significat.

†) Populari sermone dicebantur *Truants*, qui hic *Trutanni*: cuius vocabuli notionem et originem explicare studet, parum quidem feliciter, vt puto, STEPH. PASQVIER *Recher-*

qui et GVIL. de S. AMORE, et reliquos, qui hic excitantur, locos diligentius consideraverit, is haud difficulter sentiet, *Trutannum* mendicum esse, qui simul se miserabilem, et atroci quodam malo affectum esse perhibet, membraque, quod et hodie multi solent, vel monstrosa, vel excisa, viatorum oculis obiicit, vt animos eorum citius ad misericordiam commoueat. Horum hominum *infinita erat*, quum GVILIELMVS viueret, *in Francia multitudo:* at multi erant inter eos nebulones, qui, quum *validi corpore* essent, graues tamen morbos fingebant, vt populum argento emungerent.

§. X.

Altera secta, quam *Bonorum Valetorum* noster appellat, difficilius paullo e latebris suis elicietur, quoniam, quod meminerim, nihil alias scriptum aliquid de ea legi: sed elicietur tamen, illustrataque res *Beguinorum* et *Beguinarum* vicissim illustrabit. Erat illa ordo quidam religiosus, quod ex GVILIELMI verbis planum est, verum priuato tantum consilio institutus, non publica Romani Pontificis auctoritate munitus. Vt *Beguinarum* societas ex virginibus maximam partem, ita haec ex iuuenibus erat composita, qui non omnem quidem laborem recusabant, nec publice mendicabant, at inertiae tamen plerumque dediti erant, et, quo precibus tanto liberius studere possent, aliorum liberalitate sustentari volebant. Numero et multitudine *Beguinis* foeminis inferiores erant: quod inde intelligi satis posse arbitror, quia GVILIELMVS, qui *Trutannis* et *Beguinis* Franciam totam refertam esse scribit, de *Bonorum Valetorum*

Recherches de la France, Livr. VIII. c. XLII. p. 833. s. Tom. I. Opp. Deriuat enim a vocabulo *Trus*, quod antiquis Francis idem erat, quod *tributa*. Aliam notationem aeque creditu difficilem profert PETR. de CASENEUVE Origines Françoises, p. 98.

rum copia plane filet. Denique vili et parum nitente veste tecti incedebant; pretiosaque vestimenta mentis a Deo auersae signum esse, censebant. Quinam igitur hi homines? Dicam verbo, quod probari posse confido: Sunt illi ipsi, qui alioquin *Beghardi*, corrupte a Belgis *Bogardi* appellantur, *Beguinarum* commilitones, opifices nimirum, in primis textores, qui in certas secedebant domos, quo religioni et precibus intentius operam darent, et communi quadam lege sibi scripta, horas quidem, quas sibi a piis contemplationibus vacuas relinquebant, manuum laboribus fallebant, at inopiae tamen suae subsidia a bonis viris siue postulabant, siue expectabant. In hanc sententiam non ea modo me inducunt, quae de *Bonis Valetis* suis refert GVILIELMVS, talia nimirum, vt in *Begardos* illos, quos dixi, aptissime cadant, verum etiam ipsum *Boni Valeti* nomen, quod *Beghardis* illis aliquando proprium fuit. *Valetus*, seu, vt alii et scribunt, et pronuntiant, *Varlet*, veteri Francorum sermone non, quod hodie, *seruum*, aut *ministrum*, sed *iuuenem*, *puerum*, *infantem*, significabat, tantumque habebat olim dignitatis, vt ipsorum etiam Imperatorum et Regum iuniores filii *Valeti* nominarentur. Id PETRVS de CASENEUVE plurimis testimoniis planum certumque reddidit *). *Boni* ergo *Valeti* iidem sunt, qui *Boni pueri*, *siue iuuenes*, *infantes*. Quamquam quid vel diuinatione, vel longa demonstratione opus est? Adest, qui auctoritate sua hoc confirmet, omni maior exceptione, LVDOVICVS SANCTVS, Francorum Rex, quippe qui, quos *Bonos Valetos* noster GVILIELMVS, eosdem in *Testamento* suo *Bonos pueros* nuncupat. Vti enim omnes ordines religiosos, et quaslibet sectas, sanctitatis quadam specie

*) *Origines Françoises*, quae AEGIDII MENAGII *Dictionaire Etymologique de la langue Françoise*, additae sunt, p. 99. *Paris 1694. fol.*

ornatas, et in his *Beguinas,* haeredes suos ex parte scribit: ita et *Bonis Valetis* portionem quamdam argenti legat *): *Item legamus* BONIS PVERIS *Paris. LX. libr. et minutis scolaribus Paris. CI. libr. per Priorem Fratrum Praedicatorum et Guardianum Fratrum Minorum Paris. distribuendas.* Quibus in verbis duo obseruatu digna sunt; Primum, quod pecuniam istam distribui iubet inter *bonos* illos *pueros:* Alterum, quod hanc distributionem Praefectis Monachorum mendicantium committit. Illud enim pueros istos declarat bona sua et dona non habuisse communia, sed propria singulos quadra vixisse, vnam licet domum incolerent, et societatem quamdam constituerent. Hoc, eosdem in tutela Dominicanorum et Franciscanorum fuisse, indicat: quod quidem non modo aperit, vnde factum sit, vt plurimi eorum postea ad tertiam vtriusque ordinis regulam accederent, verum etiam ostendit, quae ratio infensissimo Dominicanae familiae hosti, GVILIELMO de S. AMORE, fuerit, publice eos accusandi. Atqui illi ipsi *Beghardi* siue *Bogardi*, quos dixi, ab illis, qui Latine loquebantur, *Boni pueri* primum nominabantur. Eius rei quum multi testes proferri queant, ego binos tantum, ne temere longus sim, sistam, verum locupletes, et rerum monumentorumque priscorum insigni peritia praeditos. Alter est ANTON. SANDERVS, qui ex DAMHOVDERII libro, nescio quo, haec sumit, et ipse approbat **): *Fuerunt annis abhinc trecentis tredecim textores, viri coelibes, laici, pietatis studio religiosi, qui — — — — fundum quemdam cum amplis commodisque aedibus — — — sibi compararunt. In qui-*

*) Testament. Ludouici S. in CL. MENARDI Obseruationibus ad JOINVILLII Histoire de S. Louis. p. 403. edit. Cangii, Paris. 1668. fol. et ANDR. du CHESNE Scriptor. rerum Francic. Tom. V. p. 439.

**) Rerum Brugensium Lib. IV. cap. XI. p. 265. in *Flandria* eius illustrata, Colon. 1641. fol. maiori edita.

quibus — — — in fraternitatis pia quadam societate coniuncti morabantur. Cuius caussa statim auspicatum charitatis nomen, fratres textorum, sortiti sunt. Postea vero dici coeperunt BONI PVERI *Bogardici.* Alter est IO. BAPT. GRAMAYVS, qui de iisdem *Beghardis* differens: *Fratres textorum,* inquit *), *primum, et denique* BONI PVERI *Bogardici vulgo audiebant.* Appellationem hanc in vicina Francia natam esse, atque hinc in Belgium migrasse, GVILIELMI nostri auctoritate edocemur. *Beghardorum* quidem nomen iamdudum, quum hic scriberet, inuentum erat, quod, quum res et locus postulabunt, testatum faciemus: verum in Franciam id sero, nec ante decimum quartum saeculum, inuectum esse ex Belgio et Germania videtur, nec vmquam peruulgare fuisse. Maluerunt Franci, terminationi illi Teutonicae parum adsueti, eos, quos Germani et Belgae *Beghardos* appellabant, *Beguinos* vocare: quamquam et hoc non ante saeculi decimi tertii exitum factum est. Certe ROBERTO de SORBONA et GVILIELMO de S. AMORE viuentibus, id est, medio, quod diximus, saeculo, nondum *Biguinorum* nomen huic generi tribuebatur, sed communis nota erat hominum, qui sanctitatis opinione antecellere aliis cupiebant, quos a *Bonis Valetis* aperte GVILIELMVS segregat. Deficiente vero saeculo, A. 1287. Tolosae domum siue Collegium *Bequinorum* fundatum esse, compertum habeo. Auctor est GVILIELMVS CATEL, non ignobilis antiquitatum Galliae Narbonensis scrutator. Is tertii ordinis S. FRANCISCI sodales illud Tolosae domicilium occupare scribit, quod olim *Bequini* fratres tenuerint: esse illud A. 1287. constructum: Se quidem fundationis non vidisse litteras, accepisse vero a multis, fratres illos nomen habere a conditore domus, BAR-

*) In Antiquitt. Gallico-Brabanticis, in Bruga, P. IV. c. XIII. p. 108.

THOLOMAEO BEQVINO, ciue Tolosano: quam ille sententiam confirmat magis, quam reiicit. Ex antiquis enim tabulis se didicisse addit, olim Tolosae familiam quamdam, *Bequinorum* vocatam, floruisse *). Ex his si ea demas, quae de tempore dedicatae domus *Bequinorum* Tolosanorum memorat, reliqua mediocri virum eruditum religiosae vetustatis cognitione valuisse, testantur. Ignorauit, quinam essent *Bequini*: neque notiores ei fuerunt *Bequinae*, quarum duo collegia quondam Tolosae extitisse, statim subiicit. *Bequinos* autem eius *Bonos* esse *Valetos*, siue *Begardos*, cum ex vicinitate *Bequinarum* manifestum est, tum ex eo, quod sodalitatis vinculo coniuncti vnam domum incoluerunt: alia vt omittam eius rei argumenta, quae *Beghardorum* Historia suppeditabit. Nesciuit idem vir doctus, qua de caussa euenerit, vt tertii ordinis S. Francisci fratres in *Bequinorum* locum successerint: quod praeterire eos haud potest, qui sciunt, magnam *Beghardorum* partem, quo aduersariorum criminationes amoliretur, et securitatem sibi pareret, S. FRANCISCI sodalibus, siue vere, siue simulate, adscribi sese passam esse. Quae de BARTHOLOMAEO, ciue Tolosano, *Bequinorum* patrono, ex aliorum ore refert, non forte prorsus a vero abhorrent: quod vero ab hoc homine *Bequinos* nomen suum accepisse non improbabile censet, in eo insignem errorem admittit. Credibile potius est, ciuem illum cognomen suum *Bequinis* debere, atque hoc, vt fieri quondam solebat, ad posteros eius transiisse. BARTHOLO-

*) Memoires de l'Histoire de Languedoc, Livr. II. p. 219. Tolosae 1633. fol. *Les Religieux du tiers ordre de S. François sont aujourdhui au lieu, où étoit anciennement les Religieux nommés* Bequins. *Quelques uns croyent, qu'ils ont pris ce nom, parce que* Bartelemy Bequin, *Bourgeois de Toulouse, les fonda en l'an 1287. Je n'ai jamais vû la fondation. J'ay bien remarqué dans des vieux Actes, qu'il y avoit une famille à Tholouse, nommée de* Bequin.

LOMAEVS ille, vti arbitror, quod plurimos fecisse notum est, domum suam *Beguinis* fratribus possidendam dabat, ipseque pio quodam instinctu in eorum sese numerum aggregabat: quam ob rem populus eum *Beguinum* nominabat. Quicquid est, hoc CATELII diligentia nos docuit, qui antea *Boni pueri*, seu *Valeti*, dicebantur, eos labente saeculo decimo tertio, vti aliis in Europae partibus, ita in Francia, *Beguinorum* iam nomen adoptasse. Antea iidem etiam inter Francos alio; sed eiusdem, cuius *Valetus*, potestatis vocabulo *Infantes*, *Bons Enfans*, vocabantur. PETRVS ALENCONSVS, LVDOVICI SANCTI filius, in *Testamento* *), quo parentis sui liberalitatem erga sacrum ordinem imitatur: *Au boens Enfans de Paris*, ait, *quarante sous*. Quae in aliis etiam antiquis monumentis passim occurrit appellatio.

§. XI.

Ad *Beguinas* nunc transimus, quibus GVILIELMVS tertium locum inter sectas tribuit, quae Christianae pietatis obtentu otiosam vitam consectabantur. De his ille multo plura passim, quam de BONIS PVERIS, seu *Beghardis*, conqueritur, quoniam et maior earum, quam illorum, multitudo inter Francos versabatur, et quotidiana earum cum sacerdotibus, et Monachis mendicantibus consuetudo, haud parum offensionis viris bonis et honestis praebebat. Quaecunque vero de illis commemorat, ea dubitare nos haud patiuntur, easdem ab eo mulieres intelligi, quae hodie adhuc *Beguinarum* nomen, in Belgio potissimum, retinent, virgines et viduas, quae, nubendi licet voluntatem non omnino deposuissent, nec intra claustra tenerentur, castitatis tamen, sanctitatisque supra ceteras studiosae videri volebant, idque cum amicitu,

*) CHARLES du FRESNE Histoire de S. Louis, par Joinville, p. 184.

ctu, tum moribus et sermone testabantur. *Beguinae* eius (I.) Religiosis, quas vocant, familiis non erant adscriptae, nec lege Pontificia *saeculo*, vt aiunt, *exemtae*, verum, vt verbis eius vtar, *in saeculo existebant*. (II.) At Lutetiae tamen Parisiorum, et aliis in Franciae vrbibus, in certas domos secesserant. (III.) Vestes pretiosas et splendidas sine animae periculo gestari posse negabant. Eaque re (IIII.) vestibus ipsae vtebantur vilibus et sordidis, capillosque sibi amputabant. (V.) Non amictus tantum, verum morum etiam et institutorum insolentia populi oculos in se conuertere, et sanctitatis sibi opinionem conflare nitebantur. (VI.) Verbis porro superstitiosis et a communi loquendi more abhorrentibus famam sublimioris sapientiae aucupabantur. Librorum nempe, quos *mysticos* nominant, lectione mulieres illae animum pascere plerumque solebant: ex quibus non modo dicendi formas adsciscebant reconditas, et peregrinum quiddam et abstrusum sonantes, sed etiam, quod infra videbimus, opiniones vehementer perniciosas et sanae religionis praecepta euertentes. (VII.) Viros supra ceteros pietatis erga Deum studio sese efferentes, siue *Beguinos*, et in his Dominicanae in primis et Franciscanae familiae sodales, crebro ad colloquia admittebant: fortassis et inuitabant: Dei enim amicos diuelli nullo modo debere adsueuerabant, et sanctorum virorum consolationibus, exhortationibus et institutione se in illo sanctioris vitae statu, haud indigere posse. (VIII.) Ex viduis constabant et virginibus, quarum pleraeque iuniores erant. (VIIII.) Inter viduas illas quaedam suis ipsae opibus sese Monachorum instinctu priuauerant, vt itinere ad coelum magis expedito vterentur: quarum necessitatibus illi, quos ditauerant, Monachi ex piorum hominum liberalitate subueniebant, quo sine labore in *Beguinarum* domiciliis viuere possent. (X.) Non omnes quidem a labore auersae erant: at maxima tamen pars otium vitaeque tranquillitatem sectabatur, ac, quo rerum diuinarum contemplationi

tioni et precibus tanto acrius sese tradere posset, beneficiorum hominum auxilium tacite implorabat. Cui desiderio sacerdotes et Monachi, cum quibus necessitudo illis erat, ita subueniebant, vt multa illis munera et beneficia a ditioribus impetrarent. (XI.) Magna erat earum in populo, nomine sanctitatis, quam sermone, vestitu, consuetudine ostentabant, existimatio: quod impedimento illis erat, ne vitia sua cernere possent. Collige haec omnia, et ante oculos tibi pone, et ipsas illas sorores *Beguinas* videbis, quae a saeculo potissimum decimo tertio per magnam Europae partem floruerunt, et potentiorum vtriusque sexus hominum auctoritate et opibus, magna licet flagrarent inuidia, mirifice amplificatae sunt. Vnde tantus harum mulierum, quae nec obedientiam, nec paupertatem, nec perpetuam castitatem vouebant, in Francia tum temporis prouentus esset, non quaeret, cui LVDOVICVS VIIII. siue SANCTVS haud incognitus est. Hic nimirum Rex mirabili erat erga eas voluntate, nec viuens modo, sed etiam moriens, opportunitatibus earum consulebat. Auctor est THOMAS CANTIGRATANVS, celebris Dominicanae familiae scriptor, quem A. 1280. diem obiisse accepimus, maximam ab eo *Beguinarum* multitudinem Lutetiae Parisiorum congregatam esse. De sorore enim Regis postquam loquutus erat: *Sed et ipsius frater*, addit *), *Rex deuotissimus, Ludouicus, in tantum amplectitur virgineae dignitatis pudicitiam conspectantes, vt Parisiis collegerit Beguinarum maximam multitudinem, vt se in humilitatis obsequiis exerceat et saluti.* Haec et confirmat, et interpretatur GAVFRIDVS de BELLO LOCO, Dominicanus pariter, qui de vita LVDOVICI, Heri

*) in Bono vniuersali de apibus, in quo ex mirifica apum republica, vniuersa vitae bene instituendae ratio traditur, Lib. II. cap. XXVIIII. p. 319. edit. GEORGII COLVENERII, Duaci 1627. in 8.

Heri sui, commentarium reliquit: *Domum*, ait *), *insuper Parisiis honestarum mulierum, quae vocantur* BEGVINAE, *de suo acquisiuit, et eisdem assignauit, in qua religiose et honeste conuersantur circiter quadringentae: et pluribus exceptis, maxime pauperibus nobilibus, quamdiu viuerent, de sustentatione prouidit. Similiter in pluribus aliis regni sui ciuitatibus atque castris, dictis* BEGVINIS *domos ad habitandum prouidit.* Promit hunc locum, qui de *Beguinis* nonnulla, quamquam sine studio, disputat LVDOVICVS THOMASSINVS **), verum mutilum, et meliori sui parte, nescio qua de caussa, truncatum, et secus, atque verborum euidentia fert, explicat. Efficit enim ex eo, LVDOVICVM et quadringentas illas Parisienses *Beguinas*, et reliquas, per vniuersam Franciam fusas, aluisse. Quod quidem et *Beguinarum* instituto, quae suo sumtu viuere, si quidem possint, iubentur, et disertis scriptoris verbis repugnat: qui LVDOVICVM perhibet pluribus tantum ex Parisiensibus *Beguinis*, maxime nobilibus paupertate oppressis, alimenta suppeditasse, ceteris nil, praeter domicilium, seu diuersorium, praebuisse. Cui prorsus congruunt, quae Rex optimus in *Testamento* de *Beguinis* suis accurate praecipit. Primum domui earum, quas Lutetiae collocauerat, prouidet; deinde permediocrem argenti summam non vniuersis, sed pauperioribus tantum, numerari iubet ***). *Item legamus ad aedificandum et ampliandum locum Beginarum Paris. C. libr. et ad sustentationem pauperiorum ex ipsis XX. libr.* Hinc ad reliquas, in regno suo passim degentes, progredi-

*) de vita et conuersatione S. Ludouici, Regis, in ANDR. du CHESNE scriptoribus Historiae Francicae, Tom. V. p. 452.

**) Veteri et noua ecclesiae disciplina circa beneficia, Tom. I. Lib. III. c. LXXII. §. XI. p. 840. ed. Lugd. 1706. fol.

***) Testament. Ludouici S. in ANDR. du CHESNE Scriptor. Hist. Franc. Tom. V. p. 439.

greditur, quibus centum libras vult distribui; nec tamen sine delectu omnibus, verum pauperibus: *Item legamus pauperibus mulieribus Beguinis in regno Franciae constitutis, C. libras, per bonos viros, quos ad hoc executores nostri viderint ordinandos, distribuendas.* Ex his nominatim eximit Cantipratenses: *Item pauperibus Beguinis de Cantiprato iuxta Cameracum, XXXX. libras.* Cantipratense BEGVINARVM domicilium non ipse LVDOVICVS condiderat, verum ISABELLA de FLEQVIERES, illustris foemina, quae ipsa magistrae, seu praefectae munus in illa suscepit, et ad A. 1268, quo decessit, obiit *). Verum Rex impense mulieribus in eo commorantibus fauebat, quia eximiam praeter ceteras ordinis sui, virtutis et sanctitatis existimationem sibi pepererant: cuius beniuolentiae testes adhuc extant eius litterae A. 1255. mense Februario Lutetiae Parisiorum datae, quibus insigni eas beneficio afficit **). Ipse GREGORIVS VIIII. Pontifex Maximus, adeo bona earum fama capiebatur, vt singulari eas epistola, quam MIRAEVS habet ***), amplissimis laudibus honestaret, et vna cum omnibus bonis, quae habebant, S. PETRI, suoque patrocinio contra quosuis insectatores communiret. Numero praeterea Cantipratenses Beguinae Parisienses multum vincebant. Ferunt, olim mille et trecentas ibi vixisse ****): quod si forte minus credibile videatur, id tamen dubitatione vacat, diu ante mortem LVDOVICI SANCTI non mediocrem Cantiprati mulierum eius generis multitudinem confluxisse. Legitur apud MIRAEVM †) GODEFRIDI de FONTANIS, Cameracensis antistitis, epistola mense Ianuario

*) AVB. MIRAEI Opera Diplomatico-Historica, Tom. III. p. 398.

**) MIRAEI Opp. Diplomat. Tom. III. p. 399.

***) l. c. p. 397.

****) l. c. p. 398.

†) l. c. p. 397. 398.

tio A. 1235. data, qua facultatem BEGVINIS iſtis concedit, domum extruendi, qua pauperrimae et aegrotantes a reliquis ſecludantur: cuius permiſſionis hanc ſibi cauſſam fuiſſe ſignificat, *quod prae numeroſa multitudine mulierum ibi ſimul in domunculis habitantium, tanta contiguitate conſtructa ſunt earum cubicula, quod, aliqua earum aegrotante, aliae de neceſſitate aut infirmentur, aut ſopore priuentur.* Haec non omittenda eſſe duxi, ne obſcurum videretur, qua re LVDOVICVS inductus fuerit, vt Cantipratenſium ſigillatim Beguinarum rationibus conſuleret, et magis illis munificum ſe praeberet, quam Pariſienſibus, quarum tamen parens veluti erat. Poſtremo idem Rex in *Teſtamento* cauet, ne quae *Beguinis*, paſſim in prouinciis degentibus, decreuerat, annua ſtipendia ipſis, ſe vita functo, ſubtraherentur. *Volumus inſuper et praecipimus, vt prouiſionem, quam fecimus, quibusdam honeſtis mulieribus, quae* BEGVINAE *dicuntur, in diuerſis ciuitatibus et villis religioſe degentibus, ſeruet et teneat haeres noſter, qui nobis ſuccedet in regno, et eam ſeruari faciat, et teneri, quamdiu vixerit earum quaelibet: quae videlicet aſſignatae non fuerint alias competenter.* Hoc regis iuſſum, mea quidem ſententia, ad illas potiſſimum *Beguinas* pertinet, quae a collegiis ſemotae, aut in paternis, aut propinquorum aedibus viuebant: neque enim, quod harum rerum peritos fugere non poteſt, neceſſe erat, illis temporibus, vt omnes, quae hoc inſtitutum amplectebantur, in publicas aedes migrarent, *Beguinis* dicatas: plurimae in priuatis domiciliis, aut inter familiares et cognatos, aut in paucarum ſororum contubernio verſabantur. Eam vero opinionem non modo id mihi ſuadet, quod LVDOVICVS eas *Beguinas*, quarum annua ſalaria vetat tolli, a ſuperioribus longo ſatis interuallo disiungit, ſed etiam hoc, quod easdem et in vrbibus, et in *villis* degere tradit: ruri enim, et in villis, hoſpitia eiusmodi, *Beguinarum* ſocietatibus apta, non ſolebant exſtrui, ſed tantum in

vrbi-

vrbibus. Aemuli propensissimae huius voluntatis erga mulieres, in quibus eximium pietatis studium esse videbatur, erant LVDOVICI filii. Regni haeres, PHILIPPVS III. *Audax* cognominatus, in *Testamento* suo, A. 1285. condito, quod LVDOV. DACHERIVS vulgauit *), longe pinguiori, quam parens, beneficio Parisienses *Beguinas* afficit: neque reliquas praeterit: *As poures Beguines de Paris six cens lib. turn. As autres poures Beguines en nostre domaine C. lib. turn. a departir par nos executeurs.* Alius filiorum LVDOVICI, PETRVS, Comes Alenconi, quem A. 1282. viuis excessisse constat, magna satis pariter munera, pro facultatum suarum modo, illis erogari iubet **): *Aus Beguines de Paris cent sous, et requerons Messes et Oroisons pour nous. Aus pouvres d'Avaucerre* (d'Auxerre), *a Cambrai* (hae sunt Cantipratenses illae, patri eius in primis carae), *a Nivelle, a Doai, et a Liege soissante lievres et leurs requerons devotement Messes et Oroisons pour nous.* Quae verba cum alia quaedam habent, quibus commode vtatur Historiae Beguinarum scrutator, tum testatum attento lectori faciunt, *Beguinas* post LVDOVICI SANCTI obitum, tam Parisienses, quam reliquas, opibus, dignitate et numero creuisse. Poscit nempe PETRVS ab illis diserte non preces modo, verum etiam *Missas*: idem genitor eius, LVDOVICVS, haud fecerat. Ex quo luculenter, vt arbitror, apparet, quum LVDOVICVS vita exiret, nondum proprias aedes, siue templa, domiciliis suis adiuncta, et sacerdotes habuisse BEGVINAS Francicas, vt sacra facere Deo possent pro salute aeterna patronorum suorum: his vero commodis, LVDOVICO vita functo, vti aliis in provin-

*) In Spicilegio Chartarum et documentor. veter. Tom. III. p. 691.

**) In Testamento, quod CAROL. du FRESNE cum JOINVILLII Historia Ludouici S. edidit, p. 183.

vinciis, ſic et in Francia, auctas fuiſſe. Verum breuis haec fuit felicitas: nec ſequentes Francorum Reges tam propitio in iſtas mulieres animo fuerunt: quare paullatim, quod ſuo loco docebitur, magnam exiſtimationis ſuae iacturam fecerunt, poſtremo deletae prorſus ſunt, et ad alias familias honeſtiores transierunt.

§. XII.

Quarta et poſtrema ſectarum, quas patria ſua GVILIELMVS de S. AMORE exturbari volebat, omnium erat perniciofiſſima. Ceterae tametſi labori ſeſe aut omnino, aut quantum poſſent, ſubducebant, et auxilia vitae ab aliis poſtulabant; haud tamen labores obſiſtere putabant, ne quis vir bonus et Deo gratus eſſet, neque a vitae negotiis et ſtudiis homines auocabant, et vnice pietatis officia exſoluere iubebant. Haec vero, gens ſine dubio delira et ratione capta, otium et ceſſationem, tamquam rem valde iis neceſſariam, qui Deo coniungi vellent, commendabat, atque diuinarum rerum meditationi et precibus totum vitae tempus dari volebat: cui praecepto quum multi formidinem famis et penuriae opponerent, promittebant, fore, vt agri ab ipſo Deo fecundarentur, plusque fructuum ſponte hominibus aſſidue Deum deprecantibus ferrent, quam laborioſiſſimis cultoribus ſuis reddere ſolerent. Eſt in his tantum vecordiae, vt vix dubitem, fore multos, qui GVILIELMVM fabulam narrare iudicent, aut a ſe inuentam, vt periculi a ſanctis mendicis rei publicae imminentis magnitudinem exaggeraret, aut temere et turpiter creditam. Sed quibus res temporum illorum perſpectae ſunt, illi nihil cauſſae reperient, cur viri optimi fidem in ſuſpicionem vocent. Plena erat non diu poſt eius aetatem Germania hominibus, qui eadem, quae ille refert, portenta circumferebant, et plurimis licet conciliorum decretis, Pontificumque legibus, poenis etiam tam ſacris, quam ciuilibus, coercerentur, pertinaciſſime tamen contendere

per-

pergebant, occupationibus et laboribus summum illud christiani hominis bonum, sanctam quietem, mente excuti et amitti, nosque non negotiandi, sed otiandi caussa, in lucem editos esse. Comparebunt hi sanctae ignauiae patroni infra inter illos, quos communi *Beghardorum* nomine maiores nostri notare solebant. Neque aliis in Europae prouinciis, quod, si res posceret, ostendi facile posset, vmquam similis ingenii nugatores defuerunt: ex quo *Theologia* illa, quam *Mysticam* nominant, in debiles animos sese insinuauit. Nam qui sapientiae huius magistris hoc crediderunt, contemplando et quiescendo vnice, non agendo, supremam felicitatem parari, illi simul planum sibi et commodissimum iter ad hanc sententiam aperuerunt. Beatum fieri neminem posse operosum, et vel molientem, vel agentem aliquid. Tenera ceterum et noua erat, quum GVILIELMVS scriberet, haec quarta secta in Francia, Lutetiaeque tantum caput efferre incipiebat, quum reliquae et per vniuersum regnum distributae essent, et asseclis abundarent.

§. XIII.

Ab his quatuor familiis, quae pietatis specie ignauiam suam obtendebant, clarissime GVILIELMVS noster segregat BEGVINOS viros: quo nomine omnis generis et ordinis homines promiscue ab eo intelligi, qui pietatis praeter ceteros amantissimi volebant videri, et vultu, vitae rationibus, sermone atque vestibus hunc animum declarabant, omni vacat controuersia. Erant inter illos sacri ordinis viri, siue sacerdotes. Quosdam enim eorum perhibet, *a mane vsque ad vesperam confessiones Beguinarum audire*: quod nullis licebat, nisi sacerdotibus, seu, vt ipse ait, *presbyteris*. Alii Monachorum familiis, et nominatim *Praedicatorum*, siue Dominicanorum sodalitati adscripti erant: eos enim sigillatim redarguit, qui *Beguinis* Monachis, et maxime *Praedicatoribus*, id vitio dari nullo modo posse contendebant,

quae ad *Beguinarum* sese familiaritatem applicarent, etsi iurnalis sacerdotes regulis et votis haud constrictos, ista cum foeminis quotidiana consuetudo dedeceret. Neque Franciscani desiderabantur inter illos: quos quidem vnice tangit, quum demonstrat, S. FRANCISCI *Regulas Beguinos* non modo *Monachorum*, verum etiam *Beguinarum* domiciliis excludere. Nec enim vel sacerdotes, quos *saeculares* nominant, vel Dominicani, per S. FRANCISCI praecepta, aliis nimirum scripta, neglecti officii commoneri poterant. Diserte praeterea *Beguinos*, loco quodam ex illis, quos descripsimus, distribuit in *Saeculares*, et in *Regulares*. Profanae denique multitudinis quosdam in illa *Beguinorum* turba, quam insectatur, fuisse, quum id ex omnibus fere locis euidenter intelligi possit, non opus est, vt planum faciam. Quilibet igitur, cuiuscumque demum esset conditionis, qui se diuinarum magis, quam humanarum, rerum amore duci, quodammodo profitebatur, *Beguinus* vulgo salutabatur. Atque istam appellationem plerique, tam viri, quam foeminae, quibus imponebatur, non abominabantur, sed potius tamquam honestissimam, et instituto suo in primis conuenientem amabant. Originem eius *Beguinae*, et sine dubio cum his *Beguini*, verae nimirum eius significationis ignari, ex Latino sermone repetebant. *Beguinas* enim, quod testatur GVILIELMVS noster, aut ipsum Romanum vocabulum *Benignas* esse volebant, pronuntiando leuiter corruptum et immutatum, aut ex binis vocabulis, *Bonus* et *ignis* concretum esse, et hominem designare *bono*, id est, diuino *igne tactum*, seu *ignitum*, tradebant. Vtraque originatio lepida est, et barbariei tum dominantis specimen: at hoc tamen testatum reddit, non puduisse *Beguinos* nominis sui, verum id curasse eos, vt nobilitatem et praestantiam vocabuli populo persuaderent. Quae res ex eo quoque roboratur, quod ipsi vitae suae formam nomine *Beguinagii*, quod superstitione non carere GVILIELMVS dicit,

dicit, commendare veluti, et tamquam praeclarum, Deoque in primis gratum, praedicare volebant. Omnes hi *Beguini*, valde licet inter se differrent, hoc tamen commune habebant, quod se mulieribus sui nominis, siue priuatim illae, siue publice, in certis domibus viuerent, studiosissime adiungebant, officiorumque suorum non postremum putabant, istis sororibus suis consilio, institutione, solatio perpetuo adesse. Omnes etiam talem et loquendi, et agendi modum adhibebant, qualem personae, quam sibi imposuerant, conuenire iudicabant, nouum, singularem, a populari dicendi et viuendi consuetudine abstractum. Illi generis huius, qui de Monachorum mendicantium gregibus erant, auctoritate, qua valebant, sic vtebantur, vt quas sibi potissimum amicas elegerant, ex patronorum suorum thesauris alerent, ne laboris illae molestias subire cogerentur. Nam *Beguinae* sorores, quod deinceps videbimus, non publico aedium, in quibus versabantur, sumtu, sed aut propria industria, aut aliena munificentia vitam tolerabant. Quicumque *Beguinorum* sacro non erant ordini initiati, illi vestimentorum rudi, impolita et insolenti forma oculos populi alliciebant, seque deliciis et illecebris omnibus nuntium misisse indicabant. Certum nimirum est, quae de vestibus *Beguinorum* superstitiosis et insolitis GVILIELMVS monet, ea nullo modo ad Monachos et sacerdotes trahi posse, vtpote quibus vestimenta institutis suis propria, mutare non erat integrum.

§. XIIII.

Quum vocabuli *Beguinus* potestas tam late pateret, omnesque pietatis eminentioris professores comprehenderet, nulli mirum accidere potest, si *haereticos* quoque audiat eo insignitos fuisse. Quotus enim quisque est, qui nesciat, omnes illos, quibus, ab vndecimo Saeculo, Romana ecclesia notam haereseos inussit, tam sapientes et bonos, quam insipientes, saeculi sui, maxime sacer-

dotum, flagitiis et improbis moribus vehementer offenſos ad pietatis ſeſe ſtudium contuliſſe, idque vna cum odio Romani Pontificis, eiusque aſſeclarum quanto poterant labore propagaſſe? Fatentur id iidem illi, qui alioquin ferro et igne miſeros homines extirpare, nitebantur, nec diſſimulant, continentiam eorumdem, voluptatum et diuitiarum deſpicientiam, laborum et aerumnarum patientiam, ceterasque virtutes, plus valuiſſe ad populum ipſis conciliandum, quam dogmata, quae laudabant, et eloquentiam. Hinc GODOFREDVS, S. Pantaleonis apud Coloniam Monachus, cuius *Annales* inter rerum Germanicarum ſcriptores leguntur, quoties *Albigenſium*, maximi nominis haereticorum inter Francos, meminit, *Begginos* eos, nulla alia nota addita, compellat. *Abbas,* inquit ad Annum 1209 *), *Ciſtercienſis et alii Abbates eiusdem ordinis iterum a Papa in Prouinciam conuertendi gratia* BEGGINOS *ad fidem mittuntur, ſed ab eis contemti ſunt.* Ad ſequentem annum 1210. ita loquitur: *Eodem anno hortatu Apoſtolici plurima multitudo ex omni Francia, Anglia, et Lotharingia cruce ſignati, ad eosdem* BEGGINOS *profecti ſunt. Qui doctoribus et rectoribus, Abbate ſcilicet Ciſtercienſi, et Simone Comite de Montſort ad Toloſam deducti, eam obſidione cinxerunt.* Ad A. 1211 **). *Ipſo anno multitudo nobilium ex diuerſis partibus cum turba innumerabili ad* BEGGINOS *iterum profecti.* Ad A. 1212. *Eodem anno multitudo populi ex omni Saxonia, et Weſtfalia, et Friſia, et diuerſis partibus, cruce ſignati, ad expugnandos* BEGGINOS *proficiſcuntur.* Ad A. 1213 ***): *Simon de Monteſort cum Chriſtianis, qui ei in auxilium venerant, Toloſam ciuitatem contra comitem S. Aegidii et* BEGGINOS *profectus,* bel-

*) In MARQVARDI FREHERI Scriptor. rer. Germanicar. Tom. I. p. 279.

**) l. c. p. 280.

***) l. c. p. 281.

bellum instituit. Vbi, congressione facta, Rex Arragoniae, qui BEGGINIS *in auxilium venerat, occiditur, et Christiani victoriam consequuntur.* Non indigent hi loci interpretis apud eos, qui vel leui Historiae Christianae notitia imbuti sunt: patet etiam, *Begginus* in illis *haereticum* in vniuersum significare *pietatis simulatorem.* Tolosani scilicet illi, ad quos opprimendos tanta turba proficiscebatur, in vitia, sacerdotum in primis, vehementer declamabant, sibique duram valde ac difficilem vitae regulam ferebant. Eodem, quod res ipsa docet, sensu *Beguini* vocabulum accipi debet in illis, quae Benedictinae familiae Monachi, *Galliae Christianae* Historici, in JOHANNIS II. Magalonensis antistitis vita, nescio vnde sumta, referunt *): *Petro* BEGVINO *eiusque assectis A.* 1176. *impia dogmata spargentibus, Theologorum synodum in eos conuocauit.* Illa generalis vocabuli nostri notio morem etiam Germanorum verisimiliter peperit, sacerdotum famulas *Begginas*, aut *Beckinas* appellandi. In GERHARDI II. Archiepiscopi Moguntini *Statutis*, ante paucos annos ab Ill. VALENTINO FERDIN. de GVDENVS editis **), haec sancita sunt: *Item, quia nonnulli Clerici in domibus suis famulas, siue* BECKINAS, *seruitii nomine secum habent: ne hac occasione angelus tenebrarum, qui in Angelum lucis aliquando se transformat, vt simplices et incautos subtilius fallere valeat, sua eos, quod absit, calliditate decipiat: praecipimus et mandamus, vt post mensem vnum, nullus Clericorum secum in hospitio famulam habeat, vel* BECKINAM, *nisi aetate, consanguinitate vel affinitate, reputari valeat non suspecta. Quod si secus a quoquam factum fuerit, contra talem grauius procedemus. Beckinam* in hac sanctione mulierem esse, rem

 fami-

*) Gallia Christiana, Tom. V. p. 755.

**) In Codice Diplomatico, Anecdota Moguntiaca ab A. 881. ad A. 1300. exhibente, p. 911.

familiarem sacerdotis administrantem, eidemque seruientem, testatissimum est: nec minus ex ea clarum, quotidiano et vulgari sermone Germanorum id nominis foeminis eiusmodi impositum fuisse. Istud nempe genus plerumque, ne dissimile plane herorum suorum videretur, omnemque vt a se clandestinae libidinis suspicionem propelleret, singularis pietatis et modestiae laudem omni ratione sibi comparare studebat: sacerdotes etiam, in quibus modica tantum erat existimationis suae cura, nullas rei suae domesticae alias praeficere solebant, quam morum quadam seueritate et castitatis fama praeditas: vt omittam, non incredibile esse, illarum virginum et viduarum, quae proprie *Beguinae* vocabantur, nonnullas in domos virorum sacri ordinis interdum transiisse, earumque gubernationem ab instituto suo non alienam putasse. His caussis euenit, vt nomen illud, quod omnibus dicatum erat mulieribus pietatis gloriam captantibus, earum quoque fieret, quas rebus suis sacerdotes praeposuerant. Ipsa sane legis, quam attulimus, ratio nos dubitare vetat, de foeminis agi magna sanctitatis et religionis specie nitentibus. Eiicit antistes ideo mulieres iuniores, et nullo consanguinitatis vinculo heris suis iunctas ex sacerdotum aedibus, *ne angelus tenebrarum, qui in angelum lucis aliquando se transformat, vt simplices et incautos subtilius fallere valeat, sua eos calliditate decipiat.* Haec ratio aut nullam omnino vim habet, aut hoc significat: non esse tutam mulierum istarum fidem, tametsi longe aliis in pietate et amore diuino excellere videantur: fieri enim posse, vt sub sanctitatis larua mens lateat effrenis, lasciua, et voluntati principis inferorum, innocentiae sacerdotum insidiantis, obsequens.

§. XV.

Habent, puto, tantum ponderis, quae adhuc disseruimus, vt ab omni parte firmare possint id, quod a nobis propositum est: vocabula, *Beghinus*, *Beghina*, *Beg-*

hardus,

hardus, honestissima primum, nec mali ominis fuisse, eaque re ad omnes pertinuisse, qui se sanctitatis affectatione de populo eximebant: at multo tamen certius idem fiet, si luculentis testimoniis effecerim, varii generis et instituti homines et sectas, quas vnum pietatis studium coniungebat, illis nominibus siue decoratas, siue notatas fuisse. Hoc igitur labore ista quidem lege defungar, vt eos, de quibus deinceps copiosius mihi dicendum erit, tantummodo perstringam; quos vero in ipsa, quae sequetur, Historia, tamquam longius ab ea remotos, praeterire statui, eos verbis paullo pluribus illustrem. Muliebre nomen *Beghina*, seu *Begutta*, antiquius est virili *Beghinus* et *Beghardus*. Illud decimo iam saeculo in Germania et Belgio adhibebatur: huius nullum, quod sciam, vestigium ante duodecimum saeculum extat. Primo ergo omnium mulieres, tam virgines, quam viduae, quae medium inter sacras et profanas locum tenebant, quae hominum quidem consuetudini et vitae negotiis minime renuntiabant, neque, sanctimonialium more, paupertatem, perennem castitatem et absolutam obedientiam vouebant, at in priuatis tamen, aut publicis aedibus, inter preces, sacras meditationes, et labores vitam ducebant, contemtis saeculi moribus et voluptatibus, *Beghinae* nominabantur. Has religiosas foeminarum sodalitates saeculo duodecimo, aut paullo fortassis citius, iuuenes quidam in Belgio et Francia, maioris perfectionis cupidi, et vitiosos saeculi mores exosi aemulabantur: qui pariter, sui licet omnes iuris manerent, legumque expertes essent, quibus Monachi subiiciuntur, voluntariam tamen quamdam operarum et piarum exercitationum societatem in certis domibus coibant. Cuius generis quoniam eadem erat ratio, idem consilium, eadem vitae lex, quae sororum *Beghinarum*, vix aliter fieri poterat, quin harum ad illud transiret appellatio. *Fratres* itaque *Beghini*, siue *Beghardi*, vulgo nuncupabantur. Angustis tamen vtriusque huius sodalitii terminis

vsus vocabulorum illorum haud contineri sese patiebatur. Quicunque maiori, quam reliqui, salutis aeternae desiderio feruere videri volebant, huncque animi sui sensum sermone, gestibus, vestimentis exprimebant, eos populus promiscue cum *Beguinis* coniungebat, et vocabulo hoc, aut honoris, aut contumeliae caussa, denotabat. Qui mos haud parum ex eo incrementi capiebat, quod omnes fere hi pietatis amici *Beghinorum* et *Beghinarum* domos frequentabant, et se necessarios et foederatos eorum profitebantur. Decimo tertio saeculo *Beghinorum* et *Beghinarum*, quas paullo ante descripsimus, familiae non modo valde crescebant, et amplificabantur, verum etiam plures aliae sectae dissimilis quidem instituti, at nonnullis tamen rebus, maxime publica singularis pietatis affectatione, illis affines et cognatae, exoriebantur: vnde contigit, vt vocabula illa non modo notiora multo, quam antea, verum etiam dubia fierent et ambigua. Vulgus enim omnes illos virorum foeminarumque ordines, in quibus aliquid *Beghinis* finitimum cernebat, nomine hoc, tamquam communi nota hominum, in primis religiosorum, afficiebat. Hinc illa difficultas, multorum errorum mater, ea, quae veteres de *Beghinis* et *Beghardis* scripta reliquerunt, recte interpretandi, et ad veros fontes suos reuocandi: hinc illa calamitas, quae decimo quarto et quinto saeculo multorum culpa vacuorum fortunas et commoditates partim attriuit, partim euertit, postquam sectarum illarum quaedam, quas generale *Beghardorum* et *Beguinarum* nomen complectebatur, seueris Pontificum legibus proscriptae erant.

§. XVI.

Primum S. FRANCISCVS, Assisius, a quo vniuersa fratrum, qui *Minores* dici volunt, natio disciplinam accepit, A. 1221. tertium illum ordinem *de Poenitentia* eorum gratia instituebat, qui societatem hominum, vitaeque negotia relinquere, atque Monachorum auste-

austeris legibus obligari nolebant, at beneficiis tamen et iuribus Franciscanae familiae certo modo frui, eiusdemque portio videri cupiebant. De quo ordine quum multi multa ex instituto scripserint, nemo tamen eorum, quos mihi licuit euoluere, tractaui vero praestantissimos et diligentissimos, ita suo perfunctus est officio, nihil vt desiderari queat amplius. Animaduerti potius, etiam illos, quorum omnes industriam merito laudant, vt, HELYOTVS, WADDINGVS, FRANCISCVS BORDON in *Cronologio fratrum et sororum tertii ordinis S. Francisci* *), et alii, secum ipsos quodammodo pugnare, et de *Tertiariorum*, vti vulgò vocatur, grege non pauca memorare, quae longius a generali eius notione, quam informauerant, absunt. Verum valeant haec: id dubio vacat, *Tertiariorum S. Francisci* alios, tam viros, quam mulieres, in eo vitae statu, quem ante susceptam regulam tenuerant, perseuerasse, domibusque suis haud excessisse, interiecto vero tempore quodam, multos, arctioris vitae studiosos, in certas aedes migrasse, et in illis, claustris Franciscanorum sodalium, quorum gubernationi suberant, plerumque vicinis, communem vitam duxisse. Vtrique vitam ad Regulae illius normam, quam S. FRANCISCVS tertio ordini suo scripserat, componebant, non illam quidem nimis tristem et difficilem, si cum primi et secundi Ordinis lege comparetur, at satis multa tamen siue religionis, siue superstitionis officia imperantem: quae qui nosse volunt, ipsam adeant Regulam a LVCA WADDINGO, cum adnotationibus publicatam **). Inter nouum hoc sacrae militiae genus, et *Beguinorum Beguinarum*que veterem iam, quum illud nascebatur, disciplinam, haud parum intererat. Quia vero *Tertiarii* Franciscani, tam fratres,

 quam

*) Prodiit Romae, 1658. in 4.

**) In S. FRANCISCI Opusculis, Antwerp. 1623. in 4. editis, p. 223.

quam sorores, vestitus, morumque simplicitate et modestia, rebusque et actionibus aliis, ceteris hominibus religiosiores videbantur, ideo vagum illud, et vsu dudum tritum *Beghinorum* nomen ad eos transferebatur: neque id vel ipsi, vel patroni, et familiares eorum, Franciscani scilicet fratres, quum infamiae nihil haberet, recusabant. Ex *Beguinis* vtriusque sexus haud pauci deinceps, tertiam FRANCISCI regulam amplectebantur, a Pontificibus nimirum approbatam, alii quidem vere, alii ad speciem tantum, quo inimicis occurrerent, qui *Beguinos* negabant ferendos esse, quod auctoritate Romanorum Pontificum inter religiosas familias haud recepti essent: hoc ex facto, vulgari consuetudini, *Tertiarios Beguinorum* et *Beguinarum* vocabulo honestandi, plurimum virtutis accedebat. Huic rei firmandae testium copia quaedam adest; ex quibus paucos nunc sistam, reliquos aliis locis, maxime quum ad bellum *Beguinis* illatum venero, proferam. Princeps omnium est BONAVENTVRA, illustre illud Franciscanae gentis decus, qui, quod iam ante me LVDOVICVS THOMASSINVS *) obseruauit, de sororibus *Tertiariis* ordinis sui agens, et caussas indicans, propter quas Franciscani oneri earum regendarum multis in locis sese subduxerint, *Beguinas* eas simpliciter nominat **). Sequatur hunc *Annalium Dominicanorum Colmariensium ab A.* 1211. *ad* 1303. scriptor, qui ad A. 1290. haec narrat ***): *Puer circiter XV. annorum, factus frater Ordinis Praedicatorum, et in ordine annum et plus quam dimidium steterat in domo Columbariensi — — — de consilio quorundam fratrum Mino-*

*) Disciplina ecclesiae veteri et noua circa beneficia. Tom. I. Lib. III. cap. LXIII. §. XIII. p. 841.

**) Libello apologetico in eos, qui Minoribus aduersantur, Quaest. 6. Tom. VIII. Operum, p. 223. Romae, 1588. f. in fol.

***) In CHRIST. VRSTISII Scriptor. rerum Germanicar. Tom. II. p. 25. ed. Francof. 1670. fol.

Minorum, et auxilio eorundem et BEGVINARVM *ipsorum apostatauit, et se ad ordinem fratrum Minorum transferebat.* Suspicari poterit hic aliquis, *Beguinas Franciscanorum* in his verbis esse *Beguinas* proprie ita dictas, at Franciscanorum curae et gubernationi subiectas: sed ab hac desistet facile suspicione, vbi reliquos locos cum hoc contulerit. Binae extant IOHANNIS XXII. Pontificis Maximi, pro *Tertiariis* sororibus Franciscanis epistolae, quarum occasionem et argumentum alio loco exponam: in posteriori earum, leguntur litterae *Officialis curiae Basileensis ad Decanum citra Otensbusel, ceterosque confratres eiusdem Decanatus*, hoc exordio *): *Nuper ad nostrum veridicorum relatione peruenit auditum, quod Fratres Minores quasdam Bullas Papales in ecclesiis nostris et in dioecesi Basileensi deferunt et ostendunt, per quas sententias et processus a nobis contra eosdem, et* BEGHINAS, *habitum* BEGHINAGII *deferentes, auctoritate ordinaria latos et latas euadere moliuntur, quorumque praetextu asserunt,* BEGHINAS DE TERTIA REGVLA *in pristino statu debere remanere.* His quid fieri luculentius potest ad rem, quam agimus, demonstrandam? Postremum testem dabo Imperatorem SIGISMVNDVM, qui in *Reformatione*, quam vocat, *ecclesiae*, A. 1440. conscripta, conciliоque Basileensi exhibenda, vehementer queritur de *Beghinis tertiae regulae S. Francisci*, quas Franciscanorum dicit esse famulas, et inutilia rei publicae pondera, cogique vult, vt aliud vitae genus eligant, et non mendicando, sed operando, victum sibi quaerant **).

§. XVII.

*) LVCAE WADDINGI Annalib. Minorum, Tom. VI. p. 547. ed. nuperae.

**) Reformation, so Sigmund, Römischer Keyser, in dem nechsten Concilien zu Basel der heilig Cristenlich Kirchen in bestendige Ordnung zu bringen fürgenommen hett, verteutsch vnd erklert durch Herren Friederich von Landskron, Keyserlichen Raht. Num Latine haec vnquam edita sit *Reformatio*, igno-

§. XVII.

Ad exemplum S. FRANCISCI, alii ordines religiosi, illi praesertim, qui *Mendicantes* nominantur, *Tertiam* quamdam *regulam Poenitentium* aut *Continentium* excogitabant, atque, noui istius inuenti auxilio, multos vtriusque sexus homines in societatem suam adsciscebant. Franciscanos enim fratres quum intelligerent, per tertiam suam Regulam, maiorem indies auctoritatem et amicorum multitudinem consequi, non dubitabant, fore, vt instituti illius imitatio suis etiam rebus salutaris esset: in quo tamen spes eos non mediocriter fefellit. Habent nimirum Dominicani, habent Augustiniani, habent Carmelitae, habent Seruitae, habent *Fratres de Redemtione captiuorum*, habent aliae familiae suos *Tertiarios*: quorum tamen nullis ad eum dignitatis et existimationis gradum ascendere licuit, quem *Tertiarii Franciscani* obtinuerunt; quidam etiam iamdudum esse desierunt. Primi omnium fuerunt Dominicani,

ignotum mihi est. At MELCH. GOLDASTVS Germanicam eius interpretationem, cuius hic indicem dedi, bis formis describi curauit: in dem Koneylichen Begrif verschiedener Reichssatzungen, und anderer des h. Römischen Reichs Konstitutionen, Ordnungen, von 774 bis 1576. Part. I. Francof. 1712. fol. c. XXXII. p. 126. et in *Constitutionibus Imperialibus* Latinis, *Tom. IV.* p. 185. *Francof. 1713. fol.* Hinc sumsit eam sine dubio IO. CHRISTIAN. LVNIG, et vitiosissime licet in lucem denuo protulit in *Spicilegio Ecclesiastico* des deutschen Reichs *Archivs*, Tom. I. p. 257. f. Sic vero nostra lingua Imperatorem loqui fecit interpres: Nun soll man wissen, daß an vil Stetten Begeinen sind, u. vermeinen zu haben ein dritte Regel Sant Francissen. Ich mein, Francisß wolt das eine nit auf Erdreich were. Gedenk jederman, wem sind sy nutz. Sy sind der Barfussen Kellnerin. Sy schreiben ja zu, was sy wollen, sy niessen das Allmusen wider alle Recht. Das Allmusen, das die Barfussen niessen, das ist bewärt: aber das sy in der dritten Regel niessen, ist weder Göttlich, noch Recht.

cani, quippe qui iam saeculo decimo tertio floruerunt, et viuendi legem, quam adhuc, qui supersunt ex illis, sequuntur, a MVNIONE de ZAMORRA, Hispano, acceperunt. Initia et progressum generis huius post RAYMVNDVM CAPVANVM *) persequutus est HIPPOLYTVS HELYOT **): ex qua historia id vnum ad nos pertinet, quod sorores *Tertiariae Dominicanae*, aeque ac Franciscanae, propter pietatis speciem, *Beguinarum* appellationem sortitae sunt. Dabo, ex quibus id elucet, RAYMVNDI CAPVANI verba ***): *Dominus Papa, Iohannes XXII. postquam promulgauerat Clementinam contra Beguinas pariter et Begardos, declarauit per Bullam suam, illam Decretalem non debere intelligi de sororibus dictis de poenitentia Beati Dominici per Italiam constitutis, nec per ipsam statui earum fuisse quomodolibet derogatum.* Igitur quod *Tertiariis Franciscanis*, quum CLEMENTIS V. lex in *Beghinas* promulgaretur, idem Dominicanis sororibus obtigit, vt a maleuolis vexarentur, et iniuriis afficerentur: quam tempestatem IOHANNES XXII. interpretatione legis Clementinae diuulgata, sedare debuit. Illa vero CLEMENTIS sanctio, quomodo ad *Tertiarias* Dominicanorum et Franciscanorum sorores affligendas adhiberi potuisset, nisi vtraeque populari sermone *Beguinae* fuissent vocatae, idque nomen aequo animo tulissent? Non dubito, *fratribus Tertiariis* Dominicanae familiae, *Beguinorum* aut *Beghardorum* quoque vocabulum, quemadmodum Franciscanis, tributum fuisse, tametsi scriptoris antiqui locum, qui testatum hoc faciat, proferre nequeam. Idem de ceteris vtriusque sexus homini-

*) In Vita S. Catharinae Senensis, cap. IIII. Actor. SS. Antwerpiens. Tom. III. mens. Aprilis, p. 872.

**) Histoire des Ordres Monastiques religieux et militaires, Tom. III. cap. XXVIIII. p. 246.

***) Acta SS. mens. April. Tom. III. p. 872.

minibus dixerim, quos aliae sectae religiosae tertii cuiusdam ordinis vinculo secum coniungere solebant. Neque hic omnis ita me destituit auctoritas, vt coniectoris tantum personam sustineam. Scriptor enim *Breuiloqui*, cuius verba CAROLVS du FRESNE descripsit *), nomen *Beguinus* tradit commune omnium illorum insigne olim fuisse, qui tertium quendam ordinem amplexi erant: *Beghardus et Beghina, et Begutta sunt viri et mulieres tertii ordinis.*

§. XVIII.

Vndecimo saeculo, quum possessionibus, praediis et agris abundarent et indies augerentur Monachi, ipsi vero, quod antea ex praescripto Regularum suarum fecerant, laborando sese fatigare amplius nollent; Ordo ille semimonachorum et semimonialium nascebatur, qui *Fratrum et Sororum, Conuersorum et Conuersarum nomine*, appellari solet. Necesse vix est, quum paucos doctorum id fugiat, vt indicem, appellatione hac ornari solere illiteratos homines, operarios omnis generis, agricolas, foeminas item inferioris conditionis, qui relicto rerum humanarum strepitu, ad Monachorum et Sanctimonialium collegia sese recipiunt, in illisque ad liberalem quamdam seruitutem sese adstringunt, ea fratribus ministeria praestantes, quae ipsi vel obire nolunt, vel etiam nequeunt. Reliquit de ortu huius generis, praesertim in Germania, eiusdemque caussis, commemorabile testimonium BERTHOLDVS, Constantiensis presbyter, non spernendus saeculi duodecimi scriptor: quod quum illos praeteriisse videam, qui de *Fratribus conuersis* aut obiter, aut ex instituto exposuerunt, multa vero contineat vtilia et scitu non iniucunda, *Beguinarum* etiam in patria nostra, nomine licet omisso, aut initia,

*) Glossario med. et infimae Latinit. Tom. I. v. *Begina*, p. 1092.

initia, aut progressum referat, totum, longius licet, hic interponere placet. Sic ergo BERTHOLDVS ad A. 1091 *): *His temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in Clericis et Monachis religiosissime commorantibus, verum etiam in Laicis, se suaque ad eamdem communem vitam deuotissime offerentibus: qui, etsi habitu nec Clerici, nec Monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares meritis fuisse creduntur: se enim seruos eorundem pro Domino fecerunt: imitantes eum, qui non venit ministrari, sed ministrare, qui et suos sectatores ad maioritatem, per seruitii exhibitionem, docuit peruenire: nempe ipsi, abrenuntiantes saeculo, se et sua ad Congregationes tam Clericorum, quam Monachorum regulariter viuentium deuotissime contulerunt, vt sub eorum obedientia communiter viuere et eis seruire mererentur. Quapropter inuidia diaboli contra eorundem fratrum probatissimam conuersationem quosdam aemulos incitauit, qui eorum vitam maleuolo dente corroderent, quamuis ipsos ad formam primitiuae ecclesiae communiter viuere viderent. Vnde Dominus Papa, Vrbanus, illorum conuersationem ab ipsis Apostolis plantatam, sed ab eorum successoribus latissime propagatam, decreti sui Apostolica authoritate firmatam, ipsumque decretum Praelatis eorundem fratrum his verbis denuntiare curauit:*

„Quosdam, *inquit*, accepimus, morem vestrorum „coenobiorum corrodentes, quo laicos, saeculo re„nuntiantes, et se suaque ad communem vitam trans„ferentes, regendos obedientia suscipitis. Nos autem „eandem conuersationem et consuetudinem oculis „nostris inspeximus, laudabilem et eo pro perpetua „conuersatione dignissimam, quo in primitiuae eccle„siae

*) In Chronico ab Hermanni Contracti obitu, in CHRIST. VRSTISII Scriptor. rerum Germanicar. Tom. I. p. 365.

„siae formam impressa est, iudicantes, approbamus, „sanctam et Catholicam nominamus, et per praesen„tes literas authoritate Apostolica confirmamus.“ *Non solum autem virorum et foeminarum innumerabilis multitudo his temporibus se ad huiusmodi vitam contulerunt, vt sub obedientia Clericorum, siue Monachorum, communiter viuerent, eisque more seruorum et ancillarum quotidiani seruitii pensum deuotissime persoluerent, in ipsis quoque villis filiae rusticorum innumerae, coniugio et saeculo abrenuntiare, et sub alicuius sacerdotis obedientia viuere studuerunt: sed etiam ipsae coniugatae nihilominus religiose viuere, et religiosis cum summa deuotione non cessauerunt obedire. Huiusmodi autem studium in Alemannia potissimum vsquequoque decenter efflorui. In qua prouincia etiam multae villae ex integro se religioni contradiderunt, seque inuicem sanctitate morum praeuenire incessabiliter studuerunt.* Fratres, de quibus hic BERTHOLDVS agit, tametsi affines sint tam *Beghardis*, proprie dictis, quam illis, qui se ipsi Monachis et templis olim mancipabant, cum neutris tamen confundi debent. Liberi et ingenui homines vtriusque sexus, Dei amore, aut, si mauis, inferorum metu, et mercedis apud Deum sibi parandae studio, relictis vitae commoditatibus et negotiis, in societates coeunt, collegio cuidam aut Monachorum, aut sacerdotum sese adiungunt, rerum suarum dominio renuntiant, denique operas suas et labores viris Deo dicatis addicunt: hi vicissim fratrum eos loco recipiunt, non seruorum, aut mancipiorum. Hic quis eorum non percipit imaginem, qui *Fratrum Conuersorum* vulgo nomen gerunt? Recte obseruauit IOACH. VADIANVS *), multis olim Germaniae monasteriis eiusmodi collegia fuisse adiecta: *Illud*

*) de Collegiis, monasteriisque Germaniae veteribus, Lib. I. p. 24. in GOLDASTI Rerum Alemannicar. Scriptoribus aliquot vetustis, Tom. III. Francof. 1661. fol.

Illud quoque non omittendum, et laica collegia multis olim monasteriis adiuncta fuisse, nec sine regula, quae nihil tamen praeter obsequium et famulatum, cum certo quodam precularum numero, exigebat. Recentiori aetate collegii forma fratribus illis, nescio qua de caussa, detracta est: ipsum vitae genus permanet. Quum hi pietatis sensu vnice sese ductos esse, confirmarent, vt religiosarum sese familiarum imperio subiicerent, ac licet extra sacrum ordinem versarentur, sanctitatis tamen eius participes putarentur, plurimisque rebus animorum suorum castitatem patefacere studerent; tritum etiam illud communi sermone *Beguinorum* et *Beguinarum* cognomen referebant. Hoc praeter alios quosdam minoris auctoritatis, quos nominare nil opus est, docuit me antiquus *Annalium Dominicanorum Colmariensium* scriptor, qui, quoties *Fratres* et *Sorores Conuersas* sui et Franciscani sodalitii commemorat, eos hoc vocabulo afficit. De Franciscanis ad A. 1290: *Lector,* inquit *), *Fratrum Minorum de Basilea fecit capi in Columbaria, in capitulo suo,* DVAS BEGHINAS *et* DVOS BEGHARDOS, *et in Basilea plures, quos haereticos reputabat.* De Dominicanis idem ad A. 1302 **): *In hoc Capitulo prouinciali Praedicatorum, Basileae habito, fuerunt* CONVERSI, *seu* BEGINHARDI, *hoc est, fratres non habentes domicilia LXXX. in processione mendicantes cibaria.* Rursus ad A. 1303. de Franciscanis ***): *Capitulum Fratrum Minorum fuit in Columbaria solenniter celebratum: comparuere illic CL. fratres, Conuersi seu* BEGINHARDI *triginta, bini et terni in processione per Columbariam transeuntes, eleemosynam mendicabant.*

§. XVIIII.

*) In CHRIST. VRSTISII Scriptor. rer. German. Tom. II. p. 25.

**) l. c. p. 34.

***) l. c. p. 35.

§. XVIIII.

Declinante ſaeculo decimo tertio, et ſequenti decimo quarto, colluuio quaedam hominum aſpectu triſtium, et morum, veſtimentorum, verborum nouitate populi oculos et animos capientium, Germaniam, Belgium, Franciam inundabat. Viuendi ratio non omnibus erat eadem: idem vero vniuerſis conſilium, magna pietatis ſpecie multitudinem alliciendi, et ad voluntatem ſuam flectendi. Alii rudes et agreſtes, ex GERHARDI SEGARELLI et DVLCINI ſchola profecti, *Apoſtolos* ſeſe dicebant, aut *Apoſtolorum* imitatores, quorum exemplo mulieres ſorores ſecum ducebant, et cibaria ab illis, quos inſtituebant, poſtulabant. Alii abſtruſam quamdam et reconditam ſapientiam, quae mentem ſupra omnia terrena eueheret, ſuosque diſcipulos in veram libertatem adſereret, profitebantur; ſecretioresque conuentus paſſim celebrabant, in quibus nefandis et opinionibus, et flagitiis, ſimplices animos polluere ferebantur. Haud facile quidem vir bonus et cautus fidem habeat omnibus, quae de hac ſecta memoriae prodita ſunt: neque tamen idem, niſi manifeſtis documentis repugnare velit, negaverit, multos praeceptis eius, periculoſis illis quidem, et mirabiliter deuiis, ad explendas libidines et innocentes homines corrumpendos turpiter abuſos eſſe. Quod iudicium vtrum probari debeat, nec ne, ex illis conſtabit, quae ſuo loco ex ſcriptoribus in medium proferemus, haud facile repudiandis. Hic ſumma tantum capita exhibemus longae, variae, nec paucis modis implicatae Hiſtoriae. Et hi quidem, quos attigimus, bini ordines nusquam certas habebant ſedes, ſed per varias prouincias diſcurrebant, et vbi poterant, paruos ſibi greges colligebant. Alii certa habebant commorandi domicilia, e quibus, ſtatis horis, laceri et pannoſi in publicum prodibant, alta voce panem et reliqua, quorum indigebant, poſcentes: laborando enim ſtatuebant vires animorum frangi rerum coeleſtium contemplationi deditorum, eosque demum

num sanctos et diuinos esse, qui CHRISTI, eiusque amicorum exemplo, bonis omnibus carerent. Hi omnes et alii quidam, non iisdem, at similibus institutis vtentes, quia pietatem suam populo venditabant, nomen illud, quod vsus communem pietatis modum excedentibus dudum dicauerat, reportabant, *Beghardorumque et Beguinarum* quasi titulo de turba eximebantur. His ipsis vero id etiam potissimum debetur, quod vocabula haec, nobilia olim et decora, nec illis idcirco, quibus imponebantur, molesta, paullatim veterem dignitatem suam amiserunt, et contumeliosa, velataeque improbitatis et nequitiae testimonia et indicia facta sunt. Multi enim eorum, variis in locis, incauti aut sententias valde portentosas disseminabant, aut dolis et fallaciis plebem circumueniebant, aut facinora committebant et scelera: quorum delictorum quum poenas darent magistratibus, tantum inuidiae et odii totum agmen paullatim inuadebat, vt *Beghardus* et *Beguinus* idem fere esset, quod homo fallax, subdolus, reipublicae noxius, verae religioni clam insidians, et *Beguina*, mulier stolida, superstitiosa, piarumque ineptiarum amatrix. Istam nominum antea honestissimorum infamiam augebant illi Franciscanae familiae *Tertiarii* siue *Beguini*, qui sub IOHANNE XXII. in Francia, Italia et Germania partes eorum ex Franciscanis fratribus sequebantur, qui *Spiritualium* sibi nomen arrogabant, et cum his contentiosissime negabant, licere Pontifici Maximo Regulam S. FRANCISCI mutare, emendare, ex suo ingenio interpretari, IOHANNEMque XXII. id ausum, iuribus ac dignitate Pontificatus excidisse, praecipiebant. Extrema haec tantum acies erat magni exercitus illius, qui IOHANNI longum et atrox bellum inferebat: sed antesignanis, ipsos *Spirituales fratres* puto, et illos, qui *Fratricelli* proprie nominabantur, fortitudine minime cedebat: qua de caussa, vt alias nunc omittam, nomen eius ad vniuersum exercitum deuoluebatur. Quicunque igi-

tur pro integritate et immutabilitate regulae Franciscanae propugnabant, *Beguini* et *Beghardi* non a vulgo tantum, verum etiam a Pontifice, vulgi sermonem imitante, salutabantur. IOHANNES XXII. illatam sibi et auctoritati suae ab hoc genere iniuriam grauissime vlciscebatur: nam et diras illi imprecabatur, et quotquot eius sententiam dimittere nollent, igne cremari iubebat. Vnde tantus vocabuli *Beguinus* et *Beghardus* horror, tantum dedecus consequebatur, vt qui eo sese affici audiebant, turpissima sese macula notari putarent. Sed hanc rem nunc missam facio, quoniam pluribus alias explicanda erit, et ad reliquas sectas propero, quibus *Beguinorum* appellatio tributa olim fuit.

§. XX.

Refert HIPPOLYTVS HELYOT *) ex DOVTREMANO **), Fratres *Saccarios*, siue *Saccitas*, quibus nomen a vestimentis erat, formam sacci referentibus, *Valentianae* in Hannonia *Fratres Beguinos* propterea vocatos saeculo decimo tertio fuisse, quod vrbis *Beguinas* gubernationi eorum sese crediderant. Hoc exemplum non modo, quam late quondam id nomen patuerit, ostendit, verum etiam declarat, multitudinem ex minuta saepe re occasionem sumsisse, eos illo mactandi, quos aliis antea vocabulis appellauerat. Fratribus his, qui propter summam legis, cui parebant, austeritatem *Lugentes* nominari potuissent, toto genere oppositi erant; quos multitudo, quia laute ac hilariter viuebant, *Fratres Gaudentes* vocare solebat. Equites erant sanctissimae virgini, MARIAE, consecrati, et saeculo decimo tertio in Italia ea re potissimum a celebri quodam Dominicanae familiae viro instituti, vt in notissimis illis Guelphorum et Gibellinorum turbis, miseris et oppressis succurrerent; et

*) Histoire des Ordres religieux, Tom. III. p. 176.

**) Histoire de Valenciennes.

et viduas, orbosque tuerentur *). In eiusmodi hominibus quid *Beguinorum* nomine dignum erat? Auctor tamen locuples adest, MARSILIVS PATAVINVS, qui diserte scribit, eos extra Italiam ita dictos fuisse: obiurgat nempe Romanos Pontifices, quod eos legibus humanis exemissent, his verbis **): *neque adhuc his clausi limitibus, laicos quosdam, quos in Italia* FRATRES GAVDENTES, *alibi vero* BEGVINOS *appellant, similiter ab humanis legibus ciuilibus rite latis, exemptos fecerunt.* Quidquid scilicet non ex toto religiosum et sacrum erat, at cognatione tamen quadam sacrum ordinem contingebat, et religionis studio supra ceteros sese efferebat, id cum *Beguinis* sociabatur. In his laetis fratribus istam appellationem consedisse, tanto minus admiror, quod, vti suspicor, pro *Tertiariis* regulae S. DOMINICI haberi volebant: cui hominum generi propriam eam fuisse, paullo ante monui. Vtraque hac secta paullo recentiores sunt *Lollhardi*, seu fratres et sorores S. ALEXII, de quibus suo loco dedita opera commentari, constitutum mecum habeo. Horum institutum propius abest ab eo, cui *Beguini* et *Beguinae* illae, a quibus hoc nomen ad tot alias familias deriuatum est, sese addixerunt, eximiamque pietatis, mentisque ab amore humanarum rerum seuocatae speciem imperat. Quare qui superiora legerunt, etiam sine testimoniis mihi credent, *Beguinos*, *Beghardos* et *Beguttas* nuncupasse populum, quos melius *Alexianos* et *Alexianas*, aut alio vocabulo minus ambiguo et incerto, dixisset. At dabo tamen suo loco testes eius rei et plurimos, et certissimos: nunc vnum tan-

*) vid. LVD. ANTON. MVRATORII Antiquitates Italiae medii aeui, Tom. I. p. 1091. et Tom. IIII. p. 689. HIPP. HELYOT Histoire des Ordres, Tom. IIII. p. 456. CAR. du FRESNE Glossar. Latinit. medii aeui, Tom. III. p. 690.

**) In Defensore pacis, seu Apologia pro Ludouico Bauaro contra iurisdictionem Pontificum, P. II. c. VIII. p. 177. ed. Gomari. Francof. 1592. in 8.

tantum indico, celebrem illum Heluetum, FELICEM HEMMERLEIN siue MALLEOLVM, qui in libellis, quos in eos valde maledicos et contumeliosos exarauit, eosdem, quos *Lolhardos*, etiam *Beguinos* et *Beghardos* constanter nominat. Idem libellum, quo *Lolhardos*, siue *Alexianos* in agris commorantes, peracerbe insectatur, inscribit: *Contra Anachoritas Beghardos Beghinasque syluestres*, et alium, quo Pontificum epistolas pro *Lolhardis* insidiose interpretatur, et explanat, hoc indice exornat: *Glosa Bullarum per Beghardos impetratarum.* Decimo quarto saeculo inter eos, qui tum sacri ordinis emendationem moliebantur, perillustre nomen obtinuit GERHARDVS GROOT, siue MAGNVS, Dauentriensis, vir in primis pius et boni publici amore flagrans: cuius vitam celebris ille THOMAS a KEMPIS composuit, quae inter vndecim virorum THOMAE aequalium et amicorum vitas primo loco posita est. Is cum alia gessit memoria non indigna, tum Ordinem illum condidit, qui *Clericorum vitae communis* vulgo dicitur, florentem olim per multas Belgii, Germaniae, et vicinarum regionum prouincias, hodie, si paucas demas reliquias, extinctum. Socii huius instituti vna in certis domibus habitabant, religiosorum votorum quidem expertes, at victus tamen, bonorumque communitatem seruantes, et iuuentutis institutione, librisque describendis necessaria sibi comparabant. Sorores eadem fere lege viuebant, quodque vacuum ipsis manebat a precibus et lectione, tempus, id erudiendis puellis, et laboribus sexui suo conuenientibus dicabant. Multum vero commodi, rudi et barbara illa aetate, qua scholae valde rarae erant, ex *Gerhardinorum* illorum laboribus respublica capiebat: quorum quidem scholae primos illos et pietatis, et litterarum instauratores per inferiorem Germaniam protulerunt, quibus nondum posteri fauere desierunt. Erant et horum bonorum virorum nonnullae similitudines cum illis, qui *Lolhardi* et *Beguini* vocabantur:

tur: quare quotquot parum caute res quodammodo cognatas componebant, haec illis etiam vocabula impertiebant. Quod ipsum cum magna eorum molestia coniunctum erat. Nam quoniam illo Saeculo Pontifices cum Imperatoribus de funditus extirpandis omnibus deliberabant, in quos *Beguinorum* et *Lolhardorum* nomen cadebat, multis etiam cum aduersariis confligendum *Gerhardinis* erat, quos difficulter superabant. Sed de his alias vberius exponere statui. Parens eorum GERHARDVS, extremis vitae suae annis, nouam quoque *Canonicorum Regularium* sodalitatem meditabatur, illis ex communis vitae fratribus aptam, qui arctiorem vitae formam sequi volebant. Huic quidem consilio, quum ad maturitatem iam peruenisset, mors intercessit: at perfecit tamen illud, post GERHARDI obitum, vnus ex familiaribus eius, a quo *Congregatio* illa *Canonicorum Regularium Windesemensis* profecta est, cuius olim insignis fuit existimatio et summa celebritas. Petant eius, quibus placet, indolem et fata ex GABRIELE PENNOTTO, *Canonicorum* omnis generis historico, HELYOTO et aliis: nos hoc tantum animaduertimus, ad sorores huius Congregationis multiforme *Beguinarum* nomen etiam manasse, neque repudiatum fuisse. Testis est exordium *Chronici Collegii Windeshemensis Canonicorum Regularium S. Augustini*, quem VALENT. FERDINANDVS de GVDENVS ex codice manu exarato Moguntino descripsit *): *Incipit liber de origine modernae deuotionis omnium Presbitterorum, Clericorum et Sororum, siue* BEGINARVM, *totius nostrae prouinciae Almanie et consequenter de origine, processu et consummatione temporali et spirituali monasterii nostri in Windesem, Ordinis Canonicorum Regula-*

*) Sylloge prima variae. Diplomatariorum monumentorumque veterum ineditorum, p. 400. Francof. 1728. in 8.

gularium. *Traiectensis dioecesis*, *ac aliis condependenti-bus et inde consecutis*. *Chronicon* hoc, quod vitam resque gestas GERHARDI MAGNI, Windesemensis familiae patris, multis persequitur, ab HERIBERTO ROSWEYDO, Iesuita non ignobili, iamdudum editum est *): verum inter libros rarissimos, nescio qua de caussa, locum non postremum tenet. Quare Ill. GVDENVS rem multis gratam se facturum putauit, si ex codice Moguntino et indicem, quem dedimus, et capitum argumenta, denuo publicaret. Finem longi agminis, quod *Beguinorum* vocabulum, tametsi varium sit, commune habet, faciant *Fratres Albati*, siue *Candidi*, quorum grex saeculo decimo quinto Italiam commouebat. Descendebat ex Alpibus ignotus quidam sacerdos, alba veste amictus, ingentem mortalium numerum secum trahens, qui exemplo ducis sui albis omnes linteis inuoluti erant: ex quo *Albatorum* nomen nanciscebantur. Multitudo haec per varias vagabatur prouincias, crucem, quam princeps sectae gestabat, sequens, atque magna pietatis specie populos ita capiebat, vt innumerabiles omnis ordinis ad eam confluerent. BONIFACIVS VIIII. Pontifex Maximus, insidias metuens, caput agminis comprehendi et cremari iubebat. Vtrum nocens perierit, an innocens, incertum est. Sunt enim inter scriptores, rei Romanae in primis amicos, viri grauissimi, qui per inuidiam, virum optimum supplicio traditum fuisse, adseuerant **): quum alii e contrario atrocium scelerum hominem conuictum fuisse memorent. De hac secta quum agit eorum vnus, qui nostra memoria

*) Antwerp. 1621. 8.

**) vid. IAC. LENFANT *Histoire du Concile de Pise*, *Tom. I.* p 102. Adde scriptoribus, quos hic laudat, MARCVM ANTON. SABELLICVM in *Enneadibus Rhapsodiae Historicae*, *Ennead. VIIII.* Lib. VIIII. p. 839. Tom. II. operum, Basil. 1560. fol.

ria Historias religiosarum familiarum composuerunt, societatem eam fratrum *Beghardorum* nominat *), idque vocabulum in tota narratione sua sic adhibet, vt persuasum ipsi fuisse appareat, *Albatos*, quos diximus, illos esse, in quibus vere et proprie poni debeat. In quo, aliisque nonnullis in rebus tametsi peccet, neque auctorem indicet sententiae suae; non dubito tamen, scriptum alicubi eum reperisse, *Fratres Candidos*, *Beghardos* a populo appellatos esse. Et fortassis primi nomen hoc meruere, ex eoque *Beghardorum* genere fuerunt, quos Germani multis legibus et poenis coercuerant, solumque mutare iusserant.

§. XXI.

Vidimus de vsu et potestate vocabuli: iam ad veram eius significationem, seu originationem pergamus. De qua quum variae extent virorum eruditorum opiniones, necesse erit, quo lectorum commoditati, et simul ordini consulatur, vt sub certas primum classes eas reuocemus, singulas deinde, iudicio adhibito, percurramus, denique nostram sententiam, omnium, vti arbitror, simplicissimam, proponamus. In tres veluti tribus discedunt, qui adhuc veram vocabulorum *Beguinus*, *Beguina*, *Begutta*, *Beghardus*, originem eruere conati sunt. Alii nomina haec ex homine quodam, sectae *Beguinarum* et *Beguinorum* auctore, nata esse disputant. Alii a re quadam similis nominis deriuata esse, opinantur. Alii denique obsoletum quoddam Teutonici aut Francici sermonis vocabulum, actionem quamdam, aut consilium significans, matrem eorum esse suspicantur. Atque hi singuli tres ordines rursus intestinam dissensionem alunt, et in diuersas sententias abeunt. Prima opinio plurimis vti-

 tur,

*) Histoire du Clergé seculier et regulier avec des figures. Amsterd. 1716. 4. vol. in 8. Tom. III. p. 246. Tom. IIII. p. 210.

tur, iisdemque doctissimis et nobilissimis sectatoribus, omnibusque Belgarum scriptoribus probatur. Hi vero de homine diffident, ad quem et instituti, et nominis *Beguinarum* principium, referri debeat. *Beghardi* omnes et *Beguinae* in Belgio adhuc superstites, acerrime contendunt, illustrem saeculi septimi foeminam, S. BEGGAM, Pipini, Maioris domus in Austrasia, filiam, Ansegisili, viri summo inter Francos loco nati, vxorem, Pipini Landinensis matrem, eamdem, quae, marito interfecto, Romam profecta est, et inde rediens, celebre in Belgio sacrarum virginum claustrum Andennense condidit, et leges ibi viuendi, et nomen dedisse: quam idcirco mulierem patronae apud Deum loco religiosissime colunt, sanctis licet nondum auctoritate Pontificis Maximi addita sit. Et multos hi habent, quod paullo post videbimus, ingenioque ac doctrina excellentes suffragatores. Sed opponunt sese illis et Leodienses, et alii, qui obnixe testatum facere laborant, *Beguinos* vtriusque sexus disciplinam et nomen accepisse a LAMBERTO, sacerdote Leodiensi duodecimi saeculi cumprimis pio, cui linguae vitium cognomen LE BEGVE, siue *Balbus*, in populo peperit. Hunc aiunt et virginibus, et iuuenibus quibusdam auctorem fuisse, vt Leodii in aedibus ab ipso donatis, precum laborumque societatem colerent: placuisse multis nouam viuendi formam, ideoque celeriter per Belgii prouincias sese diffudisse: vna vero cum ea magistri cognomen propagatum, omnibusque eius discipulis tributum fuisse. Qui si vera dicunt, *Beguini et Beguinae* proprie sunt *fratres et sorores balbae, seu balbutientes*. Vtraque pars argumentis certat in suo genere non contemnendis: quae antequam proferamus, et suis momentis ponderemus, Historiam litis narrare placet, quam superiori saeculo inter magni nominis viros ex Belgis haec quaestio accendit.

§. XXII.

§. XXII.

Colunt, quod iam dixi, *Beghardi et Beguinae Belgicae*, quotquot hodie supersunt, S. BEGGAM pro tutelari Numine, principiaque instituti sui ab ea repetunt: id vero faciunt sua tantum, non publica Pontificis Maximi auctoritate. Pontifex cultum illum, opinionemque, qua nititur, tolerat quidem, vt infinita alia, sed non approbat, aut iustum esse, legitimumque pronuntiat: quemadmodum Carmelitas patitur ELIAM, magnum illum Dei ad Iudaeos legatum, pro patre suo habere: rectene vero, an secus id fiat, non decernit. Iamdudum vero in votis est *Beguinarum*, vt, quod ipsi de ortu instituti sui credunt, id ratum, firmumque habeatur, religioque illa erga S. BEGGAM priuata in publicam paullatim conuertatur: claros enim et illustres, vti omnes religiosae sodalitates, natales amant. Igitur paullo post initium saeculi decimi septimi, quum ALBERTVS Austriacus, et ISABELLA CLARA EVGENIA, pro Hispaniarum Rege, Belgium gubernarent, Bruxellenses *Beguinae*, quae et numero, et opibus, praeter ceteras florebant, Mechliniensium sacrorum supremum antistitem demisse rogabant, vt sibi liceret S. BEGGAM publice patronam adoptare, festoque die, aliisque ritibus religiosis honestare. Is in se nihil morae futurum, ne precibus earum satisfieret, respondebat; at Romani Pontificis legatum, IO. FRANCISCVM a BALNEO, Patracensem Archiepiscopum, adeundum ante omnia censebat, vtpote cui Pontifex facultatem res tanti momenti cognoscendi concessisset. Legatus documenta sibi et testimonia afferri iubebat, quibus effici posse confiderent *Beguinae*, S. BEGGAM non indignam esse honore, quem exhibere illi volebant. Quibus exploratis, reque cum viris doctis et Mechliniensi antistite communicata, precibus *Beguinarum* annuebat, nec decreto Pontificis ad eam rem opus esse putabat. Itaque Mechliniensis praesul amplissimam *Beguinis*, ditioni suae subiectis,

iectis, potestatem largiebatur, S. BEGGAM tamquam sodalitatum suarum principem. et supremi Numinis amicam, inuocandi et colendi. Prosper hic successus adeo animabat *Beguinas* Bruxellenses, vt maius aliquid tentarent, atque gubernatrici Belgii, post aliquod tempus, amplificationem et propagationem cultus S. BEGGAE litteris commendarent. Per totum, vt arbitror, Belgium manare gloriam et laudes patronae suae, non suorum domiciliorum moenibus contineri cupiebant. Res iussu Principis a secretiori consilio in deliberationem vocabatur, idque viros, rerum veterum peritos, et episcopos, praeter legatum Pontificis, qui tum Cardinalis erat DE LA CVEVA, consulendos esse, sciscebat. Plerique negabant, dubitari vllo modo posse, quin BEGGA dudum in sanctis numerata fuisset, et Beghardorum, Beguinarumque familiam fundasset. Quocirca publico mandato solemnis dies memoriae tantae mulieris in Bruxellensium Beguinarum aede celebrandae, et denuo velvti consecrandae indicebatur. Illustrabat eum praesentia sua ipsa Belgii gubernatrix, legatus Pontificis, antistites plurimi, aula vniuersa, innumerabilis omnis ordinis hominum multitudo. Sacrum splendido apparatu faciebat Mechliniensis praesul. FRANCISCVS de VIVERO, Orator Principum, facunda oratione BEGGAM laudabat, Beguinasque ab ea profectas esse, multis argumentis conuincere studebat. Denique legatus Romani Pontificis omnibus Beguinarum collegiis, quae in S. BEGGAE fidem et clientelam se conferre vellent, poenarum peccatis debitarum remissiones, quas *Indulgentias* vocant, concedebat. Haec et alia tantum habebant virtutis ad commouendos debiles et superstitiosos animos, vt publicus S. BEGGAE cultus vniuersam Flandriam et Brabantiam breui tempore peruaderet. Sed quum omnia tranquilla, satisque firmata viderentur, inopinata quaedam tempestas gaudia Beguinarum interuertebat. Multa amplissimae huius familiae collegia aut induci

duci sese sinebant, aut se ipsa inuidia quadam Bruxellensium inducebant, vt religione sese impediri constanter affirmarent, ne BEGGAM tutelaris Diuae loco ponerent, et publicis caeremoniis colerent: vnius enim vicarii IESV CHRISTI, Romae residentis, ius esse constituendi, quinam religioso honore digni sint, et supplicationes publicas mereantur: caussam igitur hanc ad Romanum oraculum deferendam, et responsum eius expectandum esse. Huic rationi ne illi quidem resistere audebant, qui vtriusque rei publicae summam administrabant, ne is quidem, qui vices Pontificis in Belgio obibat. Quare feruentissimum illud BEGGAE studium paullatim decrescebat; postremo cultus eius, magnis licet auspiciis introductus, prorsus tollebatur. *Dolendum*, inquit IOSEPH. GELDOLPHVS a RYCKEL *), ex quo narrationis huius partem depromsimus, *dolendum, quod nescio quis genius interuerterit inchoatam hanc* S. BEGGAE *celebritatem et panegyrin religiosam, quamuis nec illi succensendum, quod de eius cultu publico moneat primum ad sedem Apostolicam referendum.* Principi huic caussae, propter quam BEGGAE patrocinium multi repudiabant, accedebat alia, paullo quidem minor, nec tamen omni grauitate vacans. Procedebant nempe viri quidam antiquarum rerum cognitione valentes in medium, falsoque perhiberi praedicabant, Beguinas a BEGGA, Brabantiae principe, ortas esse: LAMBERTVM potius, cognomento *Balbum*, seu LE BEGVE, verum earum parentem esse: huic ergo viro, si piae velint esse, non illi foeminae, gratae mentis officia exsoluere Beguinas debere. Hinc bellum illud litterarium: vtrum *Beguinarum* vocabulum a BEGGA descendat, an a LAMBERTO le BEGVE? Signum Antwerpiae tollebatur: cuius vrbis *Beguinae* quum Bruxellenses imitari, et BEGGAM, quo in communionem

*) in Vita S. Beggae cum annotationibus, p. 198.

neri beneficii, a legato Pontificis clientibus illius concessi, peruenirent, religiosis honoribus decorare vellent; antistes sacrorum huic consilio intercedebat, sigillifer vero eius et cathedralis ecclesiae Canonicus, PETRVS COËNS, vir non indoctus, primum *Disputationem*, deinde *Disquisitionem Historicam de origine Beghinarum et Beghinagiorum in Belgio*, *Leodii* 1627. *in* 12. emittebat. Bina memoro PETRI huius eiusdem argumenti opuscula: quorum hoc, *Disquisitionem*, ipse tractaui, illud, *Disputationem*, inuestigare nondum potui. Ceteri omnes, qui aut viri huius docti, aut controuersiae, quam excitauit, meminerunt, vno eum libello, *Disquisitione* nimirum, totam caussam complexum esse, tradunt. Sed auctorem ego sequor vix repudiandum, aequalem nimirum, ingeniosum, ipsum eruditae huius concertationis participem, ERYCIVM PVTEANVM, qui clarissime testatur, *Disputationem* COENSII differre ab eius *Disquisitione;* hanc illa posteriorem esse, et vtrique proprium obtigisse aduersarium. *Pro Lamberto quidem*, ait *), *primo Disputationis titulo, ac deinde Disquisitionis, R. vir Petrus Coëns calamum mouit: S. Beggam R. Zegerus Hontsumius, et R. P. Elias a S. Teresa asseruerunt: quorum ille Disputationi Declarationem veridicam, hic Disquisitioni Palatium Begginasiorum opposuit.* Vtroque libello, quibus poterat argumentis et testimoniis, pugnabat PETRVS, errare magnopere, qui BEGGAE filias *Beghinas* esse statuant; LAMBERTO gloriam conditae huius familiae deberi. Disputationi obiiciebat sese statim collega eius ZEGERVS van HONTSVM, Poenitentiarius et Canonicus Antwerpiensis, edita *Declaratione veridica*, *quod Begginae nomen, institutum et originem habeant a S. Begga, Brabantiae Ducissa*, *Antwerp*. 1628. *in* 8. Quo de

*) In Suffragio de origine et nomine Begginarum, p. 228. in RYCKELII *vita Beggae*.

de libro, quum visus mihi non sit, quod dicam, non habeo. Disquisitionem PETRI aggrediebatur ELIAS a S. THERESIA, Carmelita, in *Palatio spirituali Begginagiorum*, lingua Brabantica, quod IO. FRANC. FOPPENS tradit *), exarato, et *Antwerp.* 1628. in 8. formis descripto. Alterum horum aduersariorum, ELIAM, spreuisse videtur COENSIVS, hominem quippe facundum magis, quam eruditum. Alteri vero, sequenti anno, opponebat *Notas in declarationem veridicam Zegeri van Hontsum de origine Begginarum*, *Leodii* 1629. *in* 8. ZEGERVS pugnam aut non poterat iterare, aut nolebat: quare lis haec conticescebat. At qui ex ea inferiores discessisse videbantur, BEGGAE patroni et fautores, non desinebant virorum doctorum suffragia, et vetusta testimonia conquirere, quibus aduersae partis rationes frangerent, et vulneratam caussam suam sanarent: cui consilio fortuna non deerat. Accedebat ad eos ERYCIVS PVTEANVS, vir magni eo tempore nominis: accedebat GODOFREDVS WENDELINVS, inter litteratos homines celeberrimus: postremo IOSEPHVS GELDOLPHVS a RYCKEL, Abbas S. Gertrudis, cuius ingens erat existimatio: quamquam is controuersiam ita temperabat, vt concordiae et pacis inter dissidentes ineundae viam quandam aperiret. PVTEANI duplex extat opusculum, quo BEGGAE caussam fortiter quidem et diserte agit, verum declamatorio dicendi genere, et argumentis leui labore disiiciendis, tametsi GERH. IOH. VOSSIVS dignum esse putet, qui audiatur **): *De Beginarum*, inquit, *origine vide*, *quae scripsit vir summus*, *idemque condiscipulus et amicus vetus*, *Erycius Puteanus*. Vtrumque a RYCKELIO editum est ***): prius tamen,

*) in Bibliotheca Belgica, Tom. I. p. 258.

**) de Vitiis sermonis Latini, Lib. II. c. III. p. 185.

***) In Adnott. ad vitam S. Beggae, p. 65. et 227.

men, niſi fallor, ſeparatim etiam prodiit. Index eius eſt: *De Begginarum apud Belgas inſtituto et nomine ſuffragium, quo controuerſia recens excitata ſopitur, dicatum D. Beggae et Begginarum curiis.* Alterum inſcribitur: *Suffragii de origine et nomine Begginarum rationes per epiſtolam expenſae ad I. G. a Ryckel.* Inermis, quod iam animaduerti, miles eſt PVTEANVS, in ſe ſpectatus: verum illis tamen, cum quibus congreditur, formidandus. Conuenit inter diſputantes, appellationem *Beghinarum* aut a BEGGA, aut a LAMBERTO le BEGVE, deriuatam eſſe. Ex quo ſequitur, ſi doceri queat, ante LAMBERTVM iam extitiſſe *Beguinas*, nomen illud ad BEGGAM referendum eſſe. Ipſe PETRVS COËNS totam litem ad hanc quaeſtionem reuocat: Num certae fidei documentum, LAMBERTO antiquius, proferri queat, in quo *Beguinarum* extet mentio? promittitque, ſe manus daturum eſſe, ſi quis tale ſibi teſtimonium obtulerit. *Rogo*, inquit *), *omnes antiquitatis ſtudioſos, vt in fauorem Begginarum omni conatu velint allaborare, vt vel ſaltim vnum authenticum inſtrumentum, ante tempora Lamberti ſcriptum, vel datum, in lucem proferri poſſit. Nam dubito, quin immortalem memoriam per omnia Begginaſia conſequatur.* Et interiectis nonnullis **): *Si autem aliquod documentum, quod contra Lambertum opponatur Aegidio inuenerint, obuiis vlnis cum gratiarum actione illud acceptabo.* PVTEANVS poſtulato huic ſatisfacit, atque diploma producit, A. MLXV. menſe Decembri, toto ante LAMBERTVM ſaeculo, datum, quo *Magiſtra, totusque conuentus Beghinarum de ſolatio Beatae Mariae iuxta Filford* teſtantur, *curiam ſuam teneri ad pauperibus Beghinis in curia ſua reſidentibus, duos modios ſiliginis in Natali Domini perpetuo ſoluendos*

*) Diſquiſit. de origine Beghinarum, §. XXX. p. 66.

**) l. c. §. XXXXII. p. 87.

dos et deliberandos, vsumfructum vero siliginis illius Beghinam quamdam, Margarethom de Walmersele ad vitae tempus recipere debere. Dedit hoc etiam documentum legendum AVBERTVS MIRAEVS *), hac praemissa commendatione: *Diploma editum a Begginis Vilvordiensibus A.* 1065. *ex quo constat, Begginas Belgicas non a Lamberto Beggio, sacerdote, vt quidam sustinuerunt, sed a sancta Begga nomen et institutum accepisse.* In subiecta adnotatione nuperus editor MIRAEI, IO. FRANC. FOPPENS, lectores monet, *Ryckelium nihil omisisse, vt Diploma hoc authenticum demonstraret.* In quo manifesto fallitur: PVTEANVM nominare debuerat, qui cum alia molitur, vt diplomatis huius fidem et veritatem supra omnem dubitationem collocet, tum quinque magnae auctoritatis viros sistit, qui se accurate illud considerasse, nullamque fraudis notam in eo deprehendisse, sancte testantur. Addit idem duas alias duodecimi saeculi ex Beguinarum Viluordensium tabulario chartas, alteram A. 1129. alteram 1151. datam, vtramque LAMBERTO antiquiorem, quem non ante annum 1170. celebrem fuisse constat. Quas ob res si connexi huius vis nullam exceptionem admitteret: Si *Beguinae* nomen non habent a BEGGIO, illud a BEGGA acceperunt, BEGGAE defensores sine controuersia vicissent. GODOFR. WENDELINI, vt ad reliquos veniam, qui tum BEGGAE amicis ope adfuerunt, epistola tantum extat ad RYCKELIVM, ab hoc edita **), in qua de veteri Herckano Beguinarum domicilio, nunc euerso, disserit, seque illis multis de caussis adsentiri significat, qui BEGGAM creasse *Beghinas* existimant. RYCKELII opus longum est et laboriosum. Exemplar, quo ipse vtor, hoc habet insigne:

*) Operum diplomatico-Historic. Tom. II. c. 26. p. 948. Conf. Tom. III. p. 628. edit. nouae *Foppens.*

**) Not. ad vitam Beggae. p. 579.

ſigne: IOS. GELDOLPHI a RYCKEL, *Abbatis monaſterii S. Gertrudis, vita S. Beggae, Ducиſſae Brabantiae, cum annotationibus et Hiſtoria Begginagiorum Belgii. Duaci* 1631. *in* 4. Bibliothecarum vero Belgicarum ſcriptores *Louanii* 1631. *typis Cornelii Coenſteinii in* 4. prodiiſſe id perhibent, paullo aliter inſcriptum: *Vita S. Beggae, Duciſſae Brabantiae, Andennenſium, Begginarum et Beghardorum fundatricis, Commentario illuſtrata, et Hiſtoria Begginaſiorum Belgii.* Atrium voluminis occupat antiqua BEGGAE vita, rudi et agreſti ſtilo exarata, ſed breuis, et decem tantum conſtans paruis capitibus: eam vegrandis excipit commentarius, variis rebus, bonis, malis, vtilibus, inutilibus, temere miſtis, et inter ſe confuſis, turgens. Atqui hunc mole multum ſuperat *Appendix Notarum*, quam libri index *Hiſtoriam Begginagiorum* vocat: in qua quidem multa de originibus et incrementis domiciliorum, quae *Beguinae* Belgicae paſſim tenent, non ſine fructu et delectatione eorum, qui rerum veterum amore ducuntur, disputantur, tot vero ſimul nugae et ineptiae, tot pueriles de pietate et miraculis *Beguinarum* narrationes lectoribus ingeruntur, vt nauſeam, niſi aut indocti prorſus, aut ſuperſtitione pleni ſunt, cohibere nequeant. Quis, verbi cauſſa, facile ſe contineat, quum videt, ſanctas fere omnes mulieres, quarum memoriam diuini Chriſtianorum libri ſeruant, Deboram, matrem Samuelis, Iuditham, Hannam, reliquas, in *Beguinarum* numerum longa oratione referri? Ceterum a BEGGAE quidem partibus ſtat RYCKELIVS, at BEGGIVM tamen non totum deſeri vult. Illam enim arbitratur fundamenta inſtituti ieciſſe: hunc vero intermiſſam diu *Beguinarum* vitam et paene ſublatam inſtauraſſe, amplificaſſe, nouisque legibus ſepſiſſe. *Dico*, ait inter alia *), *tametſi fundamenta S. Begga prima poſuerit huius inſtituti: non tamen*,

*) L. c. p. 64.

men peplum illud, quod modo gestant, aut ritualia, quibus vtuntur, eis dedisse, pro comperto ausim asserere. Et breuius alio loco *): *Begga plantauit, Begius rigauit, sed Deus incrementum dedit.* Arbitri ergo personam quodammodo sibi sumit, litemque ea ratione dirimere studet, vt vtrique contendentium parti honos suus seruetur. Post RYCKELIVM ex instituto nemo hanc controuersiam renouauit: at sub iudice tamen eadem manet. Beguinae Beghardique, quos alit Belgium, BEGGAM suam dimittere nolunt: doctiorum vero multi, in quibus HELYOTVM, PAGIVM, SCHILTERVM, et alios esse constat, BEGGIVM praeferunt.

§. XXIII.

Neutri vero sententiae sese adiunget, quisquis prudens vtriusque praesidia et rationes considerauerit. Quae pro BEGGA excogitari possunt, ea omnia studiose collegit, et quatuordecim locis conclusit ERYCIVS PVTEANVS **). Probauit nobis studium suum vir doctus: minime vero acumen, et caussae, quam suscepit, praestantiam. In his enim quatuordecim argumentis pleraque tam sunt fragilia, vt refutatione nil opus sit. Prima ratio ducitur a nomine: Beguinarum nomen a BEGGA deriuari potest. Igitur inde natum est. Quis non videt, simili argumentatione BEGGII caussam defendi posse? Quintum, sextum, septimum, octauum argumentum, a litteris Pontificum Romanorum, ab auctoritate antistitum Mechliniensium, a virorum doctorum consensu, a *Chronicorum* testimoniis, vno flatu disiiciuntur. Romani Pontifices numquam pronuntiarunt, *Beguinarum* nomen, et viuendi formam a BEGGA descendere, sed interdum tantum *Beguinis* contra inimicos litteris suis auxilium tulerunt. Mechlinienses anti-

 stites

*) l. c. p. 171.

**) v. RYCKELII Vita S. Beggae, p. 229. f.

stites et viri docti numquam efficient, vt, quod ipsi temere verum esse putant, id naturam suam amittat, et ex falso verum fiat. *Chronica*, quae laudantur, recentiora sunt, et multis saeculis a S. BEGGAE aetate distant. Iam quid de rationibus dicemus, quae a principum virorum beneuolentia erga Beguinarum familiam, a decoro, a fauore Numinis, et similibus petuntur? Hoc vnum: Prorsus eas a quaestione, cui seruire debent, remotas esse, omnique propterea virtute destitutas. Hoccine est, verbi caussa, ludere, an argumentari, si quis ita rationem concluserit: Magni et excelso loco positi viri, foeminaeque multis beneficiis Beguinas affecerunt: Ergo confiteamur, oportet, Beguinas BEGGAE et ortum, et nomen debere. Honorifica valde et decora est Beguinis originatio haec: itaque certa veraque est. Mittamus minutas illas conclusiunculas, et ea tantum ex PVTEANI, et sodalium eius aceruis excerpamus, in quibus, si minus vis, species tamen quaedam inesse videtur. Primum veterem testantur famam, quae ab aliquot saeculis in Belgio, maxime inter *Beguinas* versata est: huic Annales addunt, et imagines S. BEGGAE in aris, templisque Beguinarum a maioribus collocatas, Louaniensem in primis hoc titulo insignem: *S. Begga fundatrix Begginarum.* Horum vero omnium nihil est, quod ad saeculum decimum tertium ascendat, illis ipsis non diffitentibus, quorum interest, vt perantiqua videantur: quomodo igitur fidem afferent rei, quae saeculo septimo contigit? Deinde documentis certissimis constare monent, *Beguinarum* nomen et viuendi genus, diu ante LAMBERTI BEGGII aetatem viguisse: (Id quidem damus: non item illud, quod ex eo cogi posse putant:) Ergo vtriusque auctor BEGGA est. Certe parum acute ratiocinatur PVTEANVS *): *Beguinis non est auctor: ergo S. Begga est: alterutrum enim esse, cognomentum indicat.*

*) Suffragio de origine et nomine Beguinar. p. 229.

indicat. Postremo in *Andennensium Canonicarum et Beguinarum* conuenientia praedicanda copiosi sunt: quam vnam arbitrantur, si vel reliqua auferantur, negotium, quod agunt, conficere posse. Celebre est in Belgio, non longe a Namurco, domicilium *Canonicarum saecularium*, illustri loco natarum, quod a S. BEGGA conditum esse, nemo dubitat. Atqui Andennenses hae virgines per omnia similes esse feruntur Beguinis, iuribus, viuendi modo, vestitu, habitationis forma, nomine denique: nam et olim, quod supra docui, *Beguinae* nominatae sunt. Itaque Beguinas Andennensium esse progeniem, et vtriusque familiae vnam matrem, S. BEGGAM, perspicuum esse debet. Haec confidenter quidem ZEGERVS ab HONTSVM, PVTEANVS, et alii disputant: sed, si ab eo discedas, quod de nomine tradunt, falso et temere. Nolunt sese Andennenses virgines, nobiles, opulentae, liberae, cum Beguinis componi. Et fatendum, nisi luci aduersari velis, plurimum inter vtrasque interesse. Concidit tota haec male instituta comparatio, modo hoc vnum animaduertamus, Andennenses virgines veras olim fuisse sanctimoniales, et sub S. BENEDICTI regula militasse, paullatim vero a prima lege sua ad solutam illam viuendi rationem, quam hodie sequuntur, desciuisse. Eius rei tam expressa sunt in veteri S. BEGGAE vita, quam RYCKELIVS edidit, vestigia, cetera vt praetermittam testimonia a IO. MABILLONIO, aliisque iam monstrata, nullius vt ingenio deleri possint. Scriptor de aede illa Andennensi, eiusque initiis agens, diserte illam *coenobium foeminarum* nominat, et *claustris regularibus munitam* fuisse, dicit *). Quumque idem de obitu S. Beggae exponit, ad illumque omnes domicilii incolas conuenisse narrat, his vtitur verbis **): *Adfuit velociter* SANCTIMONIA-

*) Vita S. Beggae, c. VI. p. 17. s.

**) ib. c. VIIII. p. 24.

stites et viri docti numquam efficient, vt, quod ipsi temere verum esse putant, id naturam suam amittat, et ex falso verum fiat. *Chronica*, quae laudantur, recentiora sunt, et multis saeculis a S. BEGGAE aetate distant. Iam quid de rationibus dicemus, quae a principum virorum beneuolentia erga Beguinarum familiam, a decoro, a fauore Numinis, et similibus petuntur? Hoc vnum: Prorsus eas a quaestione, cui seruire debent, remotas esse, omnique propterea virtute destitutas. Hoccine est, verbi caussa, ludere, an argumentari, si quis ita rationem concluserit: Magni et excelso loco positi viri, foeminaeque multis beneficiis Beguinas affecerunt: Ergo confiteamur, oportet, Beguinas BEGGAE et ortum, et nomen debere. Honorifica valde et decora est Beguinis originatio haec: itaque certa veraque est. Mittamus minutas illas conclusiunculas, et ea tantum ex PVTEANI, et sodalium eius aceruis excerpamus, in quibus, si minus vis, species tamen quaedam inesse videtur. Primum veterem testantur famam, quae ab aliquot saeculis in Belgio, maxime inter *Beguinas* versata est: huic Annales addunt, et imagines S. BEGGAE in aris, templisque Beguinarum a maioribus collocatas, Louaniensem in primis hoc titulo insignem: *S. Begga fundatrix Begginarum.* Horum vero omnium nihil est, quod ad saeculum decimum tertium ascendat, illis ipsis non diffitentibus, quorum interest, vt perantiqua videantur: quomodo igitur fidem afferent rei, quae saeculo septimo contigit? Deinde documentis certissimis constare monent, *Beguinarum* nomen et viuendi genus, diu ante LAMBERTI BEGGII aetatem viguisse: (Id quidem damus: non item illud, quod ex eo cogi posse putant:) Ergo vtriusque auctor BEGGA est. Certe parum acute ratiocinatur PVTEANVS *): *Beguinis non est auctor: ergo S. Begga est: alterutrum enim esse, cognomentum indicat.*

*) Suffragio de origine et nomine Beguinar. p. 229.

indicat. Postremo in *Andennensium Canonicarum et Beguinarum* conuenientia praedicanda copiosi sunt: quam vnam arbitrantur, si vel reliqua auferantur, negotium, quod agunt, conficere posse. Celebre est in Belgio, non longe a Namurco, domicilium *Canonicarum saecularium,* illustri loco natarum, quod a S. BEGGA conditum esse, nemo dubitat. Atqui Andennenses hae virgines per omnia similes esse feruntur Beguinis, iuribus, viuendi modo, vestitu, habitationis forma, nomine denique: nam et olim, quod supra docui, *Beguinae* nominatae sunt. Itaque Beguinas Andennensium esse progeniem, et vtriusque familiae vnam matrem, S. BEGGAM, perspicuum esse debet. Haec confidenter quidem ZEGERVS ab HONTSVM, PVTEANVS, et alii disputant: sed, si ab eo disceedas, quod de nomine tradunt, falso et temere. Nolunt sese Andennenses virgines, nobiles, opulentae, liberae, cum Beguinis componi. Et fatendum, nisi luci aduersari velis, plurimum inter vtrasque interesse. Concidit tota haec male instituta comparatio, modo hoc vnum animaduertamus, Andennenses virgines veras olim fuisse sanctimoniales, et sub S. BENEDICTI regula militasse, paullatim vero a prima lege sua ad solutam illam viuendi rationem, quam hodie sequuntur, desciuisse. Eius rei tam expressa sunt in veteri S. BEGGAE vita, quam RYCKELIVS edidit, vestigia, cetera vt praetermittam testimonia a IO. MABILLONIO, aliisque iam monstrata, nullius vt ingenio deleri possint. Scriptor de aede illa Andennensi, eiusque initiis agens, diserte illam *coenobium foeminarum* nominat, et *claustris regularibus munitam* fuisse, dicit *). Quumque idem de obitu S. Beggae exponit, ad illumque omnes domicilii incolas conuenisse narrat, his vtitur verbis **): *Adfuit velociter* SANCTIMO-

*) Vita S. Beggae, c. VI. p. 17. f.

**) ib. c. VIIII. p. 24.

NIALIVM *chorus cum vniuerso* [illegible]
vocat prolem foeminarum, [illegible]
MA *viuentium* REGVLARI. [illegible]
diximus, probandum luculent[illegible]
tis? Illustres illae Beguinar[illegible]
babilitati adstruendae tot [illegible]
fabula, nisi totus fallor, sunt, [illegible]
vnice saeculo forte decimo [illegible]
ambitio, aut vanae potius glo[illegible]
nunc vt difficillime ex [illegible]
ostentationi seruit, euelli [illegible]
argumentis, qui LAMBER[illegible]
BEGGIVM, Beguinarum [illegible]
iubent; immo, si rem dilig[illegible]
testimonio nimirum euiden[illegible]
temporibus proximi. Nam [illegible]
ei sunt innexa, vt, si [illegible]
mento careant. AEGIDI[illegible]
qui decimo tertio saecul[illegible]
storiam litteris consign[illegible]
scripta reliquit *): [illegible]
tita teneretur Legia, [illegible]
tauit Deus spiritum [illegible]
ligiosi, qui LAMBERT[illegible]
erat, de S. Christoph[illegible]
mulieres et puellae [illegible]
GVINES *Galliae* [illegible]
titit, qui eis pro[illegible]
dicauit. Narra[illegible]
inter praecipua [illegible]
IO. PISTORI[illegible]

*) in Gestis [illegible]
ensium, cap. [illegible]
II. [illegible]
gesta Pontif[illegible]
Traiectensium [illegible]

formae et naturae fuerit tegumentum id ca- Beguinam maiores appellarunt, non inter se Plerique velum illud, seu peplum, esse religiosae foeminae omnes capiti solent in- Alii vero, quos inter PETRVS de CASE- eminet *), linteam fasciolam ita dictam fuisse qua frons infantum, et omnium etiam mu- Deo dicatarum tegitur. Antiquissimus, quod eorum, quibus haec notatio nominis *Beguina* est GVILIELMVS HEDA, non ignobilis Vltraiectinis episcopis gestarum scriptor: cele- vero et doctissimus, IOSEPHVS SCALI- Ille ad A. 1484. scribit **), *religiosas foemi- latas tamen vitae, quas Beginas vocant, a velo , quo inuolui consueuerunt, sic dictas esse.* Hic- , ait ***), *in Galliis vocantur des filles devotes a beguin, quem gestabant.* Ipse IO. BAPT. MAYE, strenuus alioquin S. BEGGAE vindex, tamen hanc sententiam prorsus reiicere: ex intelligas, magnos ei quondam in Belgio amicos Postquam enim obseruauerat ****), *nomen Be- deriuari a nonnullis a lineo capitis velamine, id est, recuruum quid et prominens ostentante, a Lamberto le Begue: tamen ego*, pergit, VT- IVS CONCEDAM (ergo non repugnat illis, qui veli fluxisse ad foeminas censent, eo vtentes) *addam plius, ex diplomatibus me scire*, et quae sequuntur, alio

*) Les Origines Françoises, 23. *Beguin est proprement ce de toile, dont on cou- le front des petits enfans, appellé, parceque les Reli- , anciennement appellées , s'en servoient, comme les font encore.*

**) du FRESNE Glossarium med. et inf. Latinitatis, Tom. I. p. 1095.

***) Scaligeranis secundis, in AEGID. MENAGII Dictionaire Etymologique de la langue Françoise, p. 89.

****) in Antiquitatibus Gallo-Brabantiae, in Antwerpia, cap. VII. p. 17.

et mortua famam obtinuit. Vtriusque, et matris et filii, vitam, vaticinationes, et res gestas, Leodiensis quidam Canonicus, ignoti nominis, vno volumine, in tres libros distincto, complexus est, quod saepe adhibet, cuiusque partem in lucem protulit CHAPEAVILLVS. Ita saepe et se ipsi, et nos etiam fallunt summi viri, qui multitudinem quamdam rerum simul animo versant. Nobis errorem illum obiter aperire placuit, ne quis in posterum, quod iam ab aliquo factum recordor, IOHANNEM ABBATVLVM inter rerum Germanicarum scriptores ineditos referat: nunc ad rem venio. Vnum igitur certum opinionis suae auctorem tantum habent, qui LAMBERTVM et nomen, et institutum, dedisse *Beguinis* arbitrantur: neque id ipsi diffitentur. Testis ille non contemnendus in se est: sed rerum testimoniis obruitur, aut potius eneruatur. Constat enim documentis et plurimis, et omni exceptione maioribus, diu ante LAMBERTI BEGGII aetatem, conuentus *Beguinarum* et *Beghardorum* in Belgio et Germania viguisse, nominaque haec in ore omnium fuisse. Quare existimandum est, AEGIDIVM illum, Monachum nimirum, rerumque ante se gestarum parum peritum, temere aut sibi ipsum persuasisse, aut persuaderi sibi ab alio, affinitate nominum decepto, passum esse, a LAMBERTI cognomine Beguinarum manasse nomen, hancque sententiam suam, tamquam certam veramque litteris mandasse.

§. XXIIII.

Progredior ad eos, qui *Beguinarum* et *Beghardorum* vocabula nata esse putant a re quadam, simili nomine praedita. Horum principes sunt illi, qui ornamentum quoddam capitis, *Beguine* dictum, in quo simul vis erat, animi modestiam significandi, effecisse aiunt, vt, quae gestarent illud, *Beguinae* vocarentur. Sed dissensionis aliquid inter eos ali video, quos haec originatio delectat.

Cuius

Cuius enim formae et naturae fuerit tegumentum id capitis, quod *Beguinam* maiores appellarunt, non inter se conueniunt. Plerique velum illud, seu peplum, esse aiunt, quod religiosae foeminae omnes capiti solent iniicere. Alii vero, quos inter PETRVS de CASENEUVE eminet *), linteam fasciolam ita dictam fuisse perhibent, qua frons infantum, et omnium etiam mulierum Deo dicatarum tegitur. Antiquissimus, quod sciam, eorum, quibus haec notatio nominis *Beguinae* placet, est GVILIELMVS HEDA, non ignobilis rerum ab Vltraiectinis episcopis gestarum scriptor: celeberrimus vero et doctissimus, IOSEPHVS SCALIGER. Ille ad A. 1484. scribit **), *religiosas foeminas, solutas tamen vitae, quas Beginas vocant, a velo capitis, quo inuolui consueuerunt, sic dictas esse.* Hic: *Beguines, ait ***), in Galliis vocantur des filles devotes et bigotes, a beguin, quem gestabant.* Ipse IO. BAPT. GRAMAYE, strenuus alioquin S. BEGGAE vindex, non audet tamen hanc sententiam prorsus reiicere: ex quo intelligas, magnos ei quondam in Belgio amicos fuisse. Postquam enim obseruauerat ****), *nomen Beguinarum deriuari a nonnullis a lineo capitis velamine, Beccam, id est, recuruum quid et prominens ostentante, ab aliis a Lamberto le Begue: tamen ego,* pergit, VT PRIVS CONCEDAM (ergo non repugnat illis, qui veli nomen fluxisse ad foeminas censent, eo vtentes) *addam amplius, ex diplomatibus me scire,* et quae sequuntur, alii

 iam

*) Les Origines Françoises, p. 23. *Beguin est proprement ce Bandeau de toile, dont on couvre le front des petits enfans, ainsi appellée, parceque les Religieuses, anciennement appellées Beguines, s'en servoient, comme elles font encore.*

**) du FRESNE Glossarium med. et inf. Latinitatis, Tom. I. p. 1095.

***) Scaligeranis secundis, in AEGID. MENAGII Dictionaire Etymologique de la langue Françoise, p. 89.

****) in Antiquitatibus Gallo-Brabentiae, in Antwerpia, cap. VII. p. 17.

iam loco a nobis proposita. Sed placere sibi negant hanc opinionem doctissimi homines, DV FRESNE, MENAGIVS, CASENEUVE, et alii: et eam quidem ob caussam, quod *probabilius sit*, velum a religiosis mulieribus, quam mulieres a velo, nomen accepisse. Ego quidem hoc cur minus sit probabile, quam illud, non consequor, et aeque facile fieri potuisse arbitror, vt tegumenti nomen ad mulieres, quam vt mulierum nomen ad tegumentum, traduceretur. At aliis tamen rebus inducor, vt illam deriuationem repudiem. Quarum princeps est, quod vtrique sexui nomen *Beguinorum* commune fuit. Si a velo muliebri tractum esset, solis mulieribus proprium mansisset, neque viris quoque datum fuisset, qui velis non vtuntur. Finitima huic coniecturae est illa, quam GOBELINVS PERSONA de origine vocabuli *Beghardus* dudum proposuit, opinio, antiquior etiam et verisimilior, at minime verior, meo quidem iudicio. *Non tamen*, inquit, de haereticis saeculi decimi quarti disserens *), *hos praeterire valeo, quos Clemens Papa V. in concilio Viennensi damnauit, qui Baghardi ab asperitate habitus nominantur.* Non tam ego veteris linguae Germanorum peritus sum, rationem vt reddere huius interpretationis valeam, et docere, hominem molesta et incommoda veste incedentem, *Beghardum* per vsum sermonis vocari potuisse: forte oculis GOBELINI obuersata est *Becha* rigidiorum e Franciscanis, quos *Clarenianos* olim dicebant: quo nomine vestimenti quoddam genus designabant, quod a reliquis eos Franciscanis distinguebat. Hoc vero scio, antequam illi orirentur *Beghardi*, quos CLEMENS V. condemnauit, plurimis *Beguinarum* et *Beghardorum* vocabulum impositum esse, quibus amictus quidem erat insolens et vilis, at non asper, et corpori molestus: ex quo consequitur,

*) in Cosmodromio Aet. Scriptor. rerum German. MEIBOMII. Tom. I. VI. c. XXXII. p. 229.

tur, GOBELINVM veros vocabuli natales haud assequutum esse. Longe tamen melius coniecit, quam inclytus ille Belgarum Iureconsultus, IODOCVS DAMHOUDERIVS, qui, ANTON. SANDERO teste *), a *bonis hortis*, quos possederunt, *Bogardos* appellatos fuisse, suspicatur: qua opinione nulla fieri potest veri dissimilior, et tanti viri doctrina indignior. Communi Belgarum sermone illi, qui *Beghardi* constantissime in antiquis monumentis dicuntur, et ita dici volunt, nescio qua de caussa, *Bogardi* appellantur. Ea nominis *Beghardorum* deprauatio in errorem induxit illustrem DAMHOUDERIVM. Qui quum in libris antiquis scriptum inuenisset, *Beghardos*, Brugis in Flandria commorantes, primum *fratres textores* ab arte, quam exercebant, postea *bonos pueros Bogardiros* vocatos fuisse, eosdemque sciret, hortum spatiosum et amoenum coluisse, temere in eam cogitationem ingressus est, *Boghardus* idem esse, quod *boni horti cultor*, atque ex Latino vocabulo *bonus*, et Belgico *Garden*, id est, *hortus*, coaluisse. Sed castigauit iam hanc sententiam IO. BAPT. GRAMAYVS **), caussa licet parum probabili ductus, veteri nimirum illa de BEGGA, Beguinarum matre, sententia, cuius falsitatem ostendimus. Error is DAMHOUDERI alium mihi reuocat in memoriam a Iureconsulto pariter maximi nominis in hoc vocabulo admissum, illo quidem haud multò minorem. In veteri quodam testamento, Belgica lingua exarato, quod ANTON. MATTHAEVS cum infinitis aliis antiquis monumentis edidit, testator *Bogardis* Middelburgi degentibus, numum quendam Burgundicum his verbis legat ***): *Item geve ick den boogaerden in Middel-*

*) Rerum Brugensium Lib. IIII. c. XI. p. 265. in Flandria illustrata, Tom. I. Colon. 1641. fol.

**) In Antiquit. Flandriae, in Bruga, P. IIII. c. XIII. p. 108.

***) ANTON. MATTHAEI Analecta veteris aevi, Tom. II. p. 290. ed. nouae.

Middelburck een Bourgoensche schilt. *Bogaerdi* hic sine vlla controuersia, fratres sunt *Beghardi*, quorum in plerisque Belgii vrbibus, et Middelburgi etiam Zelandorum, domicilia olim extiterunt. Id ignorare non poterat editor, MATTHAEVS, vir antiquitatum Belgicarum scientissimus, et *Bogardis*, quos vulgus nominat, nondum extinctis, vicinus. At is tamen, quod merito mireris, homines illos in loca commutat, lectoresque in subiecta adnotatione, sine teste tamen et ratione, credere iubet, *Bogaerden* esse loca sacra, prodigiis et miraculis olim ibi factis inclyta: *Loca intelligit, quae frequentantibus ob patratas olim virtutes ibi, vt vulgo credulis tum persuasum, sacra fecerat superstitio.* Satiusne est, et viro docto conuenientius, ignorantiam ingenue verbis profiteri, quam factis praeter voluntatem ostendere?

§. XXV.

Iam, vt finem tandem haec disputatio habeat, illi prodeant, qui a veteri quodam verbo, actionem, animi affectionem, consuetudinem quamdam significante, *Beguinarum* vocabulum deriuatum esse, iudicant. In his primum locum ipsi poscunt *Beguini* et *Beguinae*, qui, quod supra ex GVILIELMO de S. AMORE audiuimus *), ante multa iam saecula disputabant, nomen *Beguinus* Latinae originis esse, et vel hominem *benignum*, vel *bono igne ignitum*, indicare. Necesse vero non est, vt doceam, hanc notationem ad Grammaticorum Latinorum, media, quam vocant, aetate in scholis imperantium, ineptias amandandam esse. Nullus hodie est eruditorum, quin fateatur, a Germanis, quorum pars Belgae sunt, vocabulum istud profectum esse, principiumque idcirco eius in veteri Germanorum aut Historia, aut lingua, inuestigari debere. Quocirca eos tantum audiamus, qui ad amissas hodie linguae Germanicae radices in

*) §. VIII.

in hoc negotio confugiunt. Sunt et hi in opinionum quadam varietate positi. Primum nonnulli a Germanico verbo *beginnen*, quod *incipere*, seu *exordiri* significat, descendere *Begina* opinantur: cuius sententiae rationem hanc reddunt, quod mulieres, quae hoc nomine afficiuntur, *principium quasi quoddam, seu initium vitae monasticae ponunt*, aut, vt ZYPAEI verbis vtar, *incipiunt et adhuc deliberant, num ad religiosum statum transire velint.* Auctorem deriuationis huius, viri docti *) faciunt IOACHIMVM HOPPERVM, magnum Belgarum Iureconsultum. Probat eam FRANCISCVS ZYPAEVS, nobilis etiam Iureconsultus **), et quidam alii. Me vero nullo modo capit. Verbum *beginnen*, ex lege sermonis Germanici, nisi me fallit opinio, parit nomen muliebre *Beginnerin*, et virile *Beginner*, non vero *Beguine* et *Beghard.* Omitto, etiam illos vtriusque sexus homines *Beginos* et *Beghinas* appellatas esse, quibus *incipientium* nomen nullo modo conueniebat, illos, puto, qui sacro ordini plane initiati erant, tirociniumque eius dudum superauerant. Exempla supra suppeditauimus. Alios vocabuli nostri natales, qua est ingenii solertia, excogitauit IO. GEORG. WACHTERVS, vir veteris sermonis Teutonici in primis gnarus. *Mittamus*, inquit ***), *Begum et Begam, et* Beginas *ducamus a verbo Anglosax.* began, bigan, biggan, *colere, obseruare, seruire. Nam hinc fit* bigenga, *cultor eadem dialecto. Cur non etiam* Begina *mulier religiosa, regularum ordinis sui cultrix et obseruatrix?* Hanc alio loco repetit opinionem ****), vbi Gallicum *bigot,* quo superstitiosi

*) CAR. du FRESNE Glossar. Tom. I. p. 1095. IO. DIECMANNVS Specimine Glossarii Theotisci, p. 18. IO. SCHILTERVS Glossario Teutonico, p. 95. Tom. III. Thesauri Antiquitt. Germanic.

**) Consultationum Canonicarum de regularibus, Lib. III. Consult. I. p. 181. ed. recent.

***) Glossario Germanico voce *Begine*, p. 137.

****) Glossario, voce *Beigott*, p. 142.

ſtitioſi homines notantur, eiusdem eſſe originis diſputat. Recipiant, quibus placet, hanc diuinationem: me quidem iudice, quod bona cum gratia eruditi auctoris dixerim, incerta eſt, vaga, et nimis longe arceſſita: adderem, legi ſermonis Germanici non ſatis apta, ſi puſillam meam in hoc genere ſcientiam, aut verius ignorantiam, cum doctiſſimi viri ſcientia conferre auderem. In hoc ceterum viro eximio adſentior, quod vocabulum *Begutta* non niſi terminatione a *Beguina* differre, et ab vna ſtirpe haec duo nomina profecta eſſe, iudicat. Secus videtur praeclaris ex Francis viris, STEPH. PASQVIERIO *), AEGID. MENAGIO **), PETR. de CASENEUVE ***), Benedictinis ſodalibus, qui du FRESNII *Gloſſarium* locupletatum ediderunt ****), nec paucis aliis, qui quidem exiſtimant, ex formula ſacramenti Germanorum *By Gott*, id eſt, *per Deum*, natum eſſe nomen Gallicum *bigot*, quod hominem ſignificat ſine ratione pium, et ſimul foeminarum religioſarum appellationem, *Begutta*. Cui ſententiae vt fidem faciant, ex antiquis gentis Annalibus obſeruant, ROLLONEM, Normannorum Ducem, quum ſoceri, CAROLI *Simplicis*, Francorum Regis, pedes oſculari iuberetur, patria lingua ſancte negaſſe, ſe id facturum, et dixiſſe: *Ne ſe by Gott*, hoc eſt, *non ita*, *per Deum:* quam propter vocem et ipſum, et Normannos omnes, *Bigottos* appellatos fuiſſe. Nolo ego vel facti huius veritatem, vel ortum vocabuli Francici *bigot*, ex illo ROLLONIS ſacramento in dubium vocare: hoc autem pro certo affirmare auſim, nomen *Begutta* non ex eodem fonte manaſſe, neque mulierem, Deum ſaepe teſtan-

*) Recherches de la France, lib. VIII. c. II. p. 759. T. Tom. I. Opp. Amſterd. 1723. Fol.

**) Origines de la langue Françoiſe, p. 100.

***) Origines Françoiſes, p. 24.

****) Gloſſar. Tom. I. p. 1095.

ſtantem, deſignare. Quod quum credi volunt viri docti, duo aſſumunt, quae difficillime dabit homo non ignarus rei, quae agitur. Primum: *Begutta* conuicium eſſe, ſeu nomen, morbum quendam animi, aut prauam conſuetudinem indicans: nos vero multis ſupra teſtimoniis demonſtrauimus, et, ſi quis roget, pluribus oſtendere poſſumus, nihil in eo nomine contumelioſi olim fuiſſe, foeminasque pias et ipſas illud libenter ſumſiſſe, et ab aliis ſibi tribui paſſas eſſe. Alterum: illis mulieribus, quae *Beguttae* dicebantur, ſemper illud ſacramenti genus: *Per Deum*, *By Gott*, in ore fuiſſe. Id vero ab omni abhorret veri ſpecie, quum neminem praetereat, iſtiusmodi foeminas ſacramenta omnia caute fugere, immo per ſectae ſuae leges, a religioſis adſeuerationibus abſtinere iuberi. Igitur, hac miſſa, ad illam transeamus deriuationem, quae, mea quidem ſententia, tametſi vitio non careat, ceteras omnes probabilitate vincit, immo purgata et emendata pro veriſſima haberi debet. Inuenta eſt illa, nam antiquiores eius amici mihi nusquam ſeſe obtulerunt, a doctiſſimis, qui *Acta Sanctorum* Antwerpiae colligunt, Ieſuitis: quorum verbis eam proferam, antequam quid vel veri, vel falſi contineat, explicem. VLPHO, Vaſtenenſis in Suecia Monachus, in *vita S. Catharinae Suecicae*, ad diem XXIIII. Martii, a laborioſiſſimis Ieſuitis edita, CAROLVM, ſanctae illius mulieris fratrem, ſororem ſuam his verbis obiurgantem, inducit *): *Non es contenta, quod te* BEGVINAM *feceras, quin etiam uxorem meam tecum* BEGVINAM *faceres, et fabulam populorum?* Habet hic nomen *Beguina* vſitatam poteſtatem ſuam, et mulierem ſignificat ſupra modum piam, morumque inſolentia et nouitate religionem ſuam publice teſtantem. Iſtam vero reprehenſionem Ieſuitae hoc modo illuſtrarunt: *Honeſtiſſimum in*

*) Acta Sanctor. Antwerp. Tom. III. menſis Martii, in vita Catharinae Suecicae, cap. II. §. VIII. p. 507.

in Belgio nomen, (quatenus eis mulieribus conuenit, quae a saeculi abductae vanitate, ad S. Beggae exemplum, modestam simul vitam ducunt, certis quibusdam legibus, at non votis religiosis, adstrictam) aliam tamen, eamque vilissimam inter Gothos, Francos, Saxones habuisse significationem, ex eo colligas, quod Franci sordidissimam haereticorum sectam, voluntariae paupertatis larua se obtegentium, Beguardorum *et* Beguinarum, *nuncuparint; in eaque significatione prima eiusmodi nominum radix* begge *etiam hodie significat mendicare apud Anglo-saxones* *). Duplicem viri docti originem vocabulo *Beguina* assignant, honestam et turpem. Illam habet, quum de mulieribus religiosis in Belgio, quae *Beguinae* nominantur, adhibetur: has enim fama fert, a S. BEGGA instituta esse: quam famam, qua sunt prudentia, Iesuitae oppugnare non audent. Turpis vero eidem subiecta est notio, quum de illis *Beguinis* et *Beghardis* agitur, quibus concilia leges opposuerunt: tum enim progenies est veteris vocabuli Saxonici *beggen*, id est, mendicare, quod quidem illi homines sibi laudi ducebant. In hanc sine dubio sententiam inuidiae metus Iesuitas impulit. Nam quum clare intelligerent, communem Belgarum de ortu vocabulorum *Beguina* et *Beghardus* opinionem defendi nullo modo posse, eo quod in multos illa cadant, quos nemo sanus ad S. BEGGAM retulerit, neque tamen eam spernere, et falsi condemnare vellent, ne *Beguinas* et *Beghardos* Belgicos, eorumque patronos offenderent, duplicem eorum nominum stirpem confinxerunt, Belgicam et Germanicam; illam sacram, hanc profanam. In quo ne sibi quidem ipsi satisfecerunt. Alio enim loco **), vbi

*) Repetunt hanc originationem, sed paucis, Iesuitae *Tom. III. Actorum Aprilis ad vitam S. Catharinae Senensis, p.* 872. Hunc posteriorem locum obseruauit tantum CAR. du FRESNE in *Glossario*, et Benedictini, qui opus eius locupletarunt: non illum multo clariorem et vberiorem, quem hic legendum dedi.

**) Tom. III. Actor. Aprilis, p. 872.

vbi idem nomen *Beguina* explicant, Belgicae illius ſtirpis mentionem plane omittunt, ſimpliciterque pronuntiant, ex *Beggen*, mendicare, natum eſſe. Haec vero interpretatio, vt, quod res eſt, fatear, tantum habet veriſimilitudinis, quantum ceterarum nulla, quas recenſuimus. Reſtant hodie in Anglorum lingua, cuius mater Saxonica vetus eſt, vocabula *beg*, *beggar*, *begging*, et alia, mendicis et ſuppliciter aliquid petentibus propria: congruit etiam illa declaratio cum conſuetudine magnae partis hominum illorum, qui *Beguinae* et *Beghardi* quondam nuncupati ſunt. Quare vna ratio tantum valuit apud eruditos Benedictinos, qui du FRESNII *Gloſſarium* amplificatum et auctum emiſerunt, vt eam *omnibus aliis probabiliorem*, et vnice admittendam eſſe, pronuntiauerint. Sed ſequitur tamen hanc notationem difficultas quaedam, eademque haud leuis. Antiquiſſimi *Beghardorum* et *Beguinarum* ipſi ſibi laborando vitae neceſſaria parabant, non mendicando ab aliis poſcebant. Quis ergo facile credat, nomen illis a vocabulo veniſſe, quod hominum eſt alieno ſumtu viuere volentium, et ſtipem flagitantium? Nodum hunc fruſtra expedire tentabunt, qui a veteri verbo *beggen*, quatenus *mendicare* ſignificat, *Beguina* ortum eſſe, cenſent. Quocirca rem paullo aliter inſtituendam, et aliam antiquo illi vocabulo notionem, ſed principi eius poteſtati conſentaneam, ſubiiciendam eſſe reor, ſi Ieſuitarum ſententia primas obtinere debeat. Periculum ego faciam, num ea ratione id fieri queat, vt nulla vis verbo inferatur, et interpretatio nominis *Beguina* ſtatui foeminarum eo vtentium conuenientiſſima inueniatur.

§. XXVI.

Sciunt, qui linguarum conuerſionibus et fatis cognoſcendis ſtudii nonnihil impenderunt, multa eſſe in omnibus vocabula, rebus diuinis et religioſis hodie ſacra, quae olim communem et late patentem poteſtatem habuerunt.

Nostra, verbi caussa, nomina: *Andacht*, *Beten*, *Gelübde*, *Busse*, vt de aliis minus notis taceam, primum omnis generis meditationes, preces, promissiones et poenas significabant: paullatim vero eueniebat, vt ad rerum divinarum contemplationem, ad preces religiosas, ad promissa Deo data, ad poenas iustitiae diuinae debitas, traducerentur: neque hodie quisquam, nisi obscure et inusitate loqui velit, alio ea sensu, quam hoc arctiori, vsurpare audet. Ex horum vocabulorum genere, quorum notio sensim contracta est, nisi me omnia fallunt, vetus est illud vocabulum Saxonicum *beggen*. Certissimum est, illud generatim idem esse, quod *vehementer et studiose aliquid ab aliquo petere*, et ad omnis generis preces, cum contentione quadam coniunctas, nulla vel rogantium, vel eorum, qui rogabantur, ratione habita, designandas adhibitum primum fuisse: neque hodie hanc potestatem apud Anglos amisit. Eos vero, qui a Deo precibus aliquid impetrare volunt, quum in primis decet serio et suppliciter orare, ideo factum est, vt ad hoc sigillatim traheretur, et communi loquendi vsu saepe non absolute *deprecari*, sed *Deum deprecari*, significaret: quod idem vocabulo *beden*, aut *beten*, contigit; cuius vis quum olim amplissima esset, ita sensim coarctata est, vt ad preces religiosas vnice hodie pertineat. Haec tam prompta sunt, tam creditu facilia, tam quotidianae consuetudini consentanea, exemplis et veterum monumentorum locis vt ea confirmare, nil opus sit. Adeant vero, quibus, quod testimoniis caret, perspicuum licet sit, idem tamen incredibile videtur; adeant, inquam, perantiquam illam, siue Gothicam, siue Francicam, quatuor *Euangeliorum* conuersionem, quam VLPHILAE ferunt esse, et quemadmodum vocabulum *bidgan*, aut *bedgan*, in eo ponatur, obseruent. Vocabula *beggan*, aut, vt alii scribunt, *biggen*, et *bedgan* siue *bidgan*, nulla re alia differunt, quam pronuntiatione. Gothi, aut, si mavis, Franci, (Gothicane enim, an Francica, dialecto exaratus

aratus ſit ille VLPHILAE codex, argenteus qui dicitur, diſceptant adhuc viri docti) durius, Saxones lenius et mollius, *d* in *g* mutato, idem verbum efferebant. Vtrumque nomen, precum feruidarum et vehementium nota eſt. *Bidgan*, ſeu *Bedgan*, et *Bedgen* apud VLPHILAM et de quouis precum genere, et de mendicorum importunis precibus, et de religioſis precibus vſurpatur. Verba S. LVCAE c. VIIII. 28. ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι; *aſcendebat Chriſtus in montem, Deum orandi cauſſa*, VLPHILAS ita reddit: *Usiddga in ſaixguni bidgan.* Quod Seruator ipſe IOH. XVII. 9. dicit: *Ego pro eis oro, non pro mundo oro;* id interpres his verbis exprimit: *Ik bi ins bedga, ni bi tho manaſeth bedga.* Hanc notionem coniungi debere cum verbo *beggen* in vocabulis, quorum res hic agitur, non ſuſpicor, ſed exiſtimo. *Beguina* ergo et *Begutta* mulier eſt precatrix, *eine Betſchweſter*, vt noſter hodie populus loquitur; ſeu foemina, ideo ceteris hominibus diſſociata, vt principi pietatis officio, precibus, tanto commodius et frequentius operam dare poſſit: *Beghardus* ſeu *Beguinus*, *precator*, homo bonam vitae partem in precibus conſumens. Et nulla fieri et inueniri poterat aptior moribus et inſtitutis huius generis appellatio. Hac enim de cauſſa primi omnium, qui his vtebantur nominibus, ſe mundo vale dixiſſe confirmabant, vt otium nanciſcerentur, aſſidue et ſine moleſtis interpellatoribus ſupremum Numen deprecandi. *Hi omnes*, inquit GVIL. de S. AMORE *), *viuere volunt de eleemoſynis in otio corporali* SVB PRAETEXTV ORANDI — — *Etiam eſt quarta ſecta, quae dicit:* — — — INCESSANTER *eſſe* ORANDVM. Quumque omnes ſummam vniuerſae pietatis in precibus vnice poſitam eſſe iudicarent, ad illas, quae ſummo mane in templis fundebantur, ceteris citius ante lucem properare ſolebant. RICHERIVS, Senonien-

*) Operum, p. 91.

nonienſis Monachus, de ſui, ſiue decimi tertii, ſaeculi Beguinis *): *muliercula Sybilla videns plures mulierculas ſub doctrina praedicatorum ſpecie religionis florere, quae* BEGVINAE *appellantur, volens ipſas imitari, dictis et factis ſuis ſimplicitatem ſuam praetendebat: eccleſias etiam hora Matutinarum et Miſſarum,* SICVT MORIS EST BEGVINARVM, *maturius frequentabat.* Rhythmi veteres de clauſtro Pratenſi in Flandria, apud CAROL. du FRESNE **):

Ibant enim illae (Beguinae) MANE *ad Albini ſanctum templum.*
DEVM ORANT, *nec inane deforis dabant exemplum.*

Beguina quaedam Hanouerana de ſe, ſuisque ſororibus apud IOH. BVSCHIVM ***): *Quarta hora mane ſurgimus, de beata virgine horas, ſeptem Pſalmos, vigilias et alia ſimilia pariter ſuo tempore legimus.* Scriptor *Proceſſus* S. WERNERI ****): *Werneri ſanctitas primo fuit prodita — — — a tribus virginibus, ſeu Beguttis,* ANTE MANE *eccleſiam viſitantibus.* Quid pluribus in re manifeſta teſtimoniis opus eſt?

*) Chron. Senonienſi, Lib. IIII. c. XVIII. in LVC. DACHERII Spicilegio veter. ſcriptor. Tom. II. p. 634.

**) Gloſſario, Tom. I. p. 1094.

***) De reformatione monaſteriorum, in GODOFR. GVIL. LEIBNITII Scriptoribus Brunſuicenſibus, Tom. II. p. 923.

****) Acta Sanctor. April. Tom. II. p. 722.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

DE MVLIERIBVS, QVAE PRIMAE OMNIVM BEGVINARVM NOMEN TVLERVNT.

§. I.

Obseruaui iam, et res omni caret controuersia, *Beguinas* in Germania et Belgio extitisse, antequam *Beguini* et *Beghardi* orirentur, nomenque hoc a mulieribus ad viros, qui ad mulierum sese exemplum componebant, transiisse. Ostendi etiam, late id vocabulum patuisse; omnesque foeminas complexum esse, quae amore religionis prae ceteris ardere videbantur, siue certis legibus et regulis parerent, siue ex lubitu et arbitrio suo viuerent. Harum vero mulierum inter greges, varii quidem generis, vnus est, cui appellatio ista, quoad longissime praeteriti temporis spatium respicere nobis licet, ad nostram vsque aetatem, tam constanter tributa fuit, vix vt aliquis dubitare possit, ab hoc eam reliquos omnes mutuam veluti accepisse. Haec ergo familia, quae suo quodam iure *Beguinarum* sibi nomen vindicat, quum ad alias loquendi tantum licentia peruenerit, caput esse narrationis nostrae debet. *Beguinas* multi, GERH. IOH. VOSSII exemplo *), foeminas esse dicunt, *quae, virginitate in perpetuum vota, se Christo dicarunt*, easdem, *quas priores sanctimoniales vocarunt.* Hi magnum sibi ducem elegerunt, verum malum; qui quum in provincia versaretur, eiusmodi mulieribus conferta, et disertissimo earum patrono, ERYCIO PVTEANO, quem ipse laudat, familiari vteretur, distinctissima tamen hominum genera miscuit. Plurimum enim inter sanctimoniales et *Beguinas*, proprie sic appellatas, interest. *Beguinae* aut virgines sunt, aut viduae, quae salutis aeter-

*) de vitiis sermonis Latini, Lib. II. c. III. p. 185.

nae potiundae ſtudio, vitae voluptatibus, ſaeculique moribus renuntiarunt, quod laboribus ſubducere poſſunt tempus, precibus, rerum diuinarum meditationi, piis colloquiis, religioſis denique officiis tribuunt, mentisque modeſtiam velo, ſimplicique veſtitu declarant; ſeruata ſibi tamen libertate nubendi, et ad priſtinam vitae formam, ſi res ita ferat, reuertendi. Germani, praeter *Beguinarum* vocabulum, duo alia habebant nomina, quibus id mulierum genus ab aliis ſecernebant. Primum appellabant eos *ſorores poenitentes*, quoniam peccata videri volebant morum auſteritate, et voluntariis poenis expiare: easdem deinde *Recluſas* quoque, *die Kläuſnerinnen*, a domibus, quibus ſemet ipſae concluſerant, et quae *die Klauſen*, Cluſae dicebantur, nuncupabant. Quamquam vtrumque hoc vocabulum non ita illis proprium erat, vt ad alias etiam communi ſermone non transferretur: quod veterum documentorum lectores monere debet, cauto opus eſſe in definienda nominum illorum poteſtate. De priori nomine inſignis eſt apud RICHERIVM, *Chronici Senonienſis* ſcriptorem, locus, ſed in editis codicibus ignoratione Germanici ſermonis turpiter vitiatus. Loquitur Hiſtoricus de ſcelerato ſacerdote, Zabernae in Alſatia, decimo tertio ſaeculo, in illuſtris matronae, quacum conſueuerat, domum ſub *Beguinae* veſtimento irrepente, his verbis *): *Cum idem Capellanus infamiam illam, quae de ſe et de matrona illa habita fuerat, totaliter crederet eſſe ſopitam, diſpoſuit ipſam matronam iterum viſitare, ſed non habitu, quo agnoſci poſſet. Decreuit igitur indui non ſacerdotalibus, ſed veſtimentis quarumdam muliercularum, quae in partibus iſtis Beguinae, in* ALEMANNIA *vero* KVHERIN, *id eſt,* POENITENTES *appellantur, dominae ſuae, vt non agnoſceretur, praeſentari voluit.* Ecquid nominis, obſecro,

*) Chron. Senon. Lib. V. c. I. Tom. II. Spicilegii Dacheriani, p. 645.

ſecro, id eſt, *Kuherin?* Inferioris quidem Saxoniae dialecto *boum paſtores* ſic fere appellantur. Hi vero quidnam commune habent cum mulieribus Deo conſecratis? Bene eſt, quod ſcriptor Alemannicum vocabulum Latino, quod idem valeat, commutauit. Per hanc enim interpretationem intelligimus, pro *Kuherin* legi debere *Rüerin*, vel *Reuerin*. *Rüen* ſcilicet, ſiue *Reuen*, notiſſimum eſt Germanorum verbum, quod *poenitere*, ſeu *poenitentiam agere*, ſignificat: a quo venit *Reuerin*, ſiue *Rüerin*, id eſt, *mulier poenitens*. Ignoſcamus viro docto, LVCAE DACHERIO, hunc in vocabulo peregrino deſcribendo errorem, quem, praeter Teutonici ſermonis ignorantiam, ſimilitudo litterarum K et R peperit. Alterius, quod indicaui, nominis exempla bene multa ex FRANCISCI PETRI *Sueuia eccleſiaſtica*, ſimilisque argumenti libris, colligi poſſunt: quorum nonnulla cur huc transferenda ſint, nihil equidem cauſſae video, ipſo nomine nondum penitus inter nos extincto. De origine mulierum, quibus impoſita olim haec nomina ſunt, quum diſputatur, hoc ante omnia debet animadverti: Non id quaeri, quonam tempore inter Chriſtianos foeminae extiterint, quae ſibi ipſae vitae formam ſanctiorem et arctiorem vulgari praeſcripſerunt, et a turba, contagioneque ſaeculi ſemotae, corporis mentisque caſtitati cuſtodiendae ſtuduerunt, ſanctimonialium licet, quae vocantur, familiis adſcribi nollent? Conſtare enim arbitror inter eos, qui antiquitatis Chriſtianae notitiam quamdam conſequuti ſunt, ab ipſo fere rerum Chriſtianarum exordio, vbique fere eius generis mulieres vixiſſe. Nec idcirco deſipere prorſus putandi ſunt, qui *Beguinarum* initium cum ipſis prope ciuitatis Chriſtianae initiis coniungunt, ſi laxam vocabulo poteſtatem ſubiiciant *).

 Atqui

*) vid. IO. SCHILTERI Gloſſar. Teutonicum, Tom. III. Theſauri Antiqq. Teutonicarum, p. 95. IOS. GELDOLPH. a RYCKEL in vita S. Beggae, p. 91. ſ. et alii.

Atqui veteres illae mulieres pietatis, quam humanae vanitatis, amantiores domibus suis et familiis non egrediebantur, nullo inter se vinculo copulatae erant, nullius obediebant imperio, nullis adstrictae erant legibus, si eas demas, quas ipsae sibi tulerant. Quamobrem hoc in disceptationem venit: Quando, vbi, quibus auctoribus, foeminae eiusmodi societates condere, in certas aedes, instituto suo dicatas, migrare, vitae suae formam legibus vallare, certis sese officiis addicere, gubernationi sacerdotum subiici, bona toti collegio communia acquirere, principum denique virorum et foeminarum liberalitate et beneuolentia, variis item iuribus, vti coeperint? Contigisse id primum aut in Germania, aut in Belgio, testatissimum est: et ipsum fere nomen demonstrat. Verum locus, annus, princeps instituti ignorantur.

§. II.

Belgae, quod iam vidimus, in duas de ortu *Beguinarum* sententias distrahuntur. Alii a BEGGA, illustri saeculi septimi foemina, eas arcessunt: alii a Leodiensi sacerdote, duodecimo Saeculo claro, LAMBERTO le BEGVE. Quarum quidem opinionum illa concordibus Beghardorum et Beguinarum, quotquot ex magno naufragio restant, suffragiis laudatur: hanc viri eruditi, et partium studio vacui, magis probant, verum timidi tamen, et haesitantium similes, ne famam publicam vetustate robustam temere aspernari videantur, et inimicitias contrahant. Nos neutram ferri posse, superiori iam capite rationibus, quas nemo facile fregerit, demonstrauimus. Praeter has binas, tertia quaedam inter eximios viros sententia versatur, quae non ante decimum tertium saeculum *Beguinas* esse natas, confirmat. Et in hac quidem plus, quam in illis, virtutis inesse videtur, quoniam perspicuis aequalium scriptorum testimoniis tegitur: verum accuratius tractata expectationem etiam, quam commouerat, omnino destituit. Tribus autem

potis-

potiſſimum teſtibus vtitur magnae, ne quid diſſimulem, auctoritatis. Primus MATTHAEVS PARIS, nobilis aetatis illius hiſtoricus, generatim tradit, adulto ſaeculo, in Alemannia magnam virorum foeminarumque turbam ad *Beguinalem*, ſi hoc vti verbo licet, vitam ſeſe contuliſſe *): *Eisdemque temporibus quidam, in Alemannia praecipue, ſe aſſerentes religioſos, in vtroque ſexu, ſed maxime in muliebri, habitum religionis, ſed leuem, ſuſceperunt, continentiam et vitae ſimplicitatem priuato voto profitentes, ſub nullius tamen Sancti regula coarctati, nec adhuc vllo clauſtro contenti. Eorumque numerus in breui adeo multiplicabatur, vt in ciuitate Coloniae, et partibus adiacentibus, duo millia inuenirentur.* Hic *Beguinarum* nomen deſideratur: verum expreſſit illud alio loco MATTHAEVS, vbi rem eamdem verbis paucioribus complectitur, et inter temporum ſuorum mirabilia refert **): *In Alemannia autem mulierum continentium, quae ſe* BEGVINAS *volunt appellari, multitudo ſurrexit innumerabilis; adeo vt ſolam Coloniam mille vel plures inhabitarent.* Alter teſtis locum etiam monſtrat, vbi primam *Beguinae* ſocietatem coiuerint, Niuellam nimirum, quod Brabantiae oppidum eſt. THOMAS vero is eſt CANTIPRATANVS, Dominicanae familiae Monachus, quem declinante ſaeculo poſt decimum tertio viuis exceſſiſſe nouimus. *Perinde*, ait ***), *circa annum incarnationis Dominicae MCCXXVI. res mirabilis accidit in oppido Niuellenſi.* (Rem illam mirabilem alio forte loco recitabimus.) *In hac vrbe, vt pluribus adhuc viuentibus notum eſt, mulierum deuotarum, quae* BEGHINAE *dicuntur, nunc late diffuſa per orbem religioſitas inchoauit.* In hoc teſtimonio,

*) Hiſtoria maiori ad A. 1243. p. 540. edit. Wilh. Watts.

**) l. c. ad A. 1250. p. 696.

***) in Bono vniuerſali de Apibus, Lib. II. c. LI. p. 478. ed. Coluenerii.

monio, quod ab euidentia non minus verborum, quam auctoris sui fide commendatur, eneruando multum operae consumserunt PETRVS COËNS et IOSEPH. GELDOLPHVS a RYCKEL: ille in *disquisitione de origine Beguinarum*; hic in *Obseruationibus ad vitam S.* BEGGAE: sed efficere tamen haud potuerunt, vt a viris eruditis prorsus contemneretur: quos inter LVDOV. THOMASSINVS diserte, vana esse reliqua omnia, contendit, quae de *Beguinarum* origine feruntur, et in CANTIPRATANI auctoritate acquiescendum esse putat *). Tertius testis annum etiam instituti ordinis *Beguinarum* commemorat, et A. 1207. natalem eius esse prodit. PETRVS de HERENTHAL, Brabantinus, Praemonstratensis, *Annales* inter alia reliquit ad A. 1385. pergentes: e quibus nondum, quod sciam, editis, haec verba excerpsit IOS. GELD. a RYCKEL **): *Anno Domini MCCVII. multae mulieres, tam senes, quam iuuenes, contempto saeculo cum suis delectationibus, sponso, qui in coelis est, seruire desiderantes, fecerunt sibi congregationes simul commorantes, et vocabantur* BEGINAE. Haec belle satis cum CANTIPRATANO congruunt, qui dimidia iam saeculi parte praeterita scribebat, viuere nondum omnes desiisse, qui oculis suis exordium *Beguinarum* spectassent. His ego testimoniis lubens tantum fidei tribuerem, quantum eis a viris me doctioribus tribuitur, nisi alia me retraherent manifesta documenta, quae sodalitates *Beguinarum* ante decimum tertium saeculum nonnullis in locis floruisse,

*) Disciplina ecclesiae circa beneficia vetera et noua, P. I. Lib. III. c. LXIII. p. 840. 841. Errat tamen vir doctus, quando THOMAM A. 1226. hoc edidisse testimonium perhibet. Opus eius de apibus serius exaratum est, medio, vt arbitror, iam saeculo decimo tertio elapso. At mirabilis illa, quam narrat, historia A. 1226. diu ante, quam ille scriberet, contigit.

**) Obseruatt. ad vitam S. Beggae, §. CXVI. p. 355.

ruisse, nos confiteri cogunt. Ergo viros bonos, verum Monachos, et idcirco rerum extra patriam gestarum mediocriter gnaros, opinione deceptos fuisse existimemus, vt institutum vetus, sed minus antea celebre, et paucis notum, pro nouo et inaudito haberent. Princeps MATTH. PARIS, Anglus, quum accepisset, concurrere certatim viros, foeminasque in Germania ad societates condendas, quarum similes numquam viderat, facile induci potuit, vt crederet, vnum hoc ex illis esse portentis, quorum foecundissimam aetatem suam esse, temere autumabat. Bini reliqui, Brabantini, patriae fortassis amore ducti, fortassis inscientia vicinarum rerum capti, Brabantinas *Beguinas* primas esse omnium arbitrabantur, eoque tempore sectam exortam esse putabant, quo in Brabantia incrementa cepit. Hoc quidem exploratum videtur, ante saeculum decimum tertium paucas in Brabantia huiusmodi mulieres visas esse, eas vero mirifice pullulasse, et breui tempore ad eum numerum excreuisse, vt colonias alio mittere potuerint.

§. III.

Destructis tribus, quas dixi, de *Beguinarum* exordio sententiis, hoc vnum nobis relictum est, vt ingenue fateamur, in tenebris illud iacere, atque vetustissima, quorum tempus memoriam non abstulit, religiosae illius nationis domicilia persequamur. Rara valde sunt eorum, nec tamen nulla, ante duodecimum saeculum vestigia. Paullo plura saeculum duodecimum monstrat: et hoc ille fuit LAMBERTVS le BEGVE, quem tot viri docti parentem *Beguinarum* creant. Decimum tertium aureum non inepte *Beguinarum* saeculum dixeris. Eo enim per magnam Europae partem secta manauit, tantamque existimationem, quantam optare poterat, adepta est: qua sequenti saeculo et sua culpa, et inopinato casu, excidit. Principe loco inter collegia *Beguinarum*, Herckense in Flandria collocari deberet, cuius

cuius hodie perexiguae tantum reliquiae supersunt, aut verius, praeter veterem famam, nullae, si GODOFR. WENDELINO auctore vti nobis tuto liceret *). Vir litteratissimus, nec expers ingenii, qui S. BEGGAM Beguinis praeficit, hac ipsa viuente, et saeculo idcirco septimo, Hercani, vt loquuntur Belgae, *Beguinagii* fundamenta esse iacta, coniicit. Sed quum nudam et inermem hanc coniecturam relinquat, si ornamenta quaedam demas ex ingenio depromta, perspicuum est, cauto homini probari eam nullo modo posse: vt fabulam esse omittam, quae de BEGGA, matre Beguinarum, feruntur. Proxima huic est antiquitate *Beguinarum* sodalitas, *Kauffbyrae*, libera imperii Romano-Germanici in Sueuia vrbe, olim florens, nunc tertiam S. FRANCISCI regulam sequens; quippe quam nono post natum Seruatorem saeculo coaluisse, ex antiquis monumentis FRANCISCVS PETRI refert **). Scriptum is reperit, virginem quamdam illustri equitum *de Curia* (vom Hoff) stirpe prognatam, ANNAM, villam, quam possidebat, ante portam vrbis Kauffbyrae sitam, A. 893. in *Beguinarum* domicilium conuertisse, idque ipsam multis nobilibus atque illustribus puellis comitantibus ingressam esse, primis incolis per sequentia saecula multas alias eiusdem generis successisse; verum *Monialibus libertinis seu domesticis, uti vocantur, Beginis passim abrogatis, et ad certam aliquam religionem authoritate Pontificia comprobatam solemniter profitendam abire coactis*, has etiam *Beguinas* statum suum deseruisse, et tertiam S. FRANCISCI regulam adoptasse. Narratio haec tota consentit cum antiquis moribus, nec idcirco habet aliquid difficile creditu: sed metuo, ne in tempore nos fallat, et rem recentiori memoria gestam, quo augustior

*) Epistola de Herckensi Beguinagio in RYCKELII vita Beggae, p. 579.

**) In Sueuia Ecclesiastica, p. 455. August. 1699. fol.

gustior fiat, antiquiorem aliquot saeculis faciat. Hunc autem metum cum alia quaedam mihi iniiciunt, quae breuitatis caussa praetereo, tum in primis MARTINVS CRVSIVS, qui eamdem historiam ex codice manu exarato recitat, at in decimum quartum saeculum detrudit *). ANNAM nempe illam, quam diximus, memorat cum tribus fratribus, LVDOVICI BAVARI tempore vixisse, atque, binis fratribus infelici fato defunctis, cum tertio superstite, Augustano Canonico, religiosarum virginum domicilium, S. CLARAE dicatum, ad Kauffbyram construxisse. Haec vel audita adeo se commendant antiquitatum Germanicarum scientibus, vt ad ea confirmanda nihil verbis opus sit. Itaque Kauffbyrenses quoque *Beguinas* ab illis semoueamus, quae ante duodecimum saeculum coiuerunt, atque agnoscamus, quae clara et expressa sint, nulla generis huius nisi vndecimo saeculo vestigia ostendi posse. Hoc vero Vilvordienses sese nobis offerunt *Beguinae*, quarum diploma A. 1065. datum supra **) ex PVTEANO et MIRAEO commemorauimus, tale quidem, vt, in omnes licet partes vertatur, nullam tamen doli aliquid suspicandi ansam praebeat. Accedunt bina alia, saeculo quidem sequenti scripta, verum ea tamen, vt scribi tum nullo modo potuerint, nisi diu iam antea illae, quarum ad res pertinent, in societatem publicam se contulissent ***). Altero, A. 1129. *Dominica Cantate* exarato, *Scabini Vilvordienses*, qui nominatim indicantur, significant, *Isabellam Begginam filiam Liuini locasse, et ad censum dedisse ex parte mensae Spiritus Sancti curiae Begginarum Laurentio de Brug, vnum bonarium terrae arabilis, de quo ille quotannis quindecim denarios monetae vsualis pendere debeat.* Haec ergo ISABELLA praeerat *Infirma-*

*) Annalium Sueuicorum Part. III. Lib. IIII. c. VI. p. 219. Francof. 1596. fol.

**) Cap. I. §. XXIII.

***) RYCKELII vita S. Beggae, p. 83. 84.

firmariae, quam vocant, *Begginarum*, et bona eius administrabat. Altero, A. 1151. exarato, *Pastor, Magistra, et Prouisores Viluordiensis Begginasii* testificantur, *se Iohanni van Schmissen partem terrae, in pago Semsio sitae, elocasse.* In hoc *Pastoris* mentio animadverti debet, quae in primo desideratur: nec enim nihil ad roborandam harum chartarum fidem confert, quum exploratum sit, prima *Beguinarum* et antiquissima collegia *Pastore* caruisse, adulta vero et amplificata non contemnendas propter caussas facultatem nactas esse, proprium sibi sacrorum ministrum creandi, et templum construendi. Ex quo verisimile fit, saeculo vndecimo Viluordiensem *Beguinarum* sodalitatem haud antiquiorem esse. Crediderim, nec dissentient fortassis, qui rem diligentius sibi ante oculos ponere volent, praeter hanc, nonnullas alias in Belgio aetate illa similes societates extitisse: sed haec vna temporum iniurias effugit, neque hodie omnino sublata est, locum licet mutauerit *). Non dissimulo, quae doctissimi et antiquitatum Belgicarum scientissimi viri de origine *Beguinarum* Brabantinarum tradunt, Viluordiensibus illis tabulis aduersari: Brabantiae enim oppidum est Viluordia. Nimirum illi etiam, qui a septimo saeculo, et S. BEGGA *Beguinarum* familiam ducunt, diffiteri tamen nolunt, eam saeculo demum decimo tertio in Brabantia sedem sibi fixisse. Loquatur instar omnium IO. BAPT. GRAMAYE, quo vix alius maiori studio vetusta patriae instituta investigauit. Is, tametsi *Beguinarum* antiquitati vehementer faueat, haud tamen affirmare dubitat, Brabantinas a Leodiensibus, quae saeculo duodecimo inclinato esse coeperunt, profectas esse. *Libens*, inquit **), *fateor, Beginas, quae tam frequentes nostram incolunt Brabantiam,*

*) vid. MIRAEI opera diplomatico - historica, Tom. III. p. 626.

**) Antiquitt. Gallo - Brabantiae, in Antwerpia, cap. VIII. p. 17.

tiam, ab exemplo Leodicensium profectas, cum non legerim vllam earum fundationem ante A. 1002. Numerus hic mendum sine dubio continet: legas, necesse est, 1202. Nam si iam A. 1002. Brabantia *Beguinas* habuisset, illae certe a Leodicensibus haud ortae essent, quae binis fere saeculis recentiores sunt. Alio idem loco apertius aduentum *Beguinarum* in Brabantia his verbis describit *): *Virgines quaedam, Beginarum nomine, celibem vitam, sed liberam agentes, venerunt in Brabantiam ex Germania, vt opinantur quidam, ex regionibus Mosanis, vt ego, probabili nixus coniectura. Hae cum primo in vrbes non reciperentur, circa Schaldim resederunt, ibique recens extructo S. Bernardi monasterio se subiecerunt, longoque post tempore confessores suos ex isto monasterio habuerunt: donec ob frequentes abusus impetrarunt a sancta sede secularem pastorem. Hae, Mechliniam delatae, in vico, cui adhuc nomen haeret, diutius resederunt —: donec pars in coloniam missa, A.* 1249. *extra muros oppidi curiam extruxit.* Hausit haec sine dubio vir eruditus ex antiquis chartis, vti omnia fere, quae refert: quibus si ea iungas, quae supra ex CANTIPRATANO et PETRO HERENTHALIO de origine *Beguinarum* in Brabantia protulimus, Viluordiensium antiquitas in periculo quodam versari videtur. Verum, meo quidem iudicio, antiquis tabulis et diplomatibus, si nulla quidem in ea cadat suspicio, is honos haberi debet, vt auctoritas eorum, priuatorum omnium testimoniis anteferatur. Neque, puto, GRAMAYVS ipse, et qui eum sequuntur, aliter sensissent, si viuentibus ipsis Vilvordienses illae tabulae in lucem prolatae fuissent.

§. IIII.

Ipso duodecimi saeculi exordio Waldseae, quod oppidum est in Sueuia Austriacum, *Beguinarum* collegium quod-

*) Historia vrbis et prouinciae Mechliniensis, Lib. III. cap. VI. p. 15.

quoddam conditum eſt, quod deinceps ad tertiam S. FRANCISCI regulam, vti multa alia, ſeſe contulit. *Iam A.* 1100. inquit FRANCISCVS PETRI*), *exortum ſeu originem ſumſit a tergeminis ſororibus, vno patre et matre editis, iisdemque vitam ac mores (prout mos aetatis illius ferebat) Beginarum deuoto Chriſti famulatu ſectantibus: quibus aliae et aliae de virgineo pudore rectius ſeruando magis ſollicitae, ſucceſſu temporis in Domino fuerunt conſociatae.* Quae verba huc ideo transferre placuit, quia modum oſtendunt, quo omnes fere ſodalitates *Beguinarum* collectae ſunt. Primum paucae priuatim coiuerunt: his aliae deinceps, perfectioris vitae ſtudio inflammatae, ſeſe paullatim adiunxerunt: amplificata ſocietas poſtremo legibus ſepta, et magiſtratus non minus, quam antiſtitis auctoritate firmata eſt. Poſt hunc Waldſeenſem *Beguinarum* conuentum nullum mihi alium in huius ſaeculi, quae tractaui, monumentis inveſtigare licuit ante illum, quem LAMBERTVS le BEGVE Leodii coegit. Neque tamen, quin plures paſſim inſtituti fuerint, dubito, quando *Beghardos* ſeu *Beguinos* nonnullis in locis domicilia ſibi conſtruxiſſe video. Hos enim exemplum vitae a mulieribus iſtis ſumſiſſe, et aetate paullo illis inferiores eſſe, extra diſceptationem fere poſitum eſt. Magna erat praeterea, quum haec ſecta ſtabilitatem quamdam et robur acquireret, mulierum *Beguinarum* cum viris *Beguinis* ſeu *Beghardis*, neceſſitudo, vt plerumque, quibus *Beguinarum* quaedam ſodalitas conſederat locis, iisdem et *Beguinorum* ſubito collegium ſurgeret, quod non modo mulierum domum frequentabat, verum etiam conſilio et auctoritate gubernabat. Eius familiaritatis et coniunctionis ſatis multa, qui volet, exempla ex Belgicis antiquitatibus promere poterit. *Dieſtae,* verbi cauſſa, ait IO. BAPT. GRAMAYVS**), *coenobium gryſiarum eſt ſororum,* (ſic

*) Sueuia Eccleſiaſtica, p. 852.

**) Antiquitt. Belgicis in Dieſta, p. 68.

(sic olim *Beguinae* passim a cinerei coloris vestibus nominabantur) *olim a Bogardensi dependens.* Idem alio loco *): *Tenis grysiae sorores tertiam Francisci regulam complexae cum et sub Bogardis coeperunt et coaluerunt.* Atqui haec consuetudo vtriusque sexus hominum, perpetuae castitatis voto haud obligatorum, et suspicionibus et flagitiis occasionem praebebat: quare diuturnitatem haud consequuta est, et *Beguinae* fere omnes *Monarchis* mendicantibus, Dominicanis in primis et Franciscanis, regendas sese tradiderunt. Inclinante saeculo, pius ille et simul copiosus Leodiensium sacerdos, LAMBERTVS BEGIVS **), cuius saepius iam meminimus, in praedio suo aedem, S. CHRISTOPHORO dicatam, et vicina quaedam domicilia virginibus, quae *Beguinarum* more, semotae nimirum a rerum humanarum strepitu, vitam ducere vellent, addicebat. Quo ille anno consilium hoc ceperit, discors est scriptorum sententia: sequendam vero arbitror tumuli eius, qui adhuc cernitur, inscriptionem, qua A. 1180. *Beguinas* in domo S. CHRISTOPHORI collocasse, et A. 1187. diem obiisse dicitur ***). Templum, quod domicilio iunctum est, A. 1184. d. 26. Martii, Deo consecratum est, MATTH.

*) Antiquitt. Belg. in Tenis, p. 42.

**) Agunt de celebri hoc viro AVB. MIRAEVS *Chronico Cisterciensi*, p. 199. IO. FRANC. FOPPENS *Biblioth. Belgica*, Tom. II. p. 796. IO. ERARDVS FVLLONIVS in *Historia Leodiensi*, Tom. I. p. 281. MATTH. LONCINVS *Relatione de Beggina gio S. Christophori Leodiensi*, quam RYCKELIVS edidit in *vita S. Beggae*, p. 572. et plures alii.

***) FVLLON. Historia Leodiensi, Tom. I. p. 282. Male igitur ANTON. PAGIVS, *Critica in Annales Baronii*, *Tom. III. p. 652.* mortem eius, cum *Chronico magno Belgico*, ad A. 1177. refert. Vir ille doctus *Spondanum* et *Raynaldum* scribit *parum edoctos fuisse de Beguinis*, eorumque correctionem suscipit: verum ipse non plura sciuit, quam illi, quos emendare vult.

MATTH. LONCINO teste *): qui et ipsum LAMBERTVM refert, primum conditae a se societati praefuisse, at sub finem vitae id munus in IOH. del BAYE deuoluisse. Manet autem hoc pietatis eius monumentum ad nostram aetatem, et, quemadmodum antiquitate, sic opibus et numero mulierum, quae eo vtuntur, cetera omnia in Leodiensi tractu *Beguinarum* collegia superat. Fertur idem a plurimis similem virorum, siue *Beghardorum*, societatem coegisse, et domum illis hospitalem Leodii, quae *Coquinorum* vocatur, incolendam dedisse: verum veteri huic famae secure nemo credat, cui non ignota sunt, quae de *Coquinorum* ortu FVLLONIVS **) ex antiquis chartis obseruauit. Insolens et noua erat in Leodiensi prouincia, quum a LAMBERTO introduceretur, illa viuendi ratio: vnde accidit, vt Leodienses et ipsi sibi persuaderent, et litteris mandarent, LAMBERTVM auctorem eius et inuentorem esse, quem vicina exemplaria tantum imitatum esse, verisimillimum est.

§. V.

Excedenti iam ex duodecimo saeculo, quod pauperem foeminarum, quarum origines et progressus persequimur, messem suppeditat, et ad decimum tertium, earumdem fertilissimum, properanti, viri illi et mulieres sese obiiciunt, quorum greges S. BERNHARDVS *sermone LXV. in Canticum Canticorum*, *Apostolicorum* nomine, grauissime perstringit, et cum versutissimis *haereticis* componit. EVERWINVS, Steinfeldensis iuxta Coloniam Praepositus, Praemonstratensis ordinis, acceperat, S. BERNHARDVM, quem sanctissime colebat, in *Cantici Canticorum* interpretatione ad verba capitis II. 15. peruenisse: *Capite nobis vulpeculas, vulpeculas*

*) Relat. de Beginagio S. Christophori, l. c. p. 574.

**) Histor. Leod. Tom. I. p. 281.

culas paruulas, vinearum vastatriculas, quae vulgo de haereticis, ecclesiam callide inuadentibus, tum intelligebantur. Ipse igitur, quum in regione versaretur *haereticis* plena, S. BERNHARDVM per epistolam, A. 1146. scriptam, quam IO. MABILLONIVS edidit *), obtestabatur, vt, occasione ex verbis commemoratis sumta, *omnes, quae ad eius notitiam peruenissent, haereses, distingueret, et contra positis rationibus destrueret;* et quo melius hoc defungi posset officio, Coloniensium *haereticorum* errores simul ad eum perscribebat. Obsequebatur amici voluntati BERNHARDVS, binisque sermonibus in illud SALOMONIS dictum, et in illos EVERWINI haereticos, qui Coloniam turbabant, et in alios, qui Gallis tum molesti erant, et magna pietatis specie exornati erant, feruide declamabat. Est in his orationibus nec ingenii parum, nec eloquentiae: verum bene animaduerterunt viri docti, MABILLONIVS, PAGIVS, et alii, confuse virum bonum praecipere, atque ex diuersi generis sectis vnam conflare. Is, qui eum ad scribendum excitauerat, binas clare distinguebat factiones, opinionibus non leuiter disiunctas: eas vero ipse sociat, eaque ratione refellit, ac si vnam, eamdemque religionis normam sequerentur: addit etiam tertiam, quam EVERWINVS ignorabat, in Gallia residentem: quae tametsi toto genere ab illis discrepabat, nec publice vel docebat, vel admittebat aliquid a recepta religione alienum, nihilo tamen minus tamquam conscia facinorum, quorum illi postulabantur, et scelera sua versute premens et occultans, ab eo acerbe redarguitur. Hanc vnice priori sermone insectatur, et *iactare* tradit, se *Apostolicam formam et vitam* exprimere: quamobrem *Apostolici* solent ab Historiae Christianae scriptoribus appellari: reliquas binas, quas temere non differre ab illa putat, posteriori sermone increpat. Mittamus

*) In Analectis veteribus, p. 473. s.

EVERWINI *haereticos*, qui, si ad viuum depicti, nec iniuriis onerati sunt, ex *Catharorum* seu *Manichaeorum*, vti dicebantur, stirpe prodiisse videntur: at de *Apostolicis* paullum quaeramus. Hi quales essent, quibusque sententiis addicti, disceptant viri docti, aliis eos ad Henricianos, aliis ad Catharos, aliis ad Waldenses amandantibus: ego cunctis, quae BERNHARDVS de illis memorat, probe expensis, *Beguinas* et *Beghardos* fuisse reor, quos ille, sectae huius, tum temporis in Gallia nascentis, ignarus, inconsiderate in suspicionem *haereseos* vocabat, et aliud animo tegere, aliud ore profiteri, arbitrabatur. Cui iudicio quantum tribui possit, ex illis, quae iam afferam, manifestum fiet. Primum BERNHARDVS, si facies externa spectetur, omnia esse sana, egregia, laudabilia in *Apostolicis* suis fatetur: sententias eorum de religione, omni vitio et errore vacare: vitam et mores in exemplum aliis proponi posse: interesse homines assidue publicis sacris, sacerdotes venerari, sacramentis vti, neminem fallere, alimenta continuo sibi labore parare. *Si fidem*, inquit *), *interroges, nihil Christianius: si conuersationem, nihil irreprehensibilius: et quae loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium suae fidei frequentare ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, confessionem facere, sacramentis communicari. Quid fidelius? Iam quod ad vitam moresque spectat, neminem circumuenit, neminem supergreditur, neminem concutit. Pallent insuper ora ieiuniis, panem non comedit otiosus, operatur manibus, vnde vitam sustentat. vbi iam vulpes?* Nihil igitur his *Apostolicis* fieri poterat sanctius, nihil religiosius, nihil honestius? Eamdem laudem merebantur primae *Beguinae* et *Beghardi*, quos moribus fuisse egregiis, et pietatis, quam illa aetas poscebat, probitatis, moderationis, et

*) Sermo LXV. in Canticum, §. 5. p. 1495. Tom. IIII. Opp. edit. Mabillonii.

et fidei specimina, plurimis constat certissimis testimoniis: quae quidem spectatissima virtus tot eis vtriusque sexus patronos, tantam sociorum multitudinem, breui temporis spatio comparabat. Ars, qua se alebant *Apostolici*, textrina erat, quod praetereundo et obiter tantum BERNHARDVS indicat. Verba paullo post dabimus. Istud vero prorsus *Beguinale* est, si hoc licet vti vocabulo. Primae enim *Beguinorum* et *Beguinarum* familiae, quod notissimum, textorum et textricum sodalitates erant, operi suo adeo intentae, vt limitibus earum diligentia passim circumscribenda esset, ne textorum collegiis victum subtraherent. Homines porro *Apostolici* erant maximam partem obscuro loco nati, rustici, vilisque conditionis. *Vile nempe hoc genus est* *), *et rusticanum, ac sine litteris et prorsus imbelle. Denique vulpes sunt et pusillae: sed neque illa, in quibus male sentire dicuntur, defensibilia sunt: nec tam subtilia, quam suasibilia, idque dumtaxat mulierculis, rusticis et idiotis, et quales vtique omnes sunt, quotquot adhuc de hac secta esse expertus sum.* Quamquam in hoc non satis constare sibi videtur eorum accusator, quum paullo ante queratur, *Clericos et sacerdotes, populis ecclesiisque relictis,* ad eos accedere, et inter eos repertos esse. Ex quo apparet, aliquos saltem eius turbae, nec ignobiles, nec illitteratos fuisse. In hoc rursus *Beguinis* vtriusque sexus simillimi sunt, quos, antequam existimationem et bona colligerent, ex plebeiis, infimaeque sortis hominibus compositos fuisse, testatissimum est. Quod BERNHARDVS *Apostolicos* suos *iurare nolle* tradit, id impellat fortassis aliquem, vt Waldensium, aut cognatarum sectarum progeniem eos fuisse, credat: verum idem si animaduerterit, illis ipsis, quibus hoc crimini vertitur, quod a iureiurando abhorreant, periuria inuidiosissime exprobrari, leuitatis hanc coniecturam condemnabit. *Iurare non*

 licet,

*) BERNHARDVS l. c. §. 8. p. 1496.

licet *), sic arguuntur, *et peierare licet? An in hoc solo vtrumque licet? — — — Patet vos et superstitiose obseruare de iuramento, et flagitiose praesumere de periurio. O peruersitatem! Quod ad cautelam consultum est, videlicet* non iurare, *hoc isti mandati vice tam contentiose obseruant: et quod immobili iure sancitum est, non peierandum scilicet, hoc tanquam indifferens pro sua voluntate dispensant.* In hac accusatione tantum est discordiae, vt vera tota esse nequeat. Qui iurandum esse, negat, is periuria quoque vetat: e contrario qui periurium concedit, is etiam iusiurandum permittit. Aut igitur imaginationis feruore concitatus, quid scriberet, BERNHARDVS nesciuit, et secum ipse dissentit, aut hoc scire tantum nos voluit, Apostolicos in ius vocatos, non recusare quidem iusiurandum, tametsi periurio iudices fallant: at in vita communi ab omni sacramento constanter se abstinere. Quae si eius est sententia, hac etiam parte Apostolici *Beguinas* et *Beghardos* belle referunt, qui religionis suae ducebant esse, sollicite sacramenta cauere, nec nisi iussi a magistratibus iurare solebant. Neque mouent me, quae de periuriis eorum BERNHARDVS adiicit: haec enim temere tantum suspicatur, nullo vero modo probat. Ipse nimirum omnis eos criminis liberaliter absoluit, negatque in sententiis et moribus eorum seuerum quamuis iudicem aliquid desiderare posse. Hoc quomodo scripsisset, vel scribere potuisset, si vel ex transfuga quodam, aut aliunde cognitum habuisset, peierandi potestatem eos tribuere suis solere; quo nihil quidem fieri potest detestabilius? Igitur rem ita se habere puta: BERNHARDVS secreti aliquid monstri alere Apostolicos, nihil dubitabat: illi vero a sacrarum rerum praefectis acciti, vt caussam dicerent, et sacramento a suspicionibus se purgarent, nihil se credere libere iurabant praeter id, quod tum ecclesia

*) BERNHARDVS l. c. §. 2. p. 1494.

ſia credebat, et Deum innocentiae ſuae teſtem inuocabant. Hinc BERNHARDO illa ſubnaſcebatur ſuſpicio, peierare homines, et in arcanis ſectae praeceptis hoc eſſe: Licita eſſe periuria, ſi religioni et vitae periculum immineat. Tales quum eſſent *Apoſtolici*, quid, obſecro, BERNHARDVM adducebat, vt arbitraretur, eos clam turpe aliquid, et eccleſiae noxium machinari, totamque illam errorum molem, quibus Colonienſes haeretici, et alii addicti eſſe ferebantur, eis imponeret? Duo tantum ipſe producit, ex quibus ſecretam ſectae improbitatem elucere, cenſet: neutrum vero eius eſt generis, vt multum apud iudices valere poſſit partium ſtudio vacuos. Primum id ſatis aperire putat latentem dementiam generis, quod vxores et mariti, relictis coniugibus, Clerici et ſacerdotes, deſertis templis et coetibus ſuis, ad eam ſeſe conferrent. Audiamus eum declamantem *): *Vbi iam vulpes? Tenebamus eam: quomodo elapſa eſt e manibus? quomodo tam repente disparuit? Inſtemus, inueſtigemus: a fructibus eius cognoſcemus eam. Et certe vinearum demolitio teſtatur vulpem. Mulieres, relictis viris, et item viri, dimiſſis uxoribus, ad iſtos ſe conferunt. Clerici et ſacerdotes, populis eccleſiisque relictis, intonſi et barbati apud eos* INTER TEXTORES ET TEXTRICES *plerumque inuenti ſunt. Annon grauis demolitio iſta? annon opera vulpium haec?* Rhetorice diſputat vir bonus: nihil autem efficit. Quis enim religioſam quamdam ſodalitatem ideo occultorum ſcelerum ream pronuntiet, quia ſacerdotes, vxores et mariti in eam ingrediuntur? Habet haec res vitioſi aliquid, ſi in ſe, et extra circumſtantiam ſuam ſpectetur, quam BERNHARDVS conſulto tacuiſſe videtur: impietatis et corruptae religionis ſignum non eſt: contra ea ipſa conuenientiam *Beguinarum* cum Apoſtolicis quodammodo firmat. Hac

*) l. c. §. 5. p. 1496.

enim fortuna vtebantur quoque *Beguinae* cum fratribus, dum nouum erat earum institutum, vt vxores et mariti, nec non sacri ordinis viri, ad eas, religionis specie allecti, transirent: quod quidem plurimum illis inuidiae creabat. Ceterum duo ex BERNHARDI, quae modo descripsi, verbis eliciuntur, ad Apostolicorum mores et viuendi rationem cognoscendam nonnihil conducentia. Primum: hos homines capillos et barbam aluisse. Alterum: eos, separatim licet habitarent, conuenisse tamen ad laborandum, et congregatos artem, cui vnice studebant, exercuisse. Quorum hoc nisi verum putes, falsum id habeas, oportet, quod BERNHARDVS perhibet, sacerdotes inter textores et textrices repertos fuisse. Moris idem erat plurimis *Beghardorum* et *Beguinarum*, vt certis diei horis communi quodam loco simul vniuersi opificio suo manus admouerent, seque inuicem ad industriam hac ratione accenderent. Nunc ad alterum veniamus, quod BERNHARDVM commouet, vt Apostolicos lethale quoddam venenum animo abditum gerere statuat. Omnes castitatem, vnam omnium praestantissimam virtutem esse, praedicabant, coelibatum longe nuptiis praeferebant, et *fratres, sororesque continentes*, quod *Beghardorum* etiam et *Beguinarum* vocabulum erat, nominari volebant: at omnes contubernii necessitudinem cum muliere quadam habebant, et cum ea familiariter viuebant. Hoc caput est accusationis, quae illis intentatur: nec diffitetur criminator, vno isto remoto, cetera omnia pulcra et honesta fore. *Verum*, ait *), *non apud omnes forte ista tam manifesta deprehenduntur: et si sint, non est, vnde probentur*. Vide hominis aequitatem! Ipse non dissimulat, primum accusationis momentum, id nempe, quod de vxoribus, maritis et sacerdotibus, eorum institutum amplectentibus dixerat, fama magis et rumoribus, quam certis

*) l. c. §. 6. p. 1495. f.

certis argumentis niti. Sed iam pergentem audi: *Quonam modo capimus illos? Reuertamur* (nam quaedam antea iam de hac re attulerat) *reuertamur ad consortium et contubernium foeminarum: hoc enim inter eos nemo qui careat. Interrogo vnum quempiam horum. Heus tu, bone vir! Quaenam haec mulier, et vnde haec tibi? Vxorne tua? Non, inquit, nam voto meo istud non conuenit. Filia ergo? Non. Quid igitur? Non soror, non neptis, non aliquo saltem propinquitatis, vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tuta tibi cum ista continentia tua? Sane nec licet tibi istud. — — — Si non vis scandalizare ecclesiam, eiice foeminam. Alioquin ex hoc vno cetera, quae non adeo manifesta sunt, procul dubio credibilia fiunt. — — — Cepimus vulpem, quia fraudem percepimus. Manifesti sunt, qui latebant falsi Catholici, veri depraedatores Catholicae.* Addam ea, vt tota res cognoscatur, quae in antegressis disputauerat. *Vbi Apostolica forma et vita, quam iactatis? — — Quid simile illis in vobis ostenditis? An quod vobiscum mulierculas non vtique circumducitis, sed includitis? — — — Quotidie latus tuum ad latus iuuenculae est in mensa. Lectus tuus ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuae ad manus ipsius in opere, et continens vis putari. Esto, vt sis: sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es: tolle scandali caussam.* In hoc ergo vno sunt omnia *Apostolicorum* crimina: cetera ad suspiciones amandari debent, quarum saepe iusto foecundius erat BERNHARDI ingenium. Atque ipse hoc sequenti sermone extremo non obscure indicat. Postquam enim omnia, quae de aliis haereticis acceperat, in hos homines liberalissime effuderat, postremo ad vnam illam de mulieribus querimoniam reuertitur, eaque contineri omnia, quae tolerari nullo modo in hoc genere possent, praecipit. Obiurgat primum antistites rerum sacrarum, quod sectam hanc tranquille viuere pateren-

tur: hi licere sibi negant, in homines aliquid statuere, nullius flagitii conuictos. *Quomodo damnabimus nec conuictos, nec confessos?* Ille rem ita sese habere concedit: at disturbari tamen iubet illam virorum et mulierum societatem. *Friuola satis, non ratio, sed occasio. Hoc solo, etiamsi aliud non esset, facile deprendis, si viros et feminas,* QVI SE CONTINENTES DICVNT, *ab inuicem separes, et feminas quidem cum aliis sui et sexus, et voti, degere cogas, viros aeque cum eiusdem propositi viris. Per hoc enim consultum erit vtrorumque voto simul et famae, cum continentiae suae et testes habuerint, et custodes.* Ne hoc quidem, quod tantopere BERNHARDVS reprehendit, a *Beghardorum* et *Beguinarum* moribus, antequam regulis arctioribus subiicerentur, valde remotum est. Coniunctissimi erant, quod loci veterum iam allati declarant, viri *Beghardi* mulieribus eiusdem nominis et instituti: neque haec familiaritas, mulieribus primum, deinde et viris in certa domicilia collectis, tollebatur. *Beghardi* crebro inuisebant *Beguinas*, opeque illis ac consilio aderant: multis etiam in locis *Beguinarum* collegia vicinorum *Beghardorum* curae et gubernationi sese tradebant. Haec in vrbibus fiebant. Ruri et in agris forte, vbi nulla habebant domicilia communia, liberiorem vitae modum huius generis homines sequebantur. Quare fieri facile potuit, vt *Beghardi* rustici, quales BERNHARDI erant *Apostolici*, singuli mulierem sibi sociarent, iisdem, quibus ipsi, legibus adstrictam, satisque sese aduersus obtrectatores et suspiciosos per ipsum, quod receperant, vitae institutum munitos fore putarent. Post BERNHARDVM nusquam sectae, cui se tam infensum praebet, vestigia conspicias: ex quo verisimile fit, obtemperasse rerum sacrarum antistites consilio eius, atque mares foeminasque *continentes*, vti sese vocabant, separatim in certis aedibus habitare iussisse. Quae si vere contigit, quod coniicio, seiunctio, qui antea *Apostolici* et

Con-

Continentes appellabantur, sine dubio postea *Beghardi et Beguinae* dicti sunt.

§. VI.

Nunc in viam, vnde *Apostolici* me abduxerunt, redeo. Nascente saeculo decimo tertio, tot repente *Beguinarum* collegia per Galliam, Germaniam, Belgium efflorescebant, vt, medio saeculo elapso, vix vlla nominis alicuius vrbs eiusmodi mulieribus careret. Primum eorum, quae hoc saeculo coiuerunt, Niuellense in Brabantia videtur esse; idque vel ex eo manifestum esse arbitror, quod THOMAS CANTIPRATANVS, vti iam vidimus, matrem omnium, siue fontem, illud esse opinatur, vnde tota *Beguinarum* natio prodiit. In quem quomodo incidere potuisset errorem, si aliud quoddam antiquius inter Belgas aetate sua sciuisset? Quocirca valeant, qui Louanienses, Bruxellenses, Brugenses, aliasque Flandriae et Brabantiae *Beguinas* antiquitate Niuellenses superare perhibent, dum, quae sine teste tradunt, documentis exceptione maioribus firment. Breui vero tempore ad tantam erescebat ista Niuellensis sodalitas magnitudinem, vt incredibile videri posset, nisi THOMAM illum, quem dixi, locupletissimum auctorem haberet. Narrat is, iam A. 1226. oppidum Niuellam *Beguinarum* copiam aluisse, earumque plures morbo illo, quem tum *sacrum ignem* vocabant, tactas, et insigni miraculo, eo malo liberatas esse: quarum quidem multas ipse viderat. *Proinde,* inquit *), *circa annum incarnationis Domini MCCXXVI. res mirabilis accidit in oppido Niuellensi. In hac vrbe ——— perplures Beguinae, quae magis spirituales erant, igne sacro acriter sunt accensae, et hoc in membris tantum, in quibus magis peccauerant, postquam ad agnitionem venerant veritatis. Aliae in lingua, contra ingluuiem vel loquacitatem;*

*) Bono vniuersali de apibus, Lib. II. cap. LI. p. 478.

tem: aliae in auribus, contra susurrium: aliae in manu, contra opus illicitum vel contactum: aliae in pede vel tibia — — — et hoc per tempus secundum magis aut minus, quo peccatis et negligentiis fuerant irretitae. In ecclesiam ergo S. Gertrudis virginis deportatae, curatae sunt, et membra, quae ignis exusserat — — — speciali miraculo — — — ad colorem, et formam, et vigorem pristinum redierunt. Nolo boni hominis superstitionem et credulitatem coarguere: nam ipse imprudens hoc animi vitium prodit, et miraculum, quod refert, incertum reddit. Nimirum ex mulieribus illis, quas in templo, S. Gertrudi sacro, mirabiliter sanatas esse tradit, alias citius, alias serius valetudini redditas esse, pro modo peccatorum, quibus quaelibet supremum Numen offenderat, significat: itaque non in aede S. Gertrudis, postquam opem eius implorauerant, subito conualuerunt, sed in domibus suis. Vno enim omnes et eodem tempore liberatae fuissent, si pristinam in templo sanitatem recuperassent. Id vero ad meum conducit magis propositum, quod haec ipsa historia docet, laxam valde primarum *Beguinarum* Niuellensium disciplinam, et mores parum compositos fuisse, et, quod magis dignum obseruatu, eas inter illas, quae ceteris Deo coniunctiores videri volebant, pluribus sese vitiis maculasse. Certe vera haec sint, necesse est, si, quod THOMAS noster nos credere vult, pro vero haberi debet, illa *Beguinarum* membra vim morbi potissimum sensisse, per quae maxime peccauerant, postquam nouam illam viuendi formam elegerant, easque solas, *quae magis spirituales erant*, tantae poenae obnoxias fuisse. Quare crediderim, tum temporis nondum coetum illum vel magistrae, et gubernatoribus paruisse; vel legibus obligatum fuisse, vel vno loco habitasse, sed per vrbem fusum, vestibus tantum, verbis et publicis caerimoniis frequentandis, animi pietatem declarasse. Primo illi miraculo secundum THOMAS subiicit, ne quis primum

in

in dubium reuocet: *Et ne hoc casu, et non miraculo fieri probaretur, quaedam puella, vitae saecularis, de suburbio Niuellensi, allata est igne sacro succensa, clamans et dicens: O sancta Gertrudis, virgo Beguina non sum, ad quid ergo succendor? Nec mora, manus illius adusta cum parte brachii a parte resiaua quasi carbo cecidit: vt hoc velut B. Gertrudis puellae manifesto miraculo responderet: Beghina non es, et ideo tibi sicut Beghina non fiet. Plures ex his, quae dicto modo curatae sunt, post et ante vidimus.* Certiusne prodigium hoc sit illo, cui firmamento esse debet, an eiusdem auctoritatis, nil refert quaerere. Hoc vero praetermittere non debeo, continere et hanc narrationem nonnulla, quae ad statum primarum *Beguinarum* Niuellensium cognoscendum perutilia sunt. Illa puellae cum S. GERTRVDE expostulatio clare indicat, populum Niuellensem modice, haud magni, mulierum illarum virtutem aestimasse, neque dubitasse, quin sancta illa virgo per atrocem illum morbum, quo afficiebantur, neglecti officii poenas ab illis repeteret. Quid enim illa dicit, nisi hoc: iustumne est, plagam illam mihi inferri, quam merito sustinent *Beguinae*, quum *Beguina* ego non sim, et idcirco peccatorum illorum expers, quae in illis puniuntur? Praeter hoc aliud quiddam inest in illa S. GERTRVDIS compellatione obseruatu non indignum. Liquet ex ea, Niuellensibus persuasum fuisse, S. GERTRVDEM morbum illum in *Beguinas* immisisse: quam ob caussam illae quoque in templum eius deportabantur, quo delictorum ab ea veniam peterent. Haec vnde opinio? Cur virgo haec vltrix putabatur facinorum, quae *Beguinae* admiserant? Sine dubio propterea, quia S. GERTRVDEM patronam sibi adsciuerant *Beguinae*, et eius tutelae atque imperio sese subiecerant. Fuit autem S. GERTRVDIS soror S. BEGGAE, ad quam hodierni *Beghardi* et *Beguinae* originem suam referre solent, et princeps *Abbatissae* loco illud virginum religio-

sarum

ſarum domicilium rexit, quod mater eius, ITTA, Nivellae conſtruxerat *). Quo tempore Niuellae *Beguinae* naſcebantur, puellae illae, quibus ea praefuit, a prima lege ſua iam defecerant, et ad *Canoniſſas*, quibus *ſaecularium* nomen eſt, tranſierant: quarum quidem adhuc inſtituta tenent. Ex his, niſi forte opinione fallor, duo efficiuntur. Primum: Saeculi decimi tertii *Beguinas*, Niuellenſes ſaltim, nondum ſectae ſuae principium a S. BEGGA repetiiſſe: quam ſi pro matre ſua habuiſſent, in huius, non in ſororis, GERTRVDIS, clientelam et fidem ſeſe tradidiſſent. Alterum: ideo GERTRVDIS eas patrocinio ſeſe commiſiſſe, quia haec *Canonicas* Niuellenſes *ſaeculares* inſtituiſſe iam tum, quemadmodum hodie, falſo licet, ferebatur, quarum vitae ratio propius ab illa, quam *Beguinae* ſeruare volebant, remota eſt. Forte peſtis, quae diuinitus mulieribus illis accidiſſe credebatur, tantum apud eas valuit, vt res ſuas deinceps cautius inſtruerent, et non modo populo ſeſe ſecernerent, verum etiam praeter magiſtram, proprium ſibi ſacerdotem praeficerent, ne toties domo egredi neceſſe haberent. Clara ſane in promtu ſunt teſtimonia, quibus confirmatur, non diu poſt cladem, de qua diximus, *Beguinarum* quaedam Niuellae fuiſſe receptacula, neque fas illis fuiſſe, pro lubitu vagari, et ſuo vnice ſenſui obedire. In *Appendice ſecunda* vitae S. GERTRVDIS, quam Ieſuitae Antwerpienſes ediderunt **), quinquennis puella, inter *Beguinas* oppidi illius viuens, ſanctae illius virginis virtute, quum aquis ſuffocata eſſet, in vitam reuocata eſſe legitur. Narrationis principium hoc eſt: *Circa annum Domini MCCXLIV. quaedam puella quin-*

*) IO. MABILLONII Annales Benedictini, Tom. I. Lib. XIII. §. VII. p. 375. et Acta Sanctor. Ordin. Benedicti, Saec. II. p. 442. Acta Sanctor. Antwerpienſia, Tom. II. Martii, p. 592. ſ.

**) Acta Sanctor. Martii Tom. II. §. 3. p. 600.

quinque annorum, *aut circiter*, *morabatur Niuellae in conuentu Beghinarum ad S. Syrum*, *nomine Maria*, *cognomento Lebaylhet*, *quae arrepta hydria*, *sine scitu cuiusque*, *perrexit quodam tempore ad fontem lapideum*, *altum et profundum*. Paullo post, hora precum, desideratam fuisse hanc puellam, additur: *Cumque ventum esset ad orationem, quae a communi conuentu persoluebatur*, *compertum est primitus*, *praefatam Mariam deesse*. Reliqua omitto, quia nostrum non tangunt institutum. Quae attulimus, qualis duodeuigesimo anno post miraculum, a CANTIPRATANO commemoratum, *Beguinarum* Niuellensium status et ratio fuerit, demonstrant. Certa illis assignata erant domicilia, in quibus vna commorabantur: vno enim plura fuisse, non modo ingens earum numerus, de quo statim, ostendit, verum etiam, vt arbitror, ex cognomine *S. Syri*, quod vni datum est, intelligitur: quo quidem non opus fuisset, si vna omnes domo habitassent. Congregabantur omnes statis horis ad preces fundendas. Denique impuberes puellae educandae et instituendae illis committebantur, qualis illa MARIA erat: atque hoc officio *Beguinae* fere omnes deinceps defunctae sunt. Sacerdotis harum *Beguinarum*, aetate sua, id est, medio saeculo decimo tertio, meminit THOMAS CANTIPRATANVS *): *vidi sanctum virum*, *magistrum*, *Guidonem*, *presbyterum Beghinarum in Niuella*, *de quo certissime ferebatur*. Historiam, quae sequitur, quaerant apud ipsum, quos narratiunculae et fide, et fructu, vacuae delectant. Idem aliud agendo magistram *Beguinarum* inducit **). *Elizabeth de Grauio apud Niuellam in Brabantia virgo deuotissima fuit. Haec cum socia deuota et bona, quam viuentem adhuc, et* MAGISTRAM *nunc duorum millium Beghinarum*, *prodere noluimus*, *de Niuella in*

*) Bono vniuersali de apibus, Lib. II. c. XXX. p. 338.

**) l. c. Lib. II. c. LIIII. p. 522.

in Lenlos ad duo fere milliaria properabat. Hic locus planum etiam facit, quanto vulgi assensu et approbatione illa viuendi forma, quae noua prorsus videbatur, recepta fuerit, quamque subito in amplitudinem prope incredibilem adoleuerit. Modicum Niuella oppidum est: quod si vnum bina *Beguinarum* millia comprehendit, quot in maioribus vrbibus, et magnis prouinciis vixisse, coniiciamus? Tanta multitudo per plures sine dubio domus dispersa fuit: at quum vna nihilo minus magistra tantum vsa fuerit, quae commode tot discipulas locis disiunctas gubernare non potuit, credibile est, vnam illarum aedium principem, sedemque matrisfamilias fuisse, ex eaque ad reliquas missas fuisse, quae pro magistra incolas earum in officio continerent. Memini, scriptum me apud eruditos quosdam viros legisse, THOMAM CANTIPRATANVM librum de bis mille virginibus sacris Niuellensibus reliquisse: quem librum lectores inspicere et consulere iubent. Hi sine dubio THOMAM ipsum numquam tractarunt, verum in aliorum libris locum eius, quem dedimus, generatim indicatum inuenerunt: ex quo lepidus ille error de bis mille *Beguinabus* singulari libro laudatis natus est.

§. VII.

Niuellensem sodalitatem tot consequebantur per totum saeculum aliae, vt dinumerari nullo modo queant. Belgicarum hoc saeculo coactarum origines AVB. MIRAEVS in *Operibus Historico-Diplomaticis* variis locis, IO. BAPT. GRAMAYE in *Antiquitatibus Belgicis*, ANTONIVS SANDERVS, et alii rerum Belgicarum scriptores aperiunt. In Germania et Gallia quomodo paullatim ad omnes fere vrbes progressa sit haec familia, non aeque liquet. chartis, ex quibus id cognosci debet, in lucem nondum prolatis. In Gallia, primum *Beguinae* Lutetiae Parisiorum a LVDOVICO bono, siue SANCTO, quod superiori iam capite vidimus,

mus, deinde et aliis in vrbibus, collocatae et plurimis beneficiis ornatae sunt. Ad Rhenum, maxime Coloniae, medio saeculo infinita paene multitudo commorabatur: auctor est, praeter alios, MATTHAEVS PARIS, cuius verba supra iam excerpsimus *). Alsatiam et Lotharingiam magna earum copia passim refertam fuisse, apertum ex illis est, quae RICHERIVS de *Sybilla*, Marsalensi in Lotharingia *Beguina*, eiusque fraudibus, et de Zabernensibus in Alsatia *Beguinabus*, memoriae prodidit **). Hamburgi locum illis, A. 1255. celebris ille Holsatiae Comes, ADOLPHVS, Franciscanus ex inclyto Principe monachus, a filiis suis, IOHANNE et GERHARDO, impetrauit. Diploma Comitum NICOLAVS STAPHORSTIVS vulgauit ***), quo testantur, se *precibus dilecti patris, Fratris Adolphi, inclinatos de pomerio suo in Hammeborg* RELIGIOSIS DOMINABVS BEGGINIS *tantam partem concessisse, et contulisse perpetuo possidendam, quantam ad aedificia sua et alia eius necessaria eisdem fuere oportuna.* Sic verba eorum descripta leguntur: recte, an vitiose, haud dixerim. Recentes igitur tum Hamburgi erant *Beguinae*, quia domicilium nondum instituto suo commodum habebant. Multis in vrbibus diu erant magno numero *Beguinae*, antequam *Beguinagia* (hoc nomine appellantur vulgo domicilia earum) erigerentur. At quum sorores locis dissociatae familiaritate et consuetudine, quam sibi mutuo debebant, difficulter fruerentur, pietatis etiam et amoris officia, quibus se obstrinxerant, aut plane negligerent, aut magna cum molestia exsoluerent, denique solutae et suo iure vnice viuentes, haud raro in vitia praecipites ferrentur, et populi

*) Cap. II. §. II.

**) Chronico Senonensi, Lib. IIII. c. XVIII. et Lib. V. c. I. p. 634. et 645. Tom. II. Spicilegii Dacheriani.

***) in Historia Ecclesiast. Hamburgensi, Germaniae scripta, Vol. II. p. 33.

tis concessionem ratam habebat, verum etiam *Beghinabus in immensitate crescentibus, terminum illis in Allodio, in quo erant, ampliabat.* LVDOVICVS Sanctus, Galliarum Rex, amplissimam Lutetiae domum, aere suo coemtam, *Beguinabus*, sparsim antea habitantibus, donabat, in qua quadringentae commorabantur: deinde etiam in multis aliis vrbibus et castris, domicilia illis comparabat *). Omnes fere Flandriae comites, Brabantiaeque Duces, vna cum vxoribus, quod AVB. MIRAEI *Codex piarum donationum* abunde testatur, *Beguinarum* commoditatibus consuluerunt, et vel nouas ipsis domos dederunt, vel quas possidebant iam, partim amplificarunt, partim ditarunt. Priuatorum forte nemo vnus hoc saeculo in fouendis, congregandisque *Beguinabus* plus opum et diligentiae consumsit, quam PHILIPPVS de MONMIRAL, eques, vt puto, Gallicus, quem THOM. CANTIPRATANVS quinque millia diuersis in locis Deo consecrasse, memorat. *Vidimus*, inquit **), *et valde dilectum ac familiarem habuimus nobilem Philippum, militem de Monmiral, vitae perfectissimae virum, in quo illud memorabile frequenter aduertimus, quod totum tempus suum vel in oratione ac deuotione continua, vel in sanctis collocutionibus expendebat. Nouerat enim multos valde religiosae vitae viros ac feminas, quos in Graeciae, Longobardiae, Burgundiae, Prouinciae Galliae, Flandriae atque Brabantiae partibus quaerendo lustrauerat, quorum virtutes, mores et verba miro cum feruore et desiderio referebat, et ad meliora per hoc mentes audientium excitabat. — — Vix habuit de omnibus paternis bonis necessarium vitae victum, et tamen octo monasteriorum Cisterciensis Ordinis fundator extitit indefessus, exceptis*

*) ANDR. du CHESNE scriptor. rerum Francicar. Tom. V. p. 432.

**) Bono vniuersali de apibus, Lib. II. c. XXXVIII. p. 391. f.

puli oculos offenderent: principum non modo virorum et foeminarum, ſed etiam ciuium multorum, praeter ceteros fortunatorum, pia liberalitate prouiſum eſt, vt vbique fere communes illis et publicae domus exſtruerentur. Valencenis, vt exemplum afferam, celebri Hannoniae vrbe, in eiusque vicinia, laeta *Beguinarum* ſeges, non diu poſt Niuellenſium ortum, ſuccreſcebat, quae per complures annos varia loca incolebat. Anno vero 1239. GVIDO, Cameracenſis antiſtes, Radulphum, Priorem S. Saluii iuxta Vincennas, precibus inducebat, vt illis locum quemdam *in Parochia S. Nicolai Valencenis, quae ad ipſius pertinebat Patronatum,* concederet, in quo domum ſibi aedificare poſſent, *Capella et Capellano* inſtructam: neque tamen haec domus, quae *Hoſpitale* vocatur, omnes eius loci *Beguinas* capiebat: addit enim donationis tabula, quam AVB. MIRAEVS publicavit *), *Capellanum* eius, *ſacramenta non modo mulieribus, in eo Hoſpitali manentibus, verum etiam aliis Beghinis, in vico eodem et in vicinia commorantibus, miniſtrare debere, ſaluo tamen iure parochiali presbyteri S. Nicolai.* Dieſtae, quod Brabantiae oppidum eſt, diutius etiam coetus quidam haud exiguus *Beghinarum in diverſis degebat parochiis.* Ea vero re quum *incommoditates et pericula animarum paterentur,* (recito diplomatis **) verba) ARNOLDVS, Dominus Dieſtae, A. 1255. *allodium quoddam ab Abbate et conuentu S. Trudonis, Ordinis S. Benedicti, cum conſenſu Henrici Leodienſis, per commutationem ſibi acquirebat, et in eo Beghinis facultatem eccleſiam* (cui domus ſine omni controuerſia iuncta erat) *conſtruendi concedebat, omnibus eas ſimul exactionibus liberabat.* Filius eius ARNOLDVS, poſt ſedecim annos, A. 1271. non modo parentis

*) Oper. Diplomat. Hiſtoric. Tom. II. p. 855. ſ.

**) Apud MIRAEVM Operum Diplomat. Hiſtoricor. Tom. I. p. 768.

tis concessionem ratam habebat, verum etiam *Beghinabus in immensitate crescentibus, terminum illis in Allodio, in quo erant, ampliabat.* LVDOVICVS Sanctus, Galliarum Rex, amplissimam Lutetiae domum, aere suo coemtam, *Beguinabus*, sparsim antea habitantibus, donabat, in qua quadringentae commorabantur: deinde etiam in multis aliis vrbibus et castris, domicilia illis comparabat *). Omnes fere Flandriae comites, Brabantiaeque Duces, vna cum vxoribus, quod AVB. MIRAEI *Codex piarum donationum* abunde testatur, *Beguinarum* commoditatibus consuluerunt, et vel nouas ipsis domos dederunt, vel quas possidebant iam, partim amplificarunt, partim ditarunt. Priuatorum forte nemo vnus hoc saeculo in fouendis, congregandisque *Beguinabus* plus opum et diligentiae consumsit, quam PHILIPPVS de MONMIRAL, eques, vt puto, Gallicus, quem THOM. CANTIPRATANVS quinque millia diuersis in locis Deo consecrasse, memorat. *Vidimus*, inquit **), *et valde dilectum ac familiarem habuimus nobilem Philippum, militem de Monmiral, vitae perfectissimae virum, in quo illud memorabile frequenter aduertimus, quod totum tempus suum vel in oratione ac deuotione continua, vel in sanctis collocutionibus expendebat. Nouerat enim multos valde religiosae vitae viros ac feminas, quos in Graeciae, Longobardiae, Burgundiae, Prouinciae Galliae, Flandriae atque Brabantiae partibus quaerendo lustrauerat, quorum virtutes, mores et verba miro cum feruore et desiderio referebat, et ad meliora per hoc mentes audientium excitabat. — — Vix habuit de omnibus paternis bonis necessarium vitae victum, et tamen octo monasteriorum Cisterciensis Ordinis fundator extitit indefessus, exceptis*

*) ANDR. du CHESNE scriptor. rerum Francicar. Tom. V. p. 452.

**) Bono vniuersali de apibus, Lib. II. c. XXXVIII. p. 391. f.

congregationibus BEGHINARVM, *quas vsque ad quinque millia, et eo amplius, in diuersis locis in Christi seruitio mancipauit.* Neque tamen, constructo in vrbe quadam *Beguinarum* domicilio, omnes vt in id migrarent, necesse erat, quae se huic vitae generi addixerant. Non poscebat hoc institutum illam rerum, consiliorum, bonorum et viuendi communitatem, quam ceterarum religiosarum familiarum leges requirunt: neque domus illae propterea aedificabantur, quo *Beguinae*, sanctimonialium more, societate hominum excluderentur, alienoque arbitrio vnice obtemperarent; sed vt pauperum inopiae subueniretur, omnesque decentius, commodius, et ad ea, quae perfectioris vitae ratio exigebat, obeunda aptius degerent. Quare plurimae, quae *Beguinarum* nomen et vestitum sumserant, moresque sequebantur, aut suis in aedibus versari pergebant, aut in cognatorum familiis commorabantur, at domibus tamen *Beguinarum*, communibusque earum precibus et conuentibus frequentandis, sororio vinculo sese illis nexas esse testabantur. Vitia vero hominum, libertate plerumque secus, quam fas est, vtentium, quosdam antistites saeculo nondum elapso cogebant, vt mori huic limites ponerent. Multae videlicet foeminae extra *Beguinarum* collegia, propterea tantum illis sese adiungebant, vt earum existimatione et iuribus fruerentur, remque suam priuatam cum publicae detrimento augerent. Quare nonnullis in locis quaecunque *Beguinae* videri et nominari volebant, iubebantur omnes in publicas aedes, his mulieribus dicatas, proficisci; aliis vero locis, quaecumque priuatis in domibus manere malebant, et vestes *Beguinarum* ferre vetabantur, et vectigalia pendere cogebantur. Posterioris generis legem, declinante saeculo, A. 1287. praeter alios, tulit IOHANNES IIII. Leodiensis antistes, quam totam subiicio *): *Item praecipimus, quod omnes*

*) In Statutis Synodalibus, c. XXVIIII. in IO. CHRIST. LVINI.

omnes Beghinae, priuilegio Beghinali gaudere volentes, intrent curiam Beghinarum, et praecipimus commorantibus extra *) *curiam Beghinarum, quod distinguant habitum suum ab habitu Beghinarum, et si aliqua Beghina extra curiam accesserit moratura, vel eiecta fuerit propter incontinentiam, vel aliud delictum, habitum non deferat Beghinarum. Praeterea omnes Beghinas negotiatrices manifestas* **) *amplius quam decem marcharum in negotiationibus habentes, a priuilegiis Beghinarum excludimus, nec eas a solutione cotorum seu exactionum volumus esse liberas. Alias autem in curiis commorantes, declaramus ad praemissa non teneri.* Tales si vbique leges promulgatae fuissent, priuatarum et fictarum *Beguinarum* turba breui tempore sine dubio extincta fuisset. Sed aut non rogatae multis in locis, aut, si rogatae sunt, neglectae sint, oportet. Certum enim est, sequentibus etiam temporibus tam in Belgio, quam in Germania, haud paucas mulieres, *Beguinarum* licet institutum sequerentur, nomenque adsciscerent, publica tamen earum domicilia ingredi noluisse, neque prohibitas fuisse suo iure, vbi liberet, vitam agere.

§. VIII.

Inter caussas, quae tot mulierum, per magnam Europae nostrae partem, animos tam subito inflammarunt, vt impetu veluti facto religiosas eiusmodi sodalitates instituerent, et ad conditas ingenti numero accederent, principem locum dari facile patior temporum superstitioni, et rudi admodum aduersus Deum pietati; secundum vero humanae naturae ad ea, quae sensus et imagi-

LVINIGII Spicilegio Ecclesiastico Imperii Romano-Germanici, Continuat. I. p. 573. et EDM. MARTENE Thesauro Anecdotor. Tom. IV. p. 879. conf. HARZHEM. Concil. Germ. Tom. IV. p. 59.

*) *intra cur.* Harzh.

**) *negot. vel mercatrices manif.* Harzh.

nationem feriunt, imitanda propensioni. Sciunt, qui sibimet ipsi non ignoti sunt, quanta vis in binis hisce vitiis sit ad res maximas et fidem fere excedentes efficiendas. Sed alias tamen, praeter has rationes, haud difficulter inuenerit, quisquis statum, mores, et euentus saeculi ante oculos sibi posuerit. Primum decimo tertio saeculo multo maior solito et incredibilis fere in vniuersa Europa erat multitudo mulierum miserarum, et maritis, parentibus, opibus, speque nubendi destitutarum. Hanc calamitatem vna cum aliis induxerant infelices illae in Palaestinam expeditiones, *cruciatas* vulgo dicunt, quae vndecimo saeculo coeptae, per duodecimum et decimum tertium magno feruore dicam an furore? continuabantur. Exhauriebatur Europa, flagrantibus istis bellis, non bonis tantum et argento, verum etiam viris: quorum plurimi vxores, filiasque omnium fortunarum inopes relinquebant, et ipsi ferro, fame, peste interibant. Tantam vim viduarum et virginum orbarum domicilia sanctimonialium excipere nec poterant, nec volebant, quia longe maxima pars dotem afferre non poterat: plurimae etiam restrictum illud vitae genus timebant, cui mulieres, Deo consecratae, addicuntur, neque hominum commercio et nubendi facultate penitus priuari volebant. Quare, commodum non exoriente, at progrediente, et dilatante sese *Beguinarum* familia, certatim quaecumque perditi et afflicti agminis, nec hominum prorsus consortio excedere, et omnem matrimonii spem abiicere, nec turpiter, misere et ignominiose aetatem consumere volebant, salutis et fortunae perfugium in ea quaerebant. Alias mulieres, non iisdem fortunae iniuriis vexatas, plurima, quae *Beguinarum* vitae adiuncta erant, nec contemnenda commoda, alliciebant sine dubio ad eam amplectendam. Principio pudicitiae, modestiae, prudentiae, pietatis laudem in populo consequebantur, quae se ei vitae dedebant: quod cum alia pariebat ipsis valde vtilia, tum hoc maxime, vt in rebus dubiis et arduis in con-

filium

filium vocarentur, nec pauci vxores fibi ex illis deligerent. Variis deinde vtebantur iuribus, et potentiorum beneficiis, quibus, quam fponte fecerant, modica libertatis iactura abunde compenfabatur. Nulla magiftratui ciuili erat in eas poteftas, foeminas nimirum propius a religiofis remotas, Deoque certa ratione dicatas: iudicem vnum habebant epifcopum, in cuius dioecefi degebant. Quare fi quae forte delinquebat, legum rigorem non metuebat. Tributi omnis erant nefciae, ac fine vlla moleftia mercari, remque fuam augere poterant, modo certos intra fines fefe continerent. Licebat illis bona acquirere, partis bonis vti, haereditates cernere, teftari, opportunitatibus omnibus et delectationibus vitae humanae frui, paucis demtis, quae mentem nimis a rerum diuinarum amore auocare, et distrahere videbantur. Vitae fiue externae, fiue interioris, modum leges haud definiebant: magiftrae, quae dicebantur, hoc vnum providere iuffae erant, ne quid ab ordine et honeftate publica remotum admitteretur, pauperumque et templi, fi quod habebant, fructibus nihil detrimenti accideret: priuata quaelibet *Beguina*, vti volebat, ordinabat. Verbo: Carebant omnibus fere, quae fanctimonialium vitam grauant et moleftant, omnibusque illis gaudebant, quibus eadem commendatur. Vna quidem re inferiores videbantur fanctimonialibus: non publicus, vnde veftirentur et alerentur, thefaurus domibus earum adiunctus erat, verum fingulae victum fibi et amictum comparare debebant. Sed hanc curam facile fuftinebant non illae tantum, quibus aliquid opum erat, aut opum faltim quaerendarum cupiditas, verum etiam pauperes et imbecillae. Neceffitatibus enim earum opulenti plerumque vtriusque fexus homines liberaliter fubueniebant, rati, preces fanctarum foeminarum magno fibi ad mala quaevis depellenda praefidio fore: neque facile fortunatus aliquis moriebatur, quin fupremae voluntatis tabulis pauperibus *Beguinabus* aliquid de fuo legaret: qua de re tot

vetera testamenta, ab ANTON. MATTHAEO, aliisque viris doctis in lucem producta, testantur. Quae praeterea siue senectute, siue morbis, siue aliis rebus eneruatae, laborando, aliisque officiis praestandis indigentiam arcere non poterant, et a cognatis atque amicis relictae erant, illis sororum pietas solatium et auxilium, publicum vero, quod *infirmorum* dicebatur, aerarium tantum, quantum ad vitam tolerandam corpusque reficiendum satis erat, suppeditabat. Tot, tantaque *Beguinarum* emolumenta, fructus, praemia, et iura cogitans, haud, scio, valde mirabitur, breui tempore amplissimas earum familias coaluisse, nec cum MATTHAEO PARIS infinitam mulierum huius generis copiam inter saeculi prodigia referet. Ad extremum temporum, quibus tantopere *Beguinarum* sodalitates auctae sunt, rationes animo repetenti alia succurrit euentus huius caussa, eademque non infimi, vti arbitror, momenti. Magno in periculo hac aetate versabantur virginum et viduarum mediocris et humilioris sortis pudicitia et libertas. Milites, siue equites, illi praesertim, qui potentia et opibus valebant, quas poterant, plerumque inuadebant et violabant: quorum libidinem et petulantiam magistratus coercere haud facile poterant, non iisdem, quibus hodie, firmamentis aduersus vim et improbitatem muniti. Alii, quorum diuitiae in mancipiorum numero potissimum positae erant, si quam foeminam conspiciebant integram, robustam, lacertosam, eam aut vi, aut dolo, impune plerumque, rapiebant, et seruorum suorum cuidam iungebant, quo ipsis ex ea valentes et firmi agricolae procrearentur. Deplorant passim et castigant haec nobilium virorum flagitia, vbique fere in Europa communia, scriptores horum et sequentium temporum grauissimi. Quaecumque igitur mulieres innocentiae et libertati suae ab ista raptorum licentia metuebant, metuere vero debebant omnes, aut obscuro loco natae, aut patrocinio carentes, illae ad ecclesiam, tamquam ad portum quemdam confugie-

fugiebant, in eamque recipi sese curabant. Quamuis enim et hanc saepe despicerent illi tyranni, nec sacris virginibus violentas inferre manus dubitarent: quicumque tamen eorum non omnem animis religionem exturbauerant, sacrilegorum nomen et poenas magnopere formidabant, illisque ideo parcebant, quas sinu suo alma, sanctissimaque mater complectebatur. Atqui plurimae earum, quae famam, castitatem et felicitatem suam ecclesiae tutelae committere cogebantur, ea lege illi seruire cupiebant, vt ad suum tamen arbitrium multis in rebus sese fingere, et, si res et occasio ferrent, ad vitam ciuilem reuerti possent. Durae nempe leges obedientiae, paupertatis et sempiternae castitatis, quas ecclesia germanis filiabus suis praescribit, videbantur. Cui consilio quum conuenientissima essent *Canonissarum*, quas *saeculares* vocant, et *Beguinarum* instituta, ad illud, quae nobilioris erant generis, ad hoc, quae mediocris et plebeii, tanto numero properabant.

§. VIIII.

Iam si quis rationes insignis illius fauoris et amplissimae voluntatis, qua Reges, Principes, proceres *Beguinarum* rationem prosequuti sunt, reddi sibi velit, et huic satisfacere non nimis laboriosum erit. Principes *Beguinae* matronae erant et virgines, quas, praeter aduersam fortunam, quam pleraeque expertae erant, morum honestas, pietatis species, eximia modestia, laborum patientia, aliaeque virtutes non leuiter commendabant. Nihil illae molestiae mendicando et poscendo incolis vrbium, vbi versabantur, creabant, sed domicilio, quod aut ipsae compatauerant, aut munere aliorum acceperant, contentae texendo plerumque alimenta sibi parabant, quodque a laboribus vacuum relinquebatur tempus, templis frequentandis, precibus, piisque exercitationibus aliis impendebant. Fructus possessionum, quae sodalitati aut casu obueniebant, aut consilio, non in sua conuertebant

commoda, sed ad aegrotos, hospites, egenos et miserabiles fouendos, reficiendos et curandos adhibebant, quum ipsae interea necessaria propria sibi industria pararent. Haec iam satis locupletum et potentum animos ad beneuolentiam et munificentiam inclinare poterant: sed accedebant alia, his etiam grauiora ad bene faciendum illis incitamenta. Illae ipsae mulieres, quae spectatissima videbantur esse pietate, officia praestabant reipublicae, cum omni aetate, tum illis praesertim vitiosissimis et turbulentis temporibus, valde salutaria. Omnibus fere *Beguinarum* aedibus, simulatque firmitatis aliquid et ordinis nactae erant, domus addebantur hospitales, in quibus senes, aegri, debiles fouebantur, nutriebantur, et sororum manibus et amore, dum aut diem obirent, aut valetudinem recuperarent, contra vim malorum suorum fulciebantur. *Infirmariae*, inquit IOS. GELDOLPH. a RYCKEL *), *in omnibus Begginagiis, infirmis, senibus, indigentibus sunt refugio, solatio, subsidio.* Atque huic erga miseros et relictos amori maxima pars redituum inseruiebat, quos ex bonis siue donatis, siue coemtis, *Beguinae* capiebant: maxima, dico, pars: aliqua enim templo et illis, qui sacrorum curam gerebant, debebatur. Quis vero dubitet, eximium illud de pauperibus et afflictis bene merendi studium plurimorum amicitias ipsis conciliasse, et ipsos magistratus ad promouendas beneficas eiusmodi sodalitates excitasse? Non minoris in ciuitate vtilitatis erat, quod puellas, orbas maxime, recipiebant, atque ad virtutem, laborem, omnemque sexui conuenientem modestiam instituebant; quod aegrotantibus aderant, nec corporibus tantum, omnis generis ministeriis obeundis, verum etiam animis, consolando, erudiendo, aduersus dolores, mortisque metum muniendo, consulebant; quod morientibus auxilium ferebant; quod defunctorum cadauera lauabant, componebant,

*) Vita S. Beggae, p. 163.

aebant, ornabant; quod rixas in familiis forte natas componere studebant; quod tristes, aduersisque rebus oppressos erigebant: nam haec omnia, et alia minora, quae praetereo, sumsisse sibi *Beguinas* primae aetatis, et pro viribus impleuisse, innumerabilibus, si opus esset, testimoniis doceri posset, et inter veterum rerum non imperitos satis constat. Quae officia quam laudabilia, quam grata et iucunda fuerint, is vnus omnium rite existimauerit, qui saeculi licentiam et deprauatos mores, scholarum penuriam, sacri ordinis summam negligentiam et turpitudinem, religionis ignorantiam, et alias temporum illorum calamitates et probra ante oculos sibi collocabit. Neque idem, quid caussae fuerit, diu requiret, cur multae vrbes, quae mulieribus istiusmodi carebant, aliunde eas accersiuerint, honoribusque, praemiis et opportunitatibus propositis, apud se retinere studuerint. Erant nimirum quodammodo publicae pietatis, modestiae et diligentiae in sexu suo magistrae, plusque exemplis ad dissolutam et laxam foeminarum aetatis suae vitam corrigendam conferebant, quam praeceptis et consiliis sacerdotes, homines magnam partem libidinosi, et mulierum castitati insidiantes.

§. X.

Multo vero magis admiretur aliquis, quum audiuerit, easdem illas *Beguinas*, ex quibus tot in rem publicam commoda proficiscebantur, quarumque virtutem tot primi ordinis viri foeminaeque honestabant, cum plurimis tamen inimicitiis et maximis difficultatibus, in ipsis principiis suis, colluctari debuisse. Nec de illis loquor malis, quibus, post vitiatam veterem disciplinam, multis in locis non immerito affectae sunt, nec de iniuriis, quibus saeculo decimo quarto post Viennense concilium vexabantur: quarum quidem caussae in aperto sunt positae. Turbulentum erat ipsum instituti exordium, plurimis licet modis sese commendaret, nec parua hominum auctori-

ctoritate praeditorum manus, omnes intendebat neruos, vt illud vix natum extingueret; quumque hoc effici non posset, vt florens iam et adultum paullatim eneruaret et destrueret. Tangit has calamitates paucis aequalis scriptor, PETRVS HERENTHALIVS, et simul pluribus alias expositas esse memorat *): *quoties vero Beguinae tribulationes et contrarietates sint in principio perpessae, et quantae extiterint sanctitatis, in prologo vitae Mariae de Oigniis plenius declaratur.* Celebre inter *Beguinas* primae classis nomen MARIA illa est, cuius hic meminit, mulier visis diuinitus oblatis et prodigiis inclyta. Vitam vero eius vtrum ipse, an alius scripserit, editane sit, an lateat adhuc, compertum non habeo. Nos in re, quam hic agimus, eius testimonio non admodum indigemus: quanta enim hostium vis *Beguinas* adorta sit adhuc teneras, Pontificum, Principumque virorum et foeminarum epistolae satis declarant, quibus per totum fere saeculum securitatem illis et tranquillitatem comparare studuerunt. A. 1240. IOHANNA, Flandriae et Hannoniae Comes, diplomate, quod non ita pridem prodiit **), significat, intellexisse se non sine dolore, *puellas, quae conuertuntur ad Dominum, cum Beghinis euntes, et in earum domiciliis commorari volentes, a quibusdam grauem aliquando sustinere pressuram, qui violenter eas extrahere, et rebus earum spoliare non dubitent: quocirca Balliuis, Subballiuis et Scabinis Flandriae mandat, quatenus si aliquae puellae mundum relinquentes, velint habitare cum Beghinis, earum hereditates, res et corpora defendant contra quoslibet impugnantes, et tenere faciant in pace, quicquid ad eas iure hereditario debeat deuolui, eas nullatenus vexari sinentes.* A. 1245. INNOCENTIVS IIII. Pontifex Maxi-

*) Chronico MS. in RYCKELII vita Beggae, p. 355.

**) in AVB. MIRAEI Operum Diplomat. Historicor. Tom. III. p. 592.

Maximus, cum omnes *Beguinas* in suam recipiebat tutelam, tum Mechlinienses et Diestenses nominatim multis beneficiis et iuribus ornabat *). A. 1254. HVGO, Cardinalis, et Romani Pontificis legatus, Bruxellenses *Beguinas*, et bona earum, litteris accurate scriptis aduersus aduersariorum omnium machinationes et molitiones muniebat **). A. 1261. Leodienses *Beguinas* VRBANI IIII. Pontificis Maximi, auxilium contra audaces rerum suarum turbatores implorabant. Quocirca Pontifex *omnia* generatim *Begginarum et Reclusarum dioeceseos Leodiensis collegia, cum omnibus bonis suis, S. Petri, suoque peculiari patrocinio* non modo subiiciebat, verum etiam graui epistola *Leodiensium Decanum* monebat, vt resisteret *nonnullis, nomen Domini in vanum recipere non formidantibus, qui diuersis Beguinas et Reclusas molestiis affligant et pressuris, eisque aduersus raptorum, praedonum et inuasorum audaciam assisteret, nec permitteret, ipsas in bonis et personis, litibus molestari, molestatores vero per censuram ecclesiasticam compesceret, appellatione postposita* ***). Post aliquot annos MARGARETA, Flandriae et Hoyomiae comes, A. 1265. *Beguinas in Brugensi vinea* (ita vulgo Belgae olim domicilia *Beguinarum* nominare solebant, vocabulo, vt puto, ex *Cantico Canticorum Salomonis* ducto) *commorantes*, ne diutius hostium suorum contumeliis et iniuriis paterent, *in suam specialem tutelam recipiebat, et Balliuis suis mandabat, vt eas, ac res et haereditates earum manutenerent, et diligentissime defenderent* ****). Saeculo fere elapso, A. 1298. IOHANNES XXI. Antwerpiensibus *Beguinis* succurrebat, earum-

*) FOPPENS ad MIRAEI Opera diplomat. Tom. I. p. 429.

**) MIRAEI Opera Diplomat. Tom. III. p. 998.

***) MIRAEI Opera Diplom. Histor. Tom. I. p. 429. f.

****) MIRAEI Opera Diplomat. Tom. III. p. 592.

rumque hostibus, praeter indignationem suam, poenas certissimas comminabatur *). Plures extant eius generis aliae epistolae pro *Beguinis* datae, quae argumento sunt, etiam tum, quum nondum vel errorum, vel criminum et flagitiorum suspicionibus onerarentur, haud leui molestiarum et calamitatum mole pressas fuisse. Hoc vnde infortunium? Haec vnde in foeminas, nulli graues, multis vero vtiles, rabies? Ipsi quidem auctores iniuriarum, *Beguinis* illatarum, perhonestam odio suo caussam obtendebant. Lege, dicebant, INNOCENTII III. in Concilio Lateranensi quarto, A. 1215. lata, cautum esse, *ne quis nouam religionem inueniat, sed quicunque voluerit ad religionem conuerti, vnam de approbatis assumat.* Eadem lege mandatum esse, *qui voluerit religiosam domum fundare de nouo, eum regulam et institutionem accipere debere de religionibus approbatis* **): *Beguinarum* vero familiam a Pontificum nullo approbatam esse, neque regula vti ceterorum ordinum regulis consentiente: Boni ergo ecclesiae ciuis esse, prohibere, quo minus per illam sanctae matris auctoritas infringatur, et solemne istud decretum euertatur. Renouabat INNOCENTII legem in Lugdunensi concilio A. 1274. GREGORIVS X.: nec repetebat tantum, verum etiam acuebat et amplificabat, *districtius*, vt concilii verbis vtar, *inhibens, ne quis habitum nouae religionis adsumeret, et cunctas religiones post Lateranense concilium adinuentas, quae nullam confirmationem Apostolicae sedis meruerant, perpetuae prohibitioni subiiciens et reuocans.* Hinc mala voluntas eorum, qui *Beguinarum* incrementis inuidebant, quum Pontificum et Prin-

*) FOPPENS in MIRAEI Operibus, Tom. III. p. 429.

**) Concil. Lateran. IIII. c. XIII. Tom. VII. Concilior. Harduini, p. 31. 32. Repetiit hanc legem GREGORIVS X. in concilio generali Lugdun. 1274. vid. *Iuris Canonici Decret. Sixti. Lib. III. Tit. XVII. p. 682.* edit. Boehmerianae.

Principum edictis ſedata quodammodo videretur, denuo exardeſcebat, et nouas vires, nouamque ſpeciem acquirebat. Credant, quibus placet, quosdam eorum, qui Pontificiis hiſce legibus *Beguinas* oppugnabant, bona fide egiſſe, quod nec ipſe inficiari audeo, quum temporum mecum rationes reputo: at plerique tamen, et illi maxime, qui non verba, ſed vim adhibebant, longe alias furoris ſui cauſſas habebant, et prauas animi commotiones oratione tantum ſpecioſa exornabant. Vniuerſus ſacer ordo, vt ab his incipiam, ideo has mulieres inſectabatur, quia ſibi eripi et ſubduci putabat, quae illis donabantur, agros, hortos, domos, praedia, et alia: in quo non inepte iudicabat. Vbicumque nimirum *Beguinarum* grex quidam colligebatur et creſcebat, (multis autem in locis ſupra omnem modum creſcebat,) ibi haud parum de voluntariis vectigalibus detrahebatur, quibus piae mentes ſacerdotum et Monachorum preces et fauorem redimere ſolebant. Plus enim apud Deum populus exiſtimabat ſupplicationes valere foeminarum illarum religioſarum, officioſarum et laborioſarum, quales certe primum erant, quam ſacerdotum et Fratrum, in clauſtris viuentium, inter quos perpaucos vitae ſanctimonia commendabat, plurimos libidines et vitia deformabant: cuius quidem opinionis veſtigia quaedam adhuc inter Chriſtianos etiam illos, qui Romanum Pontificem deſeruere, ſuperſunt. Illae ſectae, quae nihil poſſidebant proprii, et mendicando neceſſaria ſibi quaerebant, peculiarem habebant cauſſam *Beguinarum* progreſſum impediendi, et inimicos illis excitandi. Vt enim panem ab aliis haud poſcerent, ſed labore manuum, ſolertiaque ſibi pararent, multi tamen ſponte, religione moti, erga eas benefici erant: ex quo haud parum detrimenti res fratrum mendicantium capiebat. Dominicani praeter haec et Franciſcani ſuas habebant ſorores, de quibus ſupra diximus, *Tertiarias*, Beguinarum non vna re ſimiles: quarum opportunitatibus quum maximopere ſtuderent, conſe-

quens hinc erat, vt illis, quibus possent modis aduersarentur. His inimicis nihil fieri poterat formidolosius: summa enim et in aula Romana, et in populo vbique, valebant auctoritate. Neque dubito idcirco, quin fortunas illi *Beguinarum* funditus breui tempore euertissent, nisi necessitudo quaedam amicitiae interuenisset. *Beguinarum* plurimae et res, et animas suas, regendas et gubernandas plane tradebant fratribus, a mendicitate nomen habentibus. Aliae, quo et his placerent, et eorum tela declinarent, qui tolerandam ideo negabant *Beguinarum* sectam, quia Pontificum suffragio careret, aut tertiam Dominicanorum et Franciscanorum regulam adoptabant, aut cum Augustinianis illis sese sociabant, quibus liberior est viuendi ratio. Prudentiaene et consilio, an vero casui; et si consilio, vtrius partis prudentiae haec *Beguinarum* et Mendicantium coniunctio tribuenda sit, haud facile dixerim: res vero ipsa testatissima est, multaque exempla *Beguinarum* proferri possunt, quae ante Viennense iam concilium, et proscriptam in illo *Beguinarum* familiam, aut Augustinianae, aut Tertiariae factae sunt. Vtrumque ea fiebat lege, vt vestem tantum et alia quaedam in oculos cadentia mutarent, ipsum vero institutum suum totum retinerent. Fallere enim volebant *Beguinae* aduersarios suos, aut libidinem, qua flagrabant, nocendi depellere, non nouam vitae rationem inire. Sanctimonialium vniuersus exercitus vna cum patronis suis, quibus poterat modis, *Beguinas* lacessebat: quas ob caussas, facile intelligitur. Ceteras vt omittam, tacite *Beguinae* per morum innocentiam, et bene merendi studium, *sanctimoniales,* multis sese flagitiis et suspicionibus contaminantes, neglecti officii accusabant, et in populi contemtionem et inuidiam maiorem inducebant: ex quo alia consequebantur his vehementer molesta et ingrata. Aliae erant profanis, siue Laicis, quos appellabant, rationes *Beguinarum* interitum et optandi, et promouendi. Potentiores seu equestris et militaris ordi-

nis

nis viri inique ferebant, per hoc inſtitutum libidines ſuas, virginumque raptus, coerceri ac contineri. Parentes plurimi dolebant, filias ſuas, quas liberaliter educauerant, vt placerent, et ex quibus poſteros ſperauerant, ſpretis vitae deliciis, et morum elegantia ſepoſita, ad *Beguinarum* domicilia, tamquam ad aſylum quoddam, conuolare, atque ſolitudinem, precumque et laborum ſocietatem matrimonio anteponere. *Beguinarum* enim ratio quum multo minus auſteritatis et ſeruitutis haberet, cultricibusque ſuis multo plus honeſtae libertatis concederet, quam ſanctimonialium; dici non poteſt, quantopere puellis, ſalutis et virtutis amantibus, placeret, quantaque virginum etiam locupletum multitudo, inuitis parentibus, ad eam accederet. Quae ſi bonis et haereditatibus ſuis, quod ſanctimoniales ſolent, certis ſibi fructibus ſeruatis, renuntiaſſent, rem gratam ſine dubio fratribus, ſororibus et cognatis feciſſent. Verum omnes *Beguinae* rerum ſuarum dominium, ſpem haereditatum, facultatem donandi, teſtandi, legandi retinebant: quibus iuribus longe ſecus et vti debebant, et vtebantur, quam cognatorum voluntas ferebat. Mediam enim omnium bonorum ſuorum partem ſodalitati iure relinquere debebant: alteram partem mediam pleraeque aut ſacerdotibus, quibus animarum curam crediderant, aut amicis vtriusque ſexus, non ſanguine, ſed pietatis ſtudio ſibi iunctis, aſſignabant, aut denique pauperibus largiri ſolebant. Quae vna conſuetudo quantum odii et inimicitiarum vniuerſae nationi parere debuerit, nemo tam eſt humanorum animorum inſcius, quin optime perſpiciat et intelligat. *Beguinarum* Hamburgenſium leges, A. 1360. a GODEFRIDO, Archiepiſcopo Bremenſi, rogatae, cum quibus aliorum huius generis collegiorum leges conſentiunt, haec ſanciunt *): *Soror infirma poteſt*

*) NICOL. STAPHORSTII Hiſtoria Eccleſiaſt. Hamburg. Vol. II. p. 644.

familiae non leue dedecus conſciſcerent; verum etiam pudicitiae ſaepe leges violarent: epiſcoporum plurium auctoritas omnes, quae quadrageſimum aetatis annum non ſuperaſſent, *Beguinarum* ſodalitatibus excludebat. SIGEFRIDVS III. Moguntinus antiſtes, in concilio, quod Fritzlariae A. 1244. ad d. III. Cal. Iunii agebat, iam praecipiebat: *Ne aliqua admittatur in Beghinam ante quadrageſimum annum* *). Eam legem PETRVS, Archiepiſcopus pariter Moguntinus, quum oblitterata fere eſſet, poſt ſex et ſexaginta annos, his verbis repetebat **): *Ad hoc quia iuuencularum beguinarum lapſus frequens et euidens ſtatum religionis deformat et ſcandaliſat plurimos, ſtatuimus, vt nulla de cetero in earum numerum admittatur, niſi quadrageſimum aetatis ſuae annum exceſſerit, et probate opinionis exiſtat. Sexagenarium numerum, quem ſcripſit Apoſtolus, talibus aſſumendis propter fragilitatem noſtri temporis ad quadragenarium numerum reſtringentes.* Id ipſum poſtea praeceptum ALBERTVS IIII. Archiepiſcopus Magdeburgenſis, et iisdem plane verbis, A. 1489. tulit ***): quorum antiſtitum veſtigia quin alii ſequuti ſint, non dubito. Germanorum vero epiſcoporum in hac re ſeueritatem et prudentiam vtrum aliarum gentium praeſules imitati ſint, nec ne, cognitum haud habeo: hoc ſcio, ne in omnibus quidem Germanorum prouinciis hanc de aetate *Beguinarum* legem valuiſſe. Quae in ordinem ſororum cooptabantur, illi, quae magiſtrae loco praeerat coetui, obedientiam, data dextra, ſpondebant, et caſtitatem, neutram vero perfectam et perpetuam. Nam et diſcedere ex

*) GEORG. CHR. IOHANNIS ſcriptor. rerum Moguntinar. Tom. III. p. 296. 298.

**) in Statutis Synodalibus, Stat. XCVII. IOHANNIS Scriptor. rerum Mogunt. Tom. III. p. 298. IO. CHRIST. LVNIGII Spicilegii Eccleſiaſt. Continuat. II. p. 53.

***) In Statutis Synodalibus, in IO. CHRIST. LVNIGII Spicilegii Eccleſiaſt. Continuat. II. p. 287.

ex ſocietate, ac nubere, ſi res ita ferret, poterant, et propria voluntate res ſuas gubernabant, externa viuendi ratione demta, quae ad leges collegii componi debebat, quarum cuſtos magiſtra erat. Quaecumque fidem datam fallebant, et vel rixando ſororibus moleſtae erant, vel reuerentiam magiſtrae debitam exuebant, vel immodeſte ſeſe gerebant, vel aliis denique peccatis et vitiis manifeſtis famam maculabant, carcere, aliisque poenis, quas tutores et curatores ſocietatis dictabant, caſtigabantur. Quibus ſi corrigi non poterant, ſodalitate cum ignominia, et bonorum, quae attulerant, iactura, ſine omni ſpe redeundi, eiiciebantur. Grauis in primis cenſura erat earum, quae vitiari ſeſe paſſae erant, aut huic delicto affine aliquid commiſerant: harum enim ſimulatque teſtatum erat peccatum, ſine vlla miſericordia et mora, domo expellebantur. Initiationi adiungebatur ſuſceptio amictus, religioſas mulieres eiusmodi decentis, et veli, quo caput in publicum prodeuntes, et ſacra obeuntes, tegere debebant. Vtrumque magiſtra nouis ſororibus tradebat. Veſtitus non diſſimilis quidem erat eius, qui honeſtis conueniebat foeminis, verum vilis et ornamentorum expers: color eius diuerſus, plerumque tamen aut coeruleus, aut cinericius, aut furuus. Velum vbique erat candidum. *Sorores dicti conuentus*, ſic leges *Beguinarum* Hamburgenſium praecipiunt *), *portabunt habitum de colore blauio, vel bruneto, et velamina capitis dealbata, nec multas plicas, vel magnas fimbrias in veſtimentis habebunt.* Domiciliorum, quae *Beguinae* incolebant, diſpar erat forma et ratio. In Germania, Galliaque vna plerumque domus, in tot diſtributa cellas, quot ſororibus coetus conſtabat, omnes complectebatur: quae ſic habitabant, vno communi vtebantur coenaculo et cubiculo. Secus erat in prouinciis Belgicis:

*) STAPHORSTII Hiſtor. Eccleſ. Hamburg. Vol. II. p. 643.

gicis: in quibus *Beginagia*, quae vocabantur, ex tot fere ſegregatis domibus compoſita erant, quot in ea mulieres ſeceſſerant, et parua idcirco referebant oppida, in vicos ſuos et plateas diſtincta. Multae tamen, quibus iſta vita placebat, quum tantum non haberent opum, vt domos ſibi ipſae exſtruere poſſent, illis, quibus propriae aedes erant, licebat, vnam ſibi aut binas contubernales adſciſcere. Inter tot aediculas, quae latiſſimum ſaepe ſpatium occupabant, eminebant maiora quaedam aedificia, communi vſui deſtinata: quorum quidem praecipua, praeter templum, *domus* erat *hoſpitalis*, et, vt loqui ſolebant, *infirmaria*. Illa peregrini, ſenes, miſeri et aegrotantes, qui ſororum miſericordiam implorabant, excipiebantur: in hanc ſorores, pertinaci morbo affectae, deferebantur, vt commodius a foeminis, ei negotio praefectis, curari et foueri poſſent. Vtriusque generis domicilia, et omnes ſimul eius incolas, foemina quaedam in primis grauis, prouectae aetatis et ſpectatae probitatis, regebat, quam *Magiſtram* nominabant: cui plerumque alia ſoror, *Submagiſtrae* aut *Subprioriſſae* nomine, vicariam operam praeſtabat. In maioribus illis *Beguinarum curiis*, quae aliquot millia complectebantur, vna non ſufficiebat *magiſtra:* quaedam igitur binis, aliae pluribus, inſtructae erant. *Bruxellenſe Beginagium*, quod amplitudine pleraque Belgica ſuperabat, quattuor habebat *Magiſtras capitales*, ſiue *magnas*, quibus totidem, ſi recte coniicio, minores ſeu inferiores, adiunctae erant *). *Magiſtrae* ſuffragiis ſororum, quod omnes teſtantur leges adhuc in lucem prolatae, creabantur: ſed epiſcopus, aut is, cui epiſcopus vices ſuas commiſerat, poteſtate gaudebat creatam Magiſtram aut probandi, aut, ſi minus idonea videretur, recuſandi. Poteſtas et auctoritas *Magiſtrarum* non nimis late patebat: qualemcum-

que

*) AVB. MIRAEI Opera Diplomat. Hiſtorica, Tom. II. p. 1006.

que enim tantum obedientiam sorores debebant ei, non talem, qualem virgines, Deo consecratae, pollicentur. Igitur id tantum curabant, ne quid secus fieret, quam pudor, modestia, religio et tranquillitas publica iubebant, et vt ordini, a legibus praescripto, suus honos constaret. Cetera sororum relicta erant arbitrio. Maioris si quid negotii, quo salutis publicae pars continebatur, incideret, si quid publici boni caussa vel emendum, vel vendendum videretur, si publicarum aedium mutationem et emendationem necessitas quaedam postularet, si legibus et consuetudinibus siue addendum, siue detrahendum esset aliquid, si nouae famulae, aut ministri conducendi, si recipi quaedam in collegium cuperent, si quid simile his contingeret; tutores et curatores collegii aduocandi, et communi consilio, quid facto opus, constituendum erat. Magistrae nimirum vbique vir quidam, prudentia et virtute praestans, gubernationis socius addebatur: cuius iudicium in rebus grauioribus semper audiendum erat. Et vbi plures erant magistrae, ibi plures etiam curatores aut tutores aderant. Multis in domiciliis, minoribus praesertim, idem, qui animarum custos et medicus, societatis etiam tutor erat: quo annuente leges tolli et emendari poterant. Aliis in locis curatoris et tutoris munus simul administrabat is, cui episcopus suam in *Beguinas* potestatem crediderat: qui quidem plerumque aut coenobii cuiusdam praefectus, aut sacri cuiusdam collegii Decanus, aut aulae antistitis iudex erat. Maiora collegia ex viris vrbis honoratioribus, et vel dignitate, vel auctoritate claris, tot, quot requirere rationes sodalitatis videbantur, magistros, aut rei publicae administros, ipsa sibi eligebant: quorum tamen electionem episcopus ratam habere debebat. Saepe patroni societatis, viri principes, qui fundamenta collegii iecerant, qui domibus, hortis, agris, templo, aliisque rebus et opibus illud locupletauerant, iure quodam suo tutelam eorum sibi sumebant, eamdemque, si vellent, in

clientum suorum aliquem, tamquam beneficium quoddam, transferebant. Aliis in vrbibus magistratus ex ordine suo nonnullos designabat, qui magistrae *Beguinarum* ope ac consilio adessent. Et vbique fere, quoniam hae mulieres proprie religiosae non erant, nec Romani Pontificis auctoritate inter ciues ecclesiae receptae, magistratus supremam sibi potestatem in ipsas, in domos, et bona earum arrogabat, et vt omnium collegiorum, in ciuitate coeuntium, sic horum quoque curam et custodiam ad se pertinere, reluctantibus licet episcopis, contendebat. Hinc lites saepe inter praesules et magistratus vrbium de caussis *Beguinarum* cognoscendis, nascebantur. Patiebantur hi quidem episcopum, aut eius iudicem et vicarium, contentiones in domiciliis ipsis orientes, leues plerumque, nulliusque ponderis, dirimere, carcere, aliisque poenis *Beguinas*, in leges societatis peccantes, afficere; Magistras vitiosas et officium deserentes munere suo priuare; aliaque similis generis constituere: vērum quibus rei aliquid et certaminis cum ciuibus erat, aut quae delictum quoddam admiserant, eas in foro suo caussam dicere volebant; similiter vniuersam sodalitatem pactorum suorum approbationem a se petere, magistrasque ac tutores sibi rationes, si poscerent, edere debere, disputabant. Quae omnia quum ad se trahere studerent rerum sacrarum antistites; fieri non poterat, quin difficiles saepe concertationes inter hos et magistratus super *Beguinabus* existerent: quae numquam ita componebantur, nec ita componi poterant, vt dissensionis fomes penitus extingueretur.

§. XII.

Bona communia, vnde cibus, vestimenta, et quae praeter haec vita hominum requirit, praeberentur, non erant *Beguinabus*. Miserae quidem, ab humano auxilio omni relictae, morbis confectae, publico sumtu, seu ex thesauro pauperum, alebantur: ceterae laborando, in

primis

primis texendo, aliisque artibus et officiis, quae praestare poterant, si fortunis carerent, res, quarum indigebant, sibi quaerere debebant. Mendicandi facultas nulli dabatur, nisi forte domus, summa paupertate oppressa, egenarum sororum miseriam leuare non posset, nec copiosi et misericordes, qui succurrere vellent, inuenirentur. Haec tamen raro contingebant: nec facile *Beguinae* piorum hominum amorem et beneficentiam desiderabant; illas puta, quae licentia et vitiis animos a se non alienauerant, et morum castitate, ac religione placere nitebantur. Munera, quae tam viuentes, quam morientes, frequentissime his mulieribus et mittebant, et legabant, quo precibus earum apud Deum iuuarentur, pauperum erant proprie, quibus nulla res, nullum patrimonium erat. Hinc vetera testamenta magno hodie numero a viris doctis in lucem producta, quae *Beguinas* certae cuiusdam bonorum partis haeredes scribunt, vocabulum plerumque *pauperes* nomini adiiciunt, per quod eas ab hereditate segregant, quae munificentiae alienae ad honeste viuendum non indigent. At in multis tamen domibus, Germanicis in primis, nulla habebatur ratio conditionis sororum, verum omnes donationes aequali portione distribuebantur; Magistrae duplex debebatur portio. Bonorum igitur, quae *Beguinae* possidebant, reditus ad aedes ipsarum reficiendas et amplificandas, ad publicos ministros seu ministras alendas, et ad miserabiles, aegrotos, et senes sustentandos vnice adhibebantur. Belgicarum, quae appellabantur, *Curiarum*, late plerumque patentium, bona diuidebantur in *bona Infirmariae*, et in *bona ecclesiae*. *Infirmaria* non differebat multis in *curiis* a domo hospitali: in aliis vero differebat ita, vt *hospitalis domus* aduenis et hospitibus, *infirmaria* vero sororibus tantum aegrotantibus dicata esset. *Ex infirmariae* bonis, sacerdotibus societatis, pauperibus, famulis et ancillis, alimenta et ordinaria laborum praemia erogabantur. Ex iisdem muri, portae,

 sepi-

sepimenta, pontes et omnia, quae communis poscebat securitas, conficiebantur et instaurabantur. De *bonis Curiae*, adscribo verba legum Bruxellensium, cum quibus aliae prorsus congruunt *), *quae vocantur Infirmariae seu communia bona, soluatur Capellanis, quod ipsis debetur, et necessitates omnes curiae fiant in clausuris, sepibus, fossis, pontibus, cet. prouideatur et de illis, pauperibus, famulis et ancillis curiae.* Ex *bonis ecclesiae* sumebantur, quae cultus diuinus, templique structura et ornatus requirere videbantur. *Sunt*, inquiunt leges, quas iam laudaui; *alia ibi bona, quae vocantur ecclesiae. De his prouideatur ecclesiae in omnibus necessariis. Huiusmodi bona sunt eleemosynae, census, reditus, terrae, prata, quae ecclesiae legantur et expresse deputantur.* Haec bona sanctiora quodammodo erant, et maiori cura administrabantur, quam illa. Bonis communibus, siue *Infirmariae*, Magistrae et illae, quae aegrotorum et miserorum curae praepositae erant, sic vti poterant, insciis etiam et inconsultis tutoribus, quemadmodum communis vtilitas et necessitas ipsis poscere videbatur. At de *bonis ecclesiae*, eorumque vsu, vniuersum magistrarum, tutorum et curatorum concilium statuere debebat. *Nihil*, aiunt Bruxellenses leges, *nihil circa bona ecclesiae fiat, nisi in pleno conuentu superiorum, neque custos ecclesiae se intromittat, sine mandato magistratus.* Postremi mandati hanc esse arbitror sententiam: Is, qui templi gerit custodiam, nihil in eo mutari, ornari, refici curet, nisi a consilio domicilii iussus. Aedium, quas sorores incolebant, reparatio et aedificatio ad incolas earum pertinebat. Multis in domibus, praecipue minoribus, omnes *Beguinae* vni accumbebant mensae: ad quam instruendam quaelibet singulis mensibus certam argenti summam Magistrae soluebat. In aliis vero, maxime maioribus, sorores separatim cibum sibi parabant.

Non-

*) MIRAEI Opera Diplomat. Tom. II. p. 1005.

Nonnullis in locis omnes, quidem in vno coenaculo cibum capiebant, verum suis singulae ex patinis, quas secum afferebant. Omnium *Beguinarum* erat, quotidie solemni sacro interesse, et peccata frequenter sacerdotibus confiteri. Bina haec officia, dum ipsae templis et sacerdotibus propriis carebant, multis, senibus in primis, debilibus et solitudinis amantibus, valde molesta erant, iunioribus vero et ad vitia propendentibus commodissimam praebebant occasionem vagandi, et tempus male atque inutiliter consumendi, immo peccandi et libidini seruiendi. Quod quum piae bonaeque mentes perspicerent, plurimis in locis, praesertim in Belgio, prouidebant, vt propria illis templa exstruerentur, et proprii sacerdotes praeficerentur. Qua in re cauebatur tamen, ne ordinariorum sacerdotum, quos *Parochos* nominant, emolumentis et iuribus multum decederet. Singulae nempe *Beguinae* quotannis illi, qui *Parochi* munere fungebatur, nummulos quosdam muneri mittere, atque hac ratione nomen veluti suum inter ouiculas eius profiteri debebant. Sacerdos earum mediam partem donorum, in exequiis sororum exhibitorum, quae *oblationes* nominantur, *Parocho* debebat. Idem ius obtinebat, si, quod licitum erat, religiosi quidam homines in area *Beguinarum*, corpora sua post obitum humari vellent. Qui, patroni nomine, templo *paroeciae*, quam dicunt, praeerat, idem quoque curatorem animarum *Beguinarum* plerumque designabat, tametsi nec aedem *Beguinalem* vel aedificasset, vel ditasset, nec in partem praemii, sacerdoti eius aedis quotannis praebendi, veniret. Quamquam hac in re non eadem omnium locorum iura erant, quoniam pacta, et magnorum piorumque hominum interuentiones, et preces saepenumero ius receptum mutabant. Domicilia *Beguinarum*, quibus proprium non concessum erat templum, plurimis in locis aut templo cuidam iuncta, aut vicina erant, quo facilius et tutius publicis officiis suis satisfacere possent. In priuatis offi-

ciis,

ciis, id eſt, illis, quae intra aedes, quas incolebant, obeunda erant, praecipuum erat, quotidianarum precum et lectionum, quae ſtatis horis inſtituebantur, frequentatio. Multae praeterea certas quasdam formulas et hymnos quotidie in cubiculis ſuis recitare, et pii cuiusdam libri, quem ſacerdos commendauerat, particulam legere iubebantur. Quod ab his officiis vacuum relinquebatur tempus, id, vti volebant, collocare poterant. Sunt, quae teſtari videntur, antiquae narrationes, *Beguinabus* in nonnullis vrbibus munus etiam impoſitum fuiſſe, aegrotantibus, ſi accerſerentur, miniſtrandi, morientes conſolandi, defunctorum corpora lauandi, componendi, veſtiendi, ipſum denique funus curandi. Sic, verbi cauſſa, *Annales Auguſtae Vindelicorum* referunt, A. 1306. Senatum *Beguinarum aegrotis inſeruientium* numerum imminuiſſe, et ad quattuor eas reuocaſſe *). Sed neſcio, vtrum in eiusmodi veterum locis *Beguinae*, proprie ſic dictae, intelligi debeant, an vero ſorores *Alexianae*, quas inſtituti ſui lex aegrotis et morientibus ſeruire iubebat. Nam et has ſaepiſſime *Beguinas* nominari, et *Beguttas*, omni prorſus dubitatione caret. Quidquid id eſt, hoc conſtat, inter *Beguinas*, de quibus hic agimus, non paucas religione ductas, ſponte afflictis, decumbentibus et cum morte colluctantibus, operam ſuam obtuliſſe, multisque in Germaniae vrbibus vſu inualuiſſe, vt ex *Beguinarum* domiciliis miniſtrae, cuſtodes ac magiſtrae aegrotantium et decedentium aduocarentur. Adſuetae nimirum iſtae mulieres erant triſtibus his miniſteriis in ipſis, quas habitabant, aedibus, et rerum praeterea diuinarum tam peritae habebantur, vt ipſis etiam ſacerdotibus melius timidas et deiectas mentes erigere et roborare poſſent.

§. XIII.

*) GASSARI Annales Auguſtani, in IO. BVRCKARD. MENCKENII ſcriptor. rerum Saxonienſ. Tom. I. p. 1471. Paul von Stetten Geſchichte der Stadt Augsburg, c. VI. §. II. p. 89.

§. XIII.

Hausta sunt, quae adhuc de *Beguinarum* ratione, disciplina et officiis disserui, ex legibus earum, quas RYCKELIVS, AVB. MIRAEVS, STAPHORSTIVS, COËNSIVS, et alii quidam, publica luce donarunt. Ipsa legum verba singulis capitibus addere nolui, ne iusto longior forem: neque est, vt opinor, in illis aliquid, cui fidem habere recuset, vel mediocri rerum veterum cognitione praeditus. Qua qui destituti sunt cognitione, illis ad credendum, meo quidem iudicio, sufficient Argentinensium *Beguinarum* leges, decimo tertio saeculo rogatae, quas ex veteri decimi quarti saeculi codice, Alsaticis tabulis et documentis pleno, descriptas hic legendas dabo. Sunt in illis quaedam nondum indicata, et scitu tamen non iniucunda: sunt alia, quibus, quae iam dicta sunt, contra omnem dubitationem muniuntur. Datae sunt vni tantum *Beguinarum* Argentoratensium domicilio, cui cognomen erat *de Innenheim:* verum annotationem scriptor apposuit, qua significat, omnibus, quae olim Argentinae erant, domibus eas communes fuisse, et ipsas simul domus illas nominauit, quam quidem huc transferre non inutile erit: *Formam, quae sequitur, habent aequalem per omnia istae tres domus, scilicet ad turrim dictae, et de Offenburg, et de Innenheim, sitae apud Fratres Praedicatores Argentinae in constitutionibus suis et sigillis, instrumentorum ipsorum, et in data annorum Domini, excepto, quod cuiuslibet domorum istarum propriae personae singulariter notantur.* Tres igitur, decimo tertio saeculo labente, *Beguinarum* domus Argentinae erant, omnes Fratrum Praedicatorum, seu Dominicanorum, claustro aut vicinae, aut contiguae, quo fratres hi commodius gubernationis, quam sorores illis detulerant, munere perfungi, sororesque quotidianis in templo eorum sacris facilius interesse possent. Omnes eodem anno de consilio et auctoritate fratrum, quibus animarum suarum

curam

curam commiserant, formam vitae et disciplinae, quae sequitur, adsciuerant.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Nos Mechtildis, magistra, Adelheidis, Subpriorissa, ceteraeque sorores in domo, quae dicitur, de Innenheim in Argentina congregatae, quarum nomina sunt haec, Gerdrudis, Elisabeth, Willeburgis, Anna, Catharina, Ellekint et soror eius Gysela, ad honorem Domini nostri, Iesu Christi, volentes materiam dissolutionis suspectae et nociuae diffugere, et ad disciplinam commendabilem coerceri, de consilio et consensu confessoris nostri, Fratris Friderici, dicti de Ersthem, Ordinis F. F. Praedicatorum in Argentina, haec inter nos ordinamus, et fide data inuiolabiliter nos obseruaturas publice profitemur.

Ordinauimus itaque et fide corporali praestita obseruare promisimus, quod quaecumque ad nos habitum nostrum susceptura venerit, et permansura, si infra annum quemcumque a nobis, suum mutans propositum, recesserit, quod resumere valent libere, quaecumque tam in mobilibus, quam in immobilibus apportauit, ita tamen, quod loco expensarum siue victualium reddet pro singulis mensibus denarios quadraginta, insuper si in vestibus, vel pro aliis necessitatibus suis aliquid accepit a sororibus, refundat, nec his minuendis seruitia, si quae facta sunt in eius induitione, nec opera eius, nec vtilitas proueniens ex his, quae attulit, vel quae poterat euenire, computetur.

Si autem induta paruula fuerit, quocumque tempore infra annum quartum decimum recesserit, recedet, vt supra dictum est; at si moritur, cum ad sorores venerit, etiam nondum induta, quidquid attulit, sororibus remanebit.

Item si elapso anno quarto decimo, manuali fide praestita, quod obedire voluerit, et postea voluntate recesserit, siue propter honestam caussam, puta, quia in

recla-

reclusorio carceris permanere voluerit, siue alias ad societatem honestam transire voluerit, de omnibus secum apportatis, siue in immobilibus, siue mobilibus, nihil secum deportare valebit, exceptis vestimentis et lectisterniis, nisi benignitas sororum eidem facere voluerit gratiam ampliorem. Item si claustrum intrare voluerit, quinque libras tantum de bonis suis accipit apportatis.

Item volumus et ordinamus et fide data vallamus, quod si quae lapsum carnis inciderit, vel virum horis nocturnis intromisisse conuicta fuerit, vel horis diurnis in loco secreto et suspecto, sola cum solo, aliis sororibus hoc ignorantibus, inuenta fuerit, vel suspectam familiaritatem cum viris vel mulieribus habuerit, quam tertio vel quarto monita vitare noluerit, et litteras ab eis acceperit, et absconditerit, vel inobediens ordinationi magistrae extiterit, vel obedire contempserit, vel socias sorores domus praedictae continue turbauerit, excessus suos aliarum excessibus leuigando, aliis culpas suas improperando et turpia narrando, vel poenas pro suis excessibus iniunctas ferre noluerit, vt pro quolibet articulo posito singillatim de domo nostra eiiciatur, expellatur et extrudatur, nec aliquid de secum apportatis, seu mobile, seu immobile fuerit, secum deferat, et deferre faciat, ita vt ab omnibus bonis exclusa nihil, nec vestimenta sua, quae tunc pro tempore habuit, deferat vel exportet, nec praetextu precum affinium, consanguineorum, seu amicorum vel proximorum quorumcumque, illud aliquatenus immutetur, vt quos timor Dei a malo non reuocat, saltem poena coerceat corporalis.

Volumus item et ordinamus et fide data vallamus, vt si aliquid praemissorum in dubium per inficiationem excedentis reuocatum fuerit, quod ad probationem sufficientem testimonium Magistrae vel Subpriorissae valeat cum maiori parte sororum, et quidquid super praedictis affirmauerint, tamquam testimonium efficax et immutabile habeatur.

Prae-

Praeterea nolumus, quod aliqua recipiatur, quin in bonis paternis, maternis, vel peculio aduentitio, vel profectitio, vel alias in saeculari habitu existens, valeat succedere ex quacumque caussa, nisi aliquo casu renuntiemus.

Item ordinamus, quod si aliqua apud nos in consortio sororum nostrarum diem clausit extremum, vel a nobis non reiecta, sed per se recesserit ob aliquam caussam supra expressam honestam vel inhonestam, quod sicut nec ipsa recedens petet aliquid de suis apportatis, ita nec nomine suo, nec defunctae, aliquis proximorum, haeredum, siue amicorum, ita vt quod vna via non liceat, per aliam fraudulenter admittatur.

Praeterea si aliquo casu emergente ab inuicem contingeret, nos praetextu paupertatis, vel alterius infortunii separari, ordinamus, vt de omnibus, quae tunc possidemus, seu mobilibus, seu immobilibus, quaelibet aequali diuisione suam recipiat partitionem.

Item ordinamus et promittimus fide praestita, quod in his, quae circa statum nostrum ordinanda fuerint et corrigenda, obediemus Magistrae nostrae, et Subpriorissae, et ei, qui pro tempore nobis confessor fuerit deputatus, et eis nos submittimus ex praesenti ordinatione quoad haec et quoad omnia supra memorata et ordinata, ita etiam quod Confessor noster de consilio Prioris F. F. Praedicatorum possit in quolibet articulo huius cedulae nobiscum dispensare, si viderit opportunum.

Quaecumque igitur recipienda, praemissis sibi praelectis et expositis, voluerit promissa seruare et promiserit, nec non et fide praestita se seruare firmauerit, in sororem nostrae congregationis recipiatur. Si autem pro his seruandis praestare fidem negauerit, in nostrum numquam consortium recipiatur, nec prece, nec pretio, quousque singula et omnia promiserit obseruare.

Volumus etiam, vt futurae liti materia praecludatur, quod quaecumque, etiamsi vltra annum non requisita super praemissis articulis, an seruare voluerit, permansit,

manſit, quod ex eo, quod poſt annum remanſit primum, quod confeſſa et obligata ad omnium articulorum praemiſſorum auſcultationem habeatur, in bonis ſuis de cetero nullam habitura petitionem, tamquam ſi pro exceſſu ſuo a domo et conſortio noſtro excluderetur.

Vt autem haec omnia firma habeantur, praeſentes litteras ad petitionem noſtram fecimus, ſigillis iudicis Domini noſtri Epiſcopi ad cauſſas, et Domini Hermanni, venerabilis Prioris, nec non Theſaurarii Argentinenſis roborari.

Nos Iudex curiae Argentinenſis et Theſaurarius Argentinenſis praemiſſa omnia coram nobis eſſe ordinata, et ad petitionem praedictarum Dominarum praeſentem cedulam ſigillis noſtris communitam publice profitemur. Actum et datum Argentinae anno Domini MCCLXXVI. XVIII. Kal. Maii.

Beguinarum vocabulum tametſi his in tabulis ſcriptum non legitur, argumentum tamen earum non dubitare quemquam ſinit, ad huius nominis mulieres eas pertinere. Praeterea in codice veteri, vnde deſcriptae ſunt, hunc habent indicem: *Conſtitutiones domuum Beguinarum Argentinenſium.* Denique Dominicani fratres in bello, *Beguinarum* cauſſa Argentorati exorto, cuius hiſtoriam conuenienti loco trademus, antiſtiti vrbis eas exhibuerunt, vt ſocietates *Beguinarum* Argentoratenſium legitimas eſſe, ſibique dudum ſubiectas, teſtatum facerent. Paruum erat collegium, quod has ſibi leges rogauit: ex nouem quippe ſororibus conſtabat. Itaque vna tantum magiſtra vtebatur, cuius vices ſoror alia, Subprioriſſae nomine inſignita, obibat: vtrique ſorores, ſocietatem intrantes, iuſtam ſpondebant obedientiam. Curatorum et tutorum munere fungebantur ſodales Dominicani, Argentinae viuentes: is eorum ſigillatim, qui Prioris nomine reliquis praeerat: hic vero ex fratribus alicui poteſtatem ſuam committebat, cuius auctoritate et conſilio publicae priuataeque res ſororum


regerentur. Eidem peccata confitebantur *Beguinae*, proprio templo et animarum cuſtode propter gregis paruitatem deſtitutae. Res iſte minores ex ſuo ſine dubio ſenſu, accedente ſororum congregatarum ſuffragio, componebat et ordinabat: in maioribus, quum, verbi cauſſa, nouae leges ferendae, veteres abrogandae, ſororibus aliquid remittendum eſſet, ſententia eius, a quo auctoritatem ſuam acceperat, audienda erat. Forum ſororum aut mixtum, aut anceps fuiſſe videtur: quod ex eo colligo, quia, quum leges confirmandae eſſent, quas auctore curatore ſuo ſibi ſcripſerant, non *iudicis* tantum *Epiſcopi* et *Prioris* Dominicanorum, verum etiam *Theſaurarii* vrbis, ciuilis haud dubie magiſtratus, ſigillis eas obſignari et communiri curabant. Hac magiſtratus vrbani approbatione opus ſibi eſſe ideo iudicabant, quia fieri poſſe praeuidebant, vt a ſororibus, ſocietatem relinquentibus, vel ex ea propter delicta extruſis, legum illarum nomine apud praetorem accuſarentur: qui ſecundum accuſantes pronuntiaſſet, ſi leges illae inſcio magiſtratu latae fuiſſent. Quaecumque maturae aetatis ſodalitati volebat adſcribi, illi, more ſanctimonialium, annuum concedebatur ſpatium ſecum deliberandi, et vſu ipſo diſcendi, vtrum nouum illud vitae genus ferre poſſet, nec ne? Quae currente hoc anno voluntatem mutabat, ea libere cum omnibus, quae attulerat, bonis diſcedebat, modico conuictus, quo vſa erat, pretio ſocietati numerato. Quae vero in propoſito perſeuerabat, elapſo anno veſtimentis, *Beguinam* decentibus, ſolemni ritu, praeſente, ſine dubio, Curatore, induebatur, et Magiſtrae, eiusque vicariae, obedientiam ex praeſcripto legum pollicebatur. Initiatae facultatem non amittebant collegio deinceps, ſi vellent, exeundi: at bona, quae apportauerant, exigua earum parte demta, auferre ſecum haud poterant. Non dubito, quin dura haec et in primis moleſta lex querimonias ſaepe atque lites pepererit. Honeſtas praeterea, quae egredi ſodalitate volebant, conſilii

ſui

ſui cauſſas habere debebant: quarum quidem tres tantum indicantur. Aut enim *ad recluſorium carceris,* proficiſci, aut ad honeſtam ſocietatem quamdam transire, aut denique clauſtrum quoddam ſanctimonialium ingredi oportebat eas, quae mori inter *Beguinas* nolebant. Miror, matrimonii nullam inter has honeſti diſceſſus cauſſas mentionem eſſe factam, cui nulla *Beguina* renuntiare ſolebat: neque tamen exiſtimo, Argentinenſes has ſorores perpetuam Deo caſtitatem vouiſſe, ſed coniicio, ſub *honeſtae ſocietatis* vocabulo, ampliſſimae quod poteſtatis eſt, coniugium quoque latere: quod quidem *Beguinae*, ne immodeſtae et ſpe mariti plenae viderentur, aperte nominare, religioni ſibi ducebant. Ratio ſcilicet honeſtatis et decori poſtulabat, vt religioſae virgines publice diſſimularent, quod animo fouere non illicitum erat. Ex prima cauſſarum, quas diximus, liquet, *Beguinas* ſaepenumero, quas maioris virtutis et ſanctimoniae cupido inceſſerat, captiuas ſeſe ipſas ſponte feciſſe, ſeu exili aedicula aut tugurio concluſiſſe, in qua reliquum vitae tempus precibus, ſacrarum rerum meditatione, ſanctisque colloquiis conſumerent: quod qui conſilium capiebant, capiebant autem ea aetate plurimi, *Recluſi* et *Recluſae* dici ſolebant. Hinc illis lux naſcetur, qui cauſſam quaerunt, propter quam *Recluſae* non raro *Beguinae* etiam vocantur, et in antiquis chartis et diplomatibus *Recluſi* et *Beguinae*, tamquam eiusdem generis et inſtituti homines, interdum ſociantur. Quae ad ſanctimonialium ſocietatem quamdam ex ſororibus Argentinenſibus proficiſcebantur, illis argenti nonnihil, *quinque librae*, ex aerario domus numerabatur, idcirco ſine dubio, vt dotem, quam nominant, ſoluere poſſent, clauſtro, cui ſe deuouerant, pendendam. Quae pecunia quum ſine diſcrimine omnibus aſſignetur ad vitam, quam *regularem* vulgo nuncupant, ſeſe conferentibus, in eam inducor opinionem, Argentinenſes *Beguinas* omnia bona ſua, nulla re excepta, ſocietati ſub ingreſſum tradere et omni poteſtate

in ea, siue dominio, abdicare sese debuisse. Fortunarum enim suarum partem si sibi retinere, et pro lubitu administrare potuissent, veri simillimum est, futurum fuisse, vt non omnibus, sed pauperibus tantum, dos illa, quam claustra poscunt, promitteretur. Cui coniecturae virtutis aliquid ex eo, vt arbitror, accedit, quod sorores non *mobilia* tantum, verum etiam *immobilia*, id est, omne bonorum genus attulisse dicuntur. Siue hic opinio me fallat, siue non, id manifestum videtur esse, *Beguinas* Argentinenses propius, quam alias, ab illa viuendi ratione absuisse, quam virgines Deo per vota consecratae, sequuntur, atque omnia, quae vel possidebant, vel industria, labore, et haereditatis iure acquirebant, in communem contulisse thesaurum, vnde victus, vestimenta, et reliqua necessaria singulis suppeditabantur. Lex enim eas, quae anno tirocinii nondum expleto, exire collegio volebant, iubet primum singulos conuictus, quo vsae erant, menses quadraginta denariis redimere: ex quo conficitur, vni mensae communi sumtu instructae, sorores omnes accubuisse. Iubet easdem lex, si vel vestes, *vel alias necessitates acceperint*, pretium acceptorum reddere: ex quo colligi posse arbitror, et amictum, et reliqua vitae praesidia sororibus ex communi aerario data fuisse. Negat lex, de discedentium debitis detrahenda esse *seruitia, si quae facta sint in earum induitione.* Haec docent, potuisse quae ad sodalitatem accederent, etiam nondum initiatas, si quidem vellent, vestem *Beguinarum* sumere, neque ritum, quem barbare vocant, *induitionis* ad tirocinii finem semper dilatum fuisse. *Seruitia* vero, in hac caerimonia sororibus praestita, non video, quid esse possint, nisi epulas, quibus aduenientes excipere solebant socias: quae quidem conuiuia *Beguinae* nostrae obscurius, ne in suspicionem et inuidiam incurrant, indicant. Vetat denique lex abeuntes operum seu laborum suorum praemium a sororibus exigere: quod argumento est, certa sororibus pensa imperata fuisse, quorum fructus ad sodalitatem peruenerit. Sibi enim et ex arbitrio

ſuo ſi laboraſſent, quomodo laborum praemium poſcere potuiſſent? Haec vitae bonorumque communitas accendebat ſine dubio in ſororibus cupiditatem publicas opes ſuas amplificandi, quo ferendis ſumtibus, quos ea poſtulabat, pares eſſent, legemque illam in primis commemorabilem pariebat, per quam a ſodalitate omnes excluduntur, quae iure in bona parentum et cognatorum haereditatis lege ſuccedendi ſeſe priuauerant. *Nolumus, quod aliqua recipiatur, quin in bonis paternis, maternis, vel peculio aduentitio vel profectitio, vel alias in ſaeculari habitu exiſtens valeat ſuccedere ex quacumque cauſſa.* Haec ideo lex, quod euidens eſt, rogabatur, vt omnia, quae vel habebant iam, vel vllo modo ſperare poterant ſorores, in ſuam poteſtatem ſodalitas vindicaret. Quam ego peculii augendi auiditatem non poſtremam eſſe cauſſam exiſtimo grauis illius odii, quo multi in *Beguinas* ferebantur. Patiebantur ſorores Argentinenſes impuberes etiam puellas ſibi educandas et erudiendas tradi, nec repugnabant, ſi parentes et cognati veſtitu, inſtituto proprio, eas ornari cuperent: ſororum vero in numerum, niſi anno decimo quarto exacto, cooptari haud poterant. Poſtremo pro ſorore habebatur, quaecumque voluntatem inter *Beguinas* manendi profeſſa fuerat, tametſi amictum nondum ſodalitatis ſuſcepiſſet: lex enim bona puellarum mortuarum, *quae ad ſorores venerant*, id eſt, ordini ſororum adſcriptae erant, *nondum licet indutae* eſſent, collegio aſſerit. Igitur inter ritum velandi et veſtiendi *Beguinas*, et promiſſionem perſeuerantiae, ſeu ſtabilis inter *Beguinas* permanſionis, nonnihil temporis interiectum erat. Haec faciebat *Beguinas*, non item ille. Quae res coniecturam mihi mouet, certum quotannis tempus veſtiendis nouis ſororibus conſtitutum fuiſſe, et fieri propterea potuiſſe, vt quaedam ante illud in earum chorum admitterentur. Quae reliqua ſunt in hac lege, tantum habent lucis, vt interpretem haud deſiderent: nec multum ad illuſtrandas res *Beguinarum* faciunt.



CAPVT TERTIVM.

DE FRATRIBVS BEGHARDIS SEV BEGVINIS.

§. I.

Quum sororum *Beguinarum* ordo virtutis, modestiae ac pietatis laude floreret, plurimique per eum certissimam viam ad veram animi tranquillitatem, aeternamque salutem patere arbitrarentur, pii quidam et religiosi viri iuuenesque eamdem vitae formam amplecti constituerunt, atque certis in domibus precum, laborum et conuictus societatem inierunt. Hi, sumto a sororibus, quarum institutum imitabantur, vocabulo, fratres *Beguini*, siue *Beggehardi*, et *Beghardi* appellabantur. Vtrumque vocabulum saeculo decimo tertio et quarto, forte etiam nonnullis in locis, diutius valuit. In Gallia *Beguinorum* appellatio vsitatior erat: in Germania et Belgio, *Beghardorum* nomen crebrius adhibebatur. Paullatim vero saeculo decimo quinto *Beguinorum* vocabulum alteri cessit, et in vsu esse propemodum desiit. Belgae populari sermone ad nostram vsque aetatem *Bogardos* hos fratres salutant: quare schola Brugensis, quae in domo condita est, quam illi olim incoluerunt, *schola Bogardica* etiam hodie dicitur: de qua quidem AVBERT. MIRAEVS *) et ANTON. SANDERVS **) exposuerunt. Verum hoc plebeiae linguae vitium est. Omnibus enim in antiquis tabulis, litterisque Pontificum, *Beghardorum* nomine disertissime insigniuntur: et ipsi *Bogardorum* nomen permoleste ferunt. *Abusiue*, inquit GERARDVS ANTONINVS,

*) Operum diplomat. historicor. Tom. III. c. 168. p. 169.

**) Flandria illustrata, rerum Brugensium, Lib. IIII. c. XI. p. 265. f.

NVS, Minister seu potius Praefectus Beghardorum Antwerpiensium *), *et magno popularium errore Bogardi vocamur, cum nusquam in antiquis litteris nostris nomen illud legamus.* Caussa quidem, quae *Beghardos* mouet, vt ab hoc vocabulo tantopere abhorreant, parum probabilis est: repugnat illud sententiae, quam de suis fouent originibus. A sancta enim BEGGA, non secus ac sorores *Beguinae*, initia sua repetunt: cui opinioni nomen *Beghardus* fauet, *Bogardus* vero aduersatur. At in eo tamen minime falluntur, quod *Bogardorum* nomen vitiose sibi imponi disputant. In Gallia, LVDOVICI SANCTI tempore, quod alio loco iam ostendimus **), *Boni Valeti*, *Les bons enfans, Boni pueri*, nuncupabantur: quae appellatio, licet nec Belgis ignota prorsus fuerit, haud diuturna tamen fuit. IOH. NIEDERVS, decimi quinti saeculi scriptor, eosdem, qui *Beghardi* audiebant, *Solardorum* etiam nomen vulgo tulisse, auctor est. *Est quidam*, inquit ***), *de eadem secta perdita, qui hodie vt tigris se ostentat, vt bonos lateat. Nunc saeculares, nunc regulares, modo rusticorum, modo nobilium vestimenta fert, qui aliquando* BEGHARDVS *fuit, seu* SOLARDVS ****). Fugit me prorsus huius nominis ratio: et puto, magis illud ad vagos illos et errantes *Beghardos* pertinere, de quibus passim loquitur NIEDERVS, qui magna saepe flagitia pietatis larua tegebant, quam ad nostros *Beguinarum* imitatores, homines quietos, laboriosos, honestisque moribus studentes.

L 4 §. II.

*) In epistola ad IOS. GELDOLPH. RYCKELIVM, quam hic edidit in *vita S. Beggae*, p. 497.

**) Cap. I. §. X.

***) in *Formicario*, seu, vt index habet, *de visionibus*, Lib. III. cap. V. p. 348. ed. Helmstad. 1692. in 8.

****) Legitur in MS. margine: *scribe:* LOLHARDVS; idque ab ipso auctore inclusissimo appositum videtur.

§. II.

Mirifice praedicant, qui hodie apud Belgas superſunt *Beghardi*, nomine quidem, non inſtitutis et legibus, cum antiquis congruentes, ordinis ſui nobilitatem et vetuſtatem. Septimo enim ſaeculo natos ſeſe volunt, eamdemque perilluſtrem mulierem, quae *Beguinarum* parens vulgo habetur, S. BEGGAM ſuam quoque matrem eſſe, perhibent: quam idcirco patronae apud Deum loco collocarunt, et ſupplicationibus cultuque religioſo honorare ſolent. *S. Beggam*, ait GERHARDVS ANTONINVS *), *non ſolum patronam noſtram, verum etiam primaeuam inſtitutricem, immo fundatricem tenemus, cuius imaginem in diuerſis ſupplicationibus publice circumtulimus, et in naui templi per Octauam populo colendam ſub thenſa expoſuimus.* Neque deſunt omnino, qui hoc eis credant, aut ſe credere ſimulent: pauci quamuis ſint, nec ſpectatae auctoritatis, ſi cum illis conferantur, qui BEGGAM pugnant ſororum *Beguinarum* familiam condidiſſe. Ego vero, accuratiſſime licet omnia circumſpexerim, ante decimum tertium ſaeculum *Beghardicae* cuiusdam ſodalitatis nullum veſtigium indagare potui, certusque propterea ſum, non ante, quam auctis iam, et florentibus *Beguinarum* rebus, extitiſſe viros et iuuenes, quos deſiderium eas aemulandi cepit. Neque in hanc me ſententiam veterum librorum et chartarum ſilentium tantum inducit, quod alioquin minime contemnendum eſt, ſed aperta quoque et maximae fidei teſtimonia. Ipſorum primum *Beghardorum* antiquis annalibus et codicibus omnia in hac cauſſa tribuenda eſſe, nemo negat. Atqui hos qui conſuluit, et inſpexit IO. BAPT. GRAMAYVS, grauis auctor et locuples, idemque *Beghardis* fauens, ſcriptum ſe in illis reperiſſe teſtatur, A. 1215. fundamenta ſodalitatis *Beghardicae* iacta eſſe. *Ceterum*, ait **), *cum Bogar-*

*) Epiſtola ad Ryckelium in vita S. Beggae, p. 495.

**) in Antiquitatibus Brabanticis, in Bruxella, p. 31.

Bogardi, (sic eos ex vulgari consuetudine nominat,) *nomen a Begga, Ducissa Brabantiae, et ab ea originem sibi esse velint, tamen codices eorum initia referunt in Annum 1215. cum, opinor, primum tertiam S. Francisci regulam assumserunt, sub qua probati sunt a Nicolao IIII. Gregorio XI. et aliis Pontificibus.* Medius veluti pendet vir eruditus inter veri studium et inuidiae metum. Illud veri studium non patiebatur, eum diffiteri, quod in *Beghardorum* vetustis annalibus et libris legerat, A. 1215. primum *Beghardorum* sodalitatem coiuisse: hic, metum puto fratres *Beghardos* offendendi, qui nobilem illum, et antiquum a S. BEGGA ortum princeps et postremum gentis suae decus esse arbitrantur, nec potentiae et auctoritatis inopes sunt in Belgio, haec, inquam, formido impellebat eum, vt se suspicari fingeret, quae annales de anno conditi ordinis referunt, de anno susceptae tertiae S. FRANCISCI regulae accipienda esse. Quae quam futilis et litteratissimo viro indigna sit coniectura, hoc vnum satis docet, quod tertia S. FRANCISCI regula eo anno nondum extabat, quo ipse *Beghardos* eam adoptasse putat: nec enim inter rerum Franciscanarum scriptores vllus est, qui eam ante A. 1221. in litteras esse relatam, censeat. Sodalitates, quae tertiae huic regulae parent, et *Tertiariae* vulgo nominantur, multo etiam iuniores sunt, et declinante demum decimo tertio saeculo coaluerunt. Ad testimonium, ex ipsis *Beghardorum* libris antiquis sumtum, quod omni ego exceptione maius duxerim, accedunt bina virorum, ex decimo tertio saeculo valde celebrium. Alterum MATTHAEI PARIS, qui *Beguinorum* seu *Beghardorum* exordium ad suam aetatem, ad medium saeculum decimum tertium refert. *Eisdem*, ait *), *temporibus quidam, in Alemannia praecipue, se asserentes religiosos in vtroque sexu, — — — habitum reli-*

*) Historia maiori ad A. 1250. p. 540. edit. Wilh. Watts.

religionis, sed leuem, susceperunt, continentiam et vitae simplicitatem priuato voto profitentes, sub nullius tamen Sancti regula coarctati, nec adhuc vllo claustro contenti. Haec tametsi MATTHAEVS in historia A. 1243. narrat, non eo tamen anno, sed circa illum, aut non nimis diu ante illum contigisse, alterum testimonium, ab ipso hoc MATTHAEO exhibitum, omnem extra dubitationem collocat. Profert nempe MATTHAEVS epistolam YVONIS, sacerdotis ex Gallia Narbonensi ad GIRALDVM, Archiepiscopum Burdegalensem, A. 1243. datam, in qua is se in itinere suo Neostadii in Austria apud *Beghinos* diuersatum esse, memorat *): *Carinthiam pertransiui soliuagus, ac deinde in quodam oppido Austriae, quod Teutonice Neustadt dicitur, id est, noua ciuitas, inter quosdam nouos religiosos, qui* BEGVINI *vocantur, hospitabar.* His ex verbis primum apparet, ante decimum tertium saeculum nullos extitisse *Beghardos:* medio enim, quo YVO scribebat, hoc saeculo *noui* adhuc erant. Ex iisdem efficitur, citius in Germania eos, quam in Gallia, ortos esse. YVO enim, Gallus, qui paucos ante annos patriam suam reliquerat, de illis, tamquam de genere, et sibi, et Archiepiscopo, quem compellabat, antea incognito loquitur: quod argumento est, in Gallia nullos *Beghardos*, YVONE ex ea migrante, commoratos esse. Porro quum in extrema Germaniae ora, in Austria, iam A. 1243. *Beghardi* non modo vixerint, verum etiam domicilium stabile habuerint, quos aut in media Germania circa Rhenum, aut in Belgio, natos esse constat; patet, sectam hanc modico temporis spatio in diuersas vrbes ac regiones propagatam fuisse. Denique ostendit hic locus, *Beguinos* ab ipsis initiis suis, non aliter ac sorores *Beguinas*, hospites et aduenas liberaliter excepisse, et caritatis Christianae officiis honestasse. Si qua vis est in his testi-

*) MATTH. PARIS, l. c. ad A. 1243. p. 539.

testimoniis, magnam autem esse in illis reor, non audiendi sunt, qui *Beghardorum* origines ad saecula tertio decimo priora euehunt. De vocabulo non disputo: forte id ante hoc saeculum tributum fuit nonnumquam hominibus pietatis specie supra alios sese efferentibus: de fratribus quaeritur, eadem, qua *Beguinae*, lege viuentibus, et laborum, precum, officiorum societatem colentibus. Sed obtulerunt mihi tamen sese in hanc rem sedulo inquirenti nonnulla, quae sententiae meae resistere videntur: de quibus, antequam pergam, ne parum cautos turbent, dicendum mihi est.

§. III.

Tria sunt, omnia ex duodecimo saeculo sumta. Primum, iam A. 1120. Louanii feruntur *Beghardi* collegium instituisse: deinde, A. 1128. *Beghardi* Antwerpiae sedem sibi fixisse perhibentur: postremo, iam A. 1176. Magalonae in Gallia *Beguini* errorum conuicti et condemnati dicuntur. Quae si certa et firma forent, ortus *Beghardorum* ad duodecimum saltim saeculum ex decimo tertio transferendus esset. Louaniensium *Beghardorum* principium idem ille GRAMAYUS, vir vnus omnium Belgicae antiquitatis consultissimus, quem paullo ante testati sumus, his verbis explicat *): *Beggardi a Pipini Ducis vxore* (S. Beggam intellige) *et nomen et originem referentes, Laici et fere textores, fuerunt Louanii ab A. 1120. propria quidem quadra, mensa tamen communi et regula viuentes sub Ministri vnius obedientia, nuncupati Fratres de poenitentia — — — Qui licet tertiam Francisci regulam assumserint, tamen vsque ad Ducissae Margarethae aeuum sacris non initiati fuerunt. Nouissime Benedicti habitum et institutum amplexi sunt.* Credibile vix est, haec eum scripsisse, qui ex ipsis *Beghardorum* libris constare alio loco

*) Antiquitt. Belgicis, in Louanio, p. 17.

loco confirmat, nullos ante A. 1215. *Begardos* exstitisse. Quae conclusio, aut numerum vitiose descriptum esse, atque in locum eius A. 1220. substitui debere, aut virum eruditum sine causa, sive memoriae errore lapsum esse. Et quid coniecturis opus est? Sine dubio aut operae peccarunt in hoc loco, aut scriptor. Nec GRAMAYVS, nec alius quisquam negat, *Beguinas* Lovanii ante *Begardos* fuisse: et nullam ego urbem indicari posse arbitror, in qua *Begardi* ante *Beguinas* consederint. Atqui *Beguinas* A. 1205. demum Lovanium venisse, et *curiam*, quae *maior* vocatur, condidisse, et ipse GRAMAYVS *), et omnes praeter eum Lovaniensium rerum scriptores memoriae prodiderunt. Qui ergo centum fere annis antea, A. 1120. *Begardos* iam Lovanii domicilium habuisse, credi potest? Antverpiensium *Begardorum* antiquitas aeque facile destruitur. Qui eos A. 1128. societatis suae fundamenta iecisse perhibent, veterem testantur tabulam, in templo *Begardorum* Antverpiensi pendentem, cuius inscriptio Belgico sermone exarata tradit, teste IOS. GELDOLPHO RYCKELIO **): *A. 1128. viros aliquot religiosos suam originem et nomen a S. Begga sortitos, extra castrum Antverpiense comparato sibi loco, simul vivere coepisse, A. 1290. in festo S. Catharinae eos tertiam Francisci regulam assumsisse, A. 1455. in communi vivere coepisse, A. 1468. habitum monasticum cepisse, et textrinam deseruisse.* Ex hac tabula omnes sapiunt, etsi ipsi non dissimulant, qui de Antverpiensium *Begardorum* origine scriptum aliquid reliquerunt: in quibus GRAMAYVS est, cuius ipsa verba non unam propter causam adscribere placet ***). *Bogardorum, sive, ut se ipsi vocant, Beggardorum*, (*qui Laici olim et*

*) Antiquit. Belgic. in Lovanio, p. 18.

**) In vita S. Beggae, p.

***) Antverpiae, Lib. II. c. VI. p. 15.

et fere textores erant) *collegium ab A. 1128. et aeuo Godefridi Barbati Ducis fuisse, indicat vetus ibidem tabula. Cumque fratres de poenitentia Iesu Christi vocarentur, et exleges viuerent, A. 1460. statuta quaedam communis vitae, et 1468. tertiam Francisci regulam cum veste Monachali receperunt, Nicolao V. iubente. Templum eorum A. 1477. d. 13. Iulii dedicatum.* Liceret mihi vel fidem, vel diligentiam virorum doctorum in dubium vocare: nec enim in omnibus consentiunt. Sed omittam hoc, et sic scriptum legi in tabula illa, vti perhibent, existimabo, A. 1128. Antwerpienses *Beghardos* sodalitatem suam condidisse. Restat, vt quaeramus, num tanta tabulae huius dignitas et auctoritas sit, vt, quae refert, certissima putari debeant? Ego quidem haud magni eam fecerim, neque dubito, auctorem inscriptionis antiquiora, quam fas erat, primordia fratribus suis tribuisse. Primum recentior est, quam vt de rebus duodecimo saeculo gestis firmiter testari possit: in historia enim *Beghardorum* quum ad A. 1468. descendat, ipsa significat, declinante iam saeculo decimo quinto parentem suum vixisse. Grauissimi deinde scriptores fidem eius euertunt, atque A. 1228. demum *Beghardos* Antwerpiam venisse confirmant. Instar omnium esse possunt Benedictinae familiae Monachi, *Galliae Christianae* auctores, qui summo studio religiosarum sodalitatum in Gallia origines inuestigarunt. *Bogardorum*, inquiunt *), *vnicum monasterium est Antwerpiae. Hi ab A. 1228. vrbem ingressi, vitam texendo tolerabant, nullis certis legibus obnoxii: sed A. 1291. tertiam S. Francisci regulam professi sunt.* His iunge omnes tertii ordinis Franciscani, cui hodie adscripti sunt Antwerpienses *Beghardi*, historicos, quos nemo suspicabitur vel hac in re fallere voluisse, vel falli potuisse, homines videlicet, honoris sectae suae amantissimos, et omnibus ad

*) Galliae Christianae, Tom. V. p. 125.

ad hiſtoriam eius conſcribendam praeſidiis inſtructos. Tractauit eos HIPPOL. HELYOT, ex illisque refert, non ante A. 1228. *Beghardos* Antwerpiae domicilium ſibi paraſſe *). Addit idem ex iisdem ſcriptoribus, eos S. BEGGAM ſibi Diuam tutelarem elegiſſe, eamque ob cauſſam *Begghardos* appellatos eſſe: quod, tametſi falſum eſt, hoc tamen demonſtrat, inter ipſos *Beghardorum* ſocios et amicos paucos tantum eſſe, qui aſſentiri velint illis, quae de ſuarum originum antiquitate narrare ſolent. Quae de *Beguinis* poſtremo Magalonae in Gallia iam A. 1176. errorum conuictis et condemnatis traduntur, paucis expediri poſſunt. Benedictini ſodales, qui *Galliam Chriſtianam* curis ſuis illuſtrant, ſine teſte et auctore referunt **), IOHANNEM II. ſacrorum Magalonenſium antiſtitem, *Petrum* quemdam *Beguinum*, cum aſſeclis ſuis, impiorum dogmatum nomine, in concilio, anno illo, quem diximus, coacto, damnaſſe. Verum hoc eſſe, non dubito: nego vero, ex eo cogi poſſe, Magalonae iam tum tales extitiſſe *Beghardos* aut *Beguinos*, quales noſtri ſunt, *Beguinarum* nempe fratres et aemuli. Forte nomen *Beguinus*, quod *Petrus* ille geſſit, gentilitium erat: et fuit olim in illis Galliae partibus non ignobilis *Beguinorum* aut *Bequinorum* familia. Forte, quod iam alio loco ſuſpicati ſumus, nomen hoc, quod ampliſſimae quondam poteſtatis erat, hominem deſignat, prauas ſententias pietatis vmbra ornantem.

§. IIII.

Teneamus igitur hoc tamquam minime dubium, ſaeculo decimo tertio *Beghardorum* principia non eſſe antiquiora, ſecundamque *Beguinarum* fortunam et exiſti-

*) Hiſtoire des Ordres Monaſtiques religieux et militaires. Tom. VII. p. 248.

**) Gall. Chriſtianae, Tom. V. p. 755.

istimationem tantum apud viros quosdam, iuuenesque ordinis et pietatis studiosos, valuisse, vt ad earum sese rationem et exemplum componere vellent. Primos instituti auctores, patriam eius, annum, progressum, silent annales et monumenta vetera, quae adhuc in lucem prolata sunt. Id vero compertum habemus, nouo adhuc, seu ineunte saeculo, quod diximus, aut in Germania Rhenana, aut in Belgio, illud florere coepisse, atque mediocri temporis spatio per plures vrbes et prouincias Germaniae, Belgii et Galliae manasse, vt solent opinione citius crescere, et propagari, quae virtutis et honestatis specie quadam praedita sunt. Germaniae, Belgii et Galliae limites num transierit, ignoro: immo dubito, quum nullum in tot scriptoribus eius rei vestigium deprehenderim. Nec multas Gallia et Germania huius generis sodalitates aluisse videntur: perpaucarum saltim notitia ad nos peruenit. Atque has ipsas non diu durasse, sed vel extinctas prorsus esse, vel ad alias religiosas familias translatas, arbitror, quia parca earum in decimi quarti saeculi monumentis memoria occurrit. Qui enim hoc et sequenti saeculo inter Germanos, Heluetos et alios populos *Beghardi* nominantur, illorum plerique toto genere a nostris, id est, a *Beguinarum* fratribus et aemulis, discrepant. In Gallia et alias, multum illis sine dubio detrimenti attulerunt celebres Franciscanorum cum Iohanne XXII. Pontifice Maximo, lites, quibus non pauci eorum fato quodam implicari sese passi sunt. Nusquam laetioribus et magis prosperis rebus vsi sunt *Beghardi*, quam in prouinciis Belgicis: in quibus non modo plurima domicilia, eademque amplissima et opulenta mediocri temporis spatio nacti sunt, verum etiam infinitas inter vicissitudines et casus ad nostram aetatem, magnam veterum bonorum suorum partem retinuerunt, formam licet viuendi a pristina multis rebus diuersam amplecti debuerint. Principatum temporis inter collegia eorum Belgica, tenet Louaniense: nullum certe hoc anti-

antiquius, quod sciam, memoratur. Incidit ortus eius in A. 1220. nec hodie prorsus esse desiit, socii licet eius a *Beghardorum* instituto defecerint, et ad Benedictinam familiam transierint *). Proximum huic est Antwerpiense, quod, sicuti paullo ante ostendimus, A. 1228. coepit, et adhuc saluum superest **). Seruant fratres sancte antiquum nomen suum, quod gloriae et nobilitatis suae insigne putant esse, mores vero mutarunt, postquam tertiam S. FRANCISCI regulam adsciuerunt. Medio fere saeculo, vt coniicio, certe post annum 1234. Gandauum *Beghardi* venerunt, atque domicilium sibi non longe a domo Franciscanorum sodalium, quorum gubernationi se commisisse videntur, compararunt: in quo quum per complures annos ex lege sectae suae vixissent, textrinam exercentes, sub Iohanne Diuionensi, quod ANTON. SANDERVS ***), et IO. BAPT. GRAMAYVS ****) tradunt, tertiam S. FRANCISCI regulam imponi sibi passi sunt. Hodie nihil eorum, praeter memoriam, restat. Pontificiis enim legibus quoniam obedire, et Zepperensis sodalitatis, quam paullo post commemorabimus, normam sequi nolebant, exstirpati sunt. Brugis bina *Beghardorum* collegia hoc saeculo condita fuerunt, maius et minus: de anno nihil memoriae proditum reperi. Inter prima vero et antiquissima collocari ea debere, ex eo intelligere mihi videor, quod *maior Conuentus* A. 1290. iam ad eam peruenerat amplitudinem et opulentiam, vt ipse proprium sibi sacellum exstruere, et sacerdotem, qui sacrum in eo faceret, suo sumtu alere posset. Diploma, quo *Praepositus et Capitulum B. Mariae in Brugis* fratribus facultatem con-

*) IOH. BAPT. GRAMAYE Antiquitt. Belgicae in Louanio, p. 17.

**) RYCKELII vita S. Beggae p. 625. HELYOT histoire des Ordres, Tom. VII. p. 248.

***) Flandriae illustratae Lib. III. c. XVI. p. 136.

****) in Antiquitt. Flandriae, et quidem in Gandauo, p. 22.

concedunt aediculam illam aedificandi, et ei sacerdotem certa lege praeficiendi, AVBERTVS MIRAEVS vulgauit *). Ex quo quidem cum alia scitu non inutilia cognoscuntur, tum hoc in primis apparet, praefectum societatis *Magistri* nomen gessisse, collegioque agros, certosque reditus fuisse. Sacerdotis vero illius seu *Capellani*, vti nominatur, potestas non tam late patebat, quemadmodum eorum, qui rem sacram apud *Beguinas* administrabant. Salua enim et intacta relinqui volebat *Capitulum S. Mariae* iura *Parochi* sui: quare *Beghardi* publicis caerimoniis in templo S. Mariae interesse, atque in eodem peccata confiteri debebant. Neque vel *Missa* omnibus apud eos horis celebrari, vel sermo omnibus diebus recitari poterat, verum iis tantum horis et diebus, quibus in templo S. Mariae publicus Dei cultus cessabat. Hunc ergo vnum fratres ex sacerdote suo capiebant fructum, quod eo etiam tempore religioni operam dare in domestico sacello suo poterant, quo templi, cui alligati erant, sacerdotes ab officiis publicis quiescebant. Initia et progressum Brugensis huius *Beghardorum* collegii DAMHOUDERII, celebris Iureconsulti, verbis, vti apud ANTON. SANDERVM extant **), explicare placet, quia ex hoc vno prima veluti aetas et adolescentia omnium eiusmodi sodalitatum cognosci potest. *Fuerunt*, inquit is, quem dixi, *annis abhinc trecentis, tredecim textores, viri caelibes, laici, pietatis studio religiosi, et in fraternitatis amore viuendi percupidi, qui ab Abbate Eckhutano fundum quemdam cum amplis, commodisque aedibus iuxta moenia tunc situm, sex annuis libris grossorum, cum certa cerae et piperis oblatione, sibi compararunt. In quibus mox suam textoriam exercere, et ex communibus laboribus simul conuiuere coepe-*

*) Operum Diplomat. Historicor. Tom. III. c. 168. p. 145.

**) Rerum Brugensium, Lib. IIII. c. XI. p. 265.

coeperunt, non quidem sub stricta seueritate, aut vllis votis obuincti, sed tantum simili habitu, similique colore subfusco amicti, in Christiana libertate ac in fraternitate, pia quadam societate coniuncti morabantur. Cuius caussa statim auspicatum charitatis nomen (fratres textorum) *sortiti sunt. Postea vero — — — dici coeperunt* BONI PVERI BOGARDICI. Verissima haec omnia, si id forte exceperis, quod postremo de nominibus *Beghardorum* refert. Hoc quidem facile crediderim, eos primum *Fratres textores* appellatos esse: at, quod additur, eos *Bonos pueros Bogardicos* deinde vocatos esse, id difficilius recipio. Nomen *bonorum puerorum, Valetorum, infantium* (quae tria vocabula paris sunt significationis) tributum illis fuisse, certissimum, et alio loco iam demonstratum est: nec de *Bogardorum* appellatione dubitationis aliquid nasci potest. Sed bina ista nomina ita vmquam fuisse coniuncta, vti hic sociantur, siue *Beghardus*, seu *Bogardus*, adiectiui, vt Grammatici loquuntur, nominis locum sustinuisse, atque cum vocabulo *puer*, aut *puer bonus*, copulatum fuisse, non omni modo auctoritate et exemplis caret, verum etiam ab indole et notione vocabuli abhorrere videtur. Personae enim semper vocabulum est, non vero qualitatem tantum, aut proprietatem personae exprimit. Quare disiungenda esse arbitror, quae male coniunxit Iureconsultus, atque dicere eum debuisse iudicandum, illos *fratres textorum* ab aliis postea *Bonos Pueros*, quod Galli solebant, ab aliis *Beghardos*, aut, vt populus male pronuntiat, *Bogardos*, nominatos esse. Per bina, et forte diutius, saecula *Brugenses Beghardi* primum institutum suum tenuerunt: quum vero vniuersos fratres suos ab eo desciuisse, et tam securitatis, quam existimationis caussa, tertiae S. FRANCISCI regulae nomen dedisse animaduerterent; ipsi quoque, Basileensis concilii tempore, A. 1450. precibus a NICOLAO V. Pontifice Maximo, contenderunt, vt hoc sibi exemplum sequi liceret. Quod

quum

quum ab eo facile obtinuissent, opificium suum, artem texendi, dimiserunt, et mutatis vitae rationibus, in ditionem supremi Franciscanae familiae praefecti transierunt, *Beghardorum* tamen nomine, iuribusque nonnullis, pristino instituto suo propriis, retentis. Pessime vero ferebant otium, quod Pontifex ipsis fecerat, et praecipites in omnis generis flagitia et facinora ruebant: quare Senatus Brugensis A. 1513. pium quemdam virum, sartorem, eis praeficiebat, qui scholam pauperum statim aperuit, et alia laudabilia constituit. Paullo post pestis collegium inuasit, et omnes fratres consumsit. Quibus extinctis, Senatus scholam in eorum domo condidit, quae ad nostram aetatem floret, scholaque *Bogardorum*, seu *Bogardica* nuncupatur. Educantur in ea plus quam centum et quinquaginta iuuenes, et partim artes discunt vitae humanae vtiles, et necessarias, partim, si valeant ingenio, diuinarum humanarumque litterarum cognitione imbuuntur *). A. 1283. Arschoti, quod Brabantiae oppidum est, *Beghardorum* collegium partim priuatorum quorumdam liberalitate, partim publico sumtu, institutum est: cuius tamen socii non nimis diu statum suum tenuerunt, sed post quadraginta annos, A. 1323. ad tertiam S. FRANCISCI regulam sese transtulerunt **). Qui hanc Arschotanam sodalitatem indicat GRAMAYVS, idem alias in Belgio quondam passim collocatas memorat, *Thenensem*, quam *a tenuibus initiis* coepisse, et paullatim creuisse, hodie sublatam esse tradit ***): *Diestensem*, cuius domicilium *haereticorum furore euersum esse* perhibet ****), et alias quas-

M 2 dam.

*) AVB. MIRAEI Opp. Diplom. Historica, Tom. III. p. 146. ANTON. SANDERVS Flandriae illustratae, Tom. I. p. 265. IO. BAPT. GRAMAYE Antiquitt. Belgic. in Bruga, P. IIII. c. XIII. p. 108.

**) IO. BAPT. GRAMAYE, Antiqq. Belgicae, in Arschoto, p. 54.

***) l. c. in Thenis, p. 42.

****) l. c. in Diesta, p. 68.

dam. Verum annos non indicat, in quos exordia eorum cadunt. *Dendermondae* olim *Beghardis* non ignobilem fuisse aedem, quae tamen iamdudum aliis incolis tradita est, ANTON. SANDERVS auctor est *): qui etiam annum, quo extructa est, omittit. Veri tamen simillimum arbitror, has omnes societates decimo tertio saeculo, quo recens erat et idcirco feruidus sectae huius amor, ingensque populi erga eam voluntas, institutas esse. Declinante hoc saeculo, quum *Beghardorum* multi, alii quidem vt in otio partis opibus frui possent, alii vt insidias hostium effugerent, alii denique vt plus auctoritatis acquirerent, Franciscanae familiae sese illigarent, haud parum iam de publico eorum honore detrahebatur: eum enim honorem magna ex parte industriae suae et assiduis laboribus debebant, quibus, post susceptam tertiam FRANCISCI regulam, plerumque nuntium mittebant. Multo etiam plus veteris gloriae suae perdebant decimo quarto saeculo ineunte, latis primum in vagos et errantes *Beghardos* legibus, quibuscum nostri propter nominis similitudinem confundebantur, exortis deinde Franciscanorum rigidiorum cum IOHANNE XXII. certaminibus, in quae multi eorum sese immittebant. Quocirca post decimum tertium saeculum valde rara sunt exempla *collegiorum Beghardicorum* conditorum. Obtulerunt mihi sese duo in Brabantia: alterum Leoniae, quod IO. BAPT. GRAMAYVS A. 1327. coaluisse refert **): alterum Bruxellae, quod idem vir eruditus A. 1330. a pannificum ordine inchoatum, et A. 1359. *Tertiariis*, qui vocantur, Franciscanis adiunctum esse, testatur ***). Plura inuestigare nullo modo potui. Non ignoro, Tertii ordinis Franciscani sodalitates plures hoc saeculo in Belgio creatas esse, easdemque *Beghardorum* adoptasse voca-

bu-

*) Flandriae illustratae Tom. II. p. 599. Colon. 1644. fol.

**) Antiqq. Belgicae, in Leonia, p. 45. b.

***) ib. in Bruxella, p. 6.

bulum: inter alias celebrem illam in Leodiensi tractu Zepperensem, quae *Beghardicarum* omnium in Belgio caput est hodie. Verum hae quoniam nihil, si a nomine discedas, commune cum germanis et veris *Beghardis* habent, idque sibi nomen dignitatis et honoris caussa tantum arrogauerunt, vt S. BEGGAE progenies populo videantur: perspicuum est, inter *Beghardorum* eas collegia nullo iure referri posse. Itaque constituendum esse censeo, haud diutius sesquisaeculo familiam illam, cui proprie *Beghardorum* vocabulum conuenit, durasse. Coepit oriente decimo tertio saeculo: occidit medio saeculo decimo quarto elapso: quo quidem tempore vniuersum agmen pristinam viuendi rationem deseruerat, et cum Franciscanis mitioribus sese coniunxerat.

§. V.

Beguinas qui nouit, is etiam, qualem vitae modum tenuerint *Beghardi*, priusquam ad Franciscanos tertiae regulae transirent, non ignorat. Hos enim exemplar vitae, morumque ab illis sumsisse, ac pro sociis fratribusque *Beguinarum*, ex communi stirpe prognatis, haberi voluisse, testatissimum est. Et tanta fuit quondam plurimis in locis necessitudo *Beghardos* inter et *Beguinas*, quod alias iam animaduertimus, vt hae illorum gubernationi et consiliis sese subiicere non dubitarent. Igitur domus *Beghardorum* certum quemdam numerum virorum caelibum omnis aetatis complectebatur, qui fraternae societatis vinculo colligati, arti omnes textoriae operam dabant, vni mensae accumbebant, certisque horis ad preces et lectionem piorum librorum conueniebant. Praeerat vnus vniuersae familiae, fratrum suffragiis creatus, qui *Ministri* nomine plerumque, modestiae caussa, ornabatur: quamquam nonnullis in locis, vt *Brugis*, *Magister* vocari etiam solebat. Huic omnes tantum promittebant obedientiae, quantum societatis salus et honos poscebat: non plenam et absolutam. Ma-

gnam enim libertatis suae partem, non secus, ac *Beguinae*, *Beghardi* sibi integram seruabant: neque impedire eos aliquid poterat, si forte cupido illis nasceretur sodalitatem relinquendi, et aliam viuendi rationem eligendi. Socium administrationis et gubernationis ex fratribus *Ministro* datum fuisse, credibile est: alios vero extra collegium graues et honoratos viros siue patronos, siue consultores, num sibi etiam adsciuerint sodales, non satis explorate cognitum est, quum nulla adhuc *Beghardorum* regula publicata sit. Supremus legum custos *episcopus* fuisse videtur prouinciae, in qua residebant, qui sine dubio vices suas cuidam ex *Canonicis*, aut aliis sacri ordinis viris committebat: atque is lites etiam, si quae in domo ipsa oriebantur, cognoscebat et dirimebat. Extra domicilium vero quae ab aliis illis mouebantur controuersiae, eas praetor terminabat, seu iudex ordinarius: cuius forum declinare non poterant, quoniam neque sacerdotes erant, neque Monachi, sed ciues tantum, qui consentiente magistratu in collegium coiuerant, quo Deum sanctius et religiosius colere, et officia quaedam pietatis commodius obire possent. Hinc textores, lanifici et alii, qui nonnumquam, vt Gandaui et aliis locis, per *Beghardorum* multitudinem et assiduos labores quaestum suum diminui moleste ferebant, magistratus opem et iustitiam implorabant: qui diligentiam *Beghardorum* legibus coarctabat, et certis conuentionibus inter eos et opificum collegia conditis, paci rei publicae, ciuiumque familiam alentium necessitati consulebat. Vestitus idem erat omnibus, honestus quidem et decens; at plebeius et ex panno rudiori confectus, quem ipsi parabant sine dubio et texebant. Colorem vestimentorum singulae sibi sodalitates pro lubitu deligebant, aliae subfuscum, aliae atrum, aliae cinericium, omnes vero modestum et splendoris expertem. IOHANNES XXII. lege sub initium saeculi decimi quarti lata, quae nondum prodiit, at a FRANC. ZYPAEO memoratur,

tur *), episcopis facultatem dabat, colorem vestium, quem vellent, ipsis imperandi. Quum vero eodem saeculo, A. 1346. septendecim *Beghardorum* in Belgio societates, Pontificis permissu, paruam quandam ciuitatem instituerent **), hoc inter alia sanciebant, cinericii coloris seu *grysei*, quod aiunt, vestimentis omnes ciues vti debere. Approbabat hoc decretum Pontifex: postea vero NICOLAVS V. iisdem litteris, quibus totam sectam tertiam S. FRANCISCI regulam sequi iubebat, A. 1453. 18. Cal. Mart. exaratis, illum amictus colorem ei praescribebat. Si, quod minime dubito, *Beghardi* mandato huic paruerunt, paullatim tamen ab eo defecerunt, atque, incertum quo tempore, quibusque auctoribus, nigra omnes vestimenta sumserunt. Superiori saeculo praefectus totius familiae ad veterem eos morem reuocare, nigrisque vestibus abrogatis, NICOLAI V. praecepto auctoritatem suam restituere conabatur. Sed repugnabant fratres voluntati eius, et celeberrimum illum Iuris Pontificii doctorem, FRANCISCVM ZYPAEVM, in consilium vocabant: qui secundum eos sententiam ferre, et Praefecto potestatem colorem vestium mutandi demere, nil dubitabat. Rationem iudicii sui hanc vnam affert, leuiorem fortassis, quam vt disertam Pontificis legem euertere valeat: capita familiarum religiosarum nihil illis praeter ea, quae regula sectae praecipit, imponere possunt. Quare vestis, quam receperunt *Beghardi*, quum nomina sua inter fratres profiterentur, detrahi nullo illis modo potest, nisi sponte illam exuere velint. Nulliusne ergo pretii est praeceptum NICOLAI V. quod cinericia gestare vestimenta fratres iubet? Maximi sine vlla controuersia. At mandatum illud, ait ZYPAEVS, *vel non receptum, vel vsu contrario abrogatum est.* Egregiam vero re-

 spon-

*) Consultat. Canonicar. l. III. Cons. 20. p. 208. T. I. opp.

**) GRAMAYE Antiqq. Belgic. in Bruxella, p. 31. ZYPAEVS loc. cit. p. 208.

ſponſionem, et iuris Pontificii vindice dignam! Quae ſi ſemel admiſſa fuerit, nulla erit Pontificum lex tam ſancta, quin omni virtute et auctoritate orbari facillime poſſit. Quando tandem ciuibus licuit, leges imperantium vel repudiare, aut non recipere, vel moribus contrariis tollere? Paullo honeſtior eſt et potentior altera ratio, qua NICOLAI V. mandatum iugulat. Quum Pontifex eam legem rogaret, *Beghardi* nondum homines erant religioſi, aut ſolemnibus votis conſtricti: tales eos demum NICOLAVS V. fecit. Quod *Beghardos* inferiori gradu poſitos ligabat, id eosdem non cogit in altiorem ſublatos. Vincebant his ZYPAEI rationibus *Beghardi*, et inuitiſſimo duce ſuo, qui candidiores cupiebat fratres, nigri manebant. De interiori ratione et gubernatione aedium, quas incolebant *Beghardi*, nihil litteris mandatum extat, et pauca tantum idcirco ex probabili coniectura dici poſſunt. Erant ſodalitati communia quaedam bona, praeter ipſam domum, et hortum illi contiguum, ex quorum fructibus ſuppeditabantur, quae publica ſalus, ſecuritas et commoditas requirebat. *Beguinarum* vulgo bona diſtribuebantur, quod ſupra vidimus, in bona *Infirmariae* et *eccleſiae*. Forte eadem apud *Beghardos* partitio recepta fuit. Sacellis eorum certos fuiſſe reditus aſſignatos, conſtat exemplo ſacelli Brugenſium fratrum, cuius origines et opes apud AVBERTVM MIRAEVM *) referuntur. Quumque hoſpites et aduenas ab illis etiam exceptos fuiſſe, Auſtriaci *Beguini*, quorum ex MATTHAEO PARIS ſupra meminimus, doceant, haud vane, vt opinor, coniicias, officio huic, fouendisque miſeris et aegrotis, portionem quamdam bonorum dicatam fuiſſe. Ceterum ſinguli rem quoque ſuam priuatam habebant, qua pro lubitu vtebantur: et quod cuique aut labore et induſtria, aut munificentia bonorum piorumque hominum, aut haereditate denique obueniebat, id ipſe tamquam ſuum, dum

*) Opp. Diplomat. Hiſtoric. Tom. III. p. 145.

dum in viuis erat, custodiebat et vsurpabat: a morientibus vero quae relinquebantur, ea sine dubio in communem collegii thesaurum inferebantur. Horum posterius haud facile quisquam in dubium reuocabit: prioris vero euidens testimonium extare mihi videtur in antiqua tabula, in templo *Beghardorum* Antwerpiensi pendente. Dicuntur in ea *Beghardi A.* 1455. *in communi viuere coepisse. Vita*, quam *communem* nominant, tollit dominia, flagitatque, vt omnibus ex aequo necessaria ex communi aerario praebeantur, nullusque sodalium rem sibi domesticam et propriam quaerat. Ante igitur annum 1455. quo hanc demum vitae formam adoptarunt *Beghardi*, rerum vnusquisque dominus erat, quas sibi vel parauerat, vel fortunae beneficio nactus erat. Eo vero anno iamdudum fratres hi primam suam viuendi legem deseruerant, et per Pontificum Romanorum decreta religiosis familiis additi erant: ex quo efficitur, eos, quamdiu non nomine tantum, sed reapse *Beghardi* fuerunt, communis vitae vbique prorsus nescios fuisse. Hoc dato, dandum etiam esse arbitror, quemlibet vestimenta, libros, lectum, et reliquam supellectilem suo sibi sumtu comparare debuisse, mensam vero ex collatis singulis forte mensibus, symbolis instructam fuisse. Quonam ritu adeuntes recepti, qua lege recedentes dimissi fuerint? num pueris instituendis et educandis, quemadmodum *Beguinae* puellis, operam dederint? num aegrotis et morientibus accersiti opem tulerint? alia item bene multa, ex illis, quae de rebus eorum litteris mandata extant, non satis luculenter expediri possunt. Verbum addam de sacerdotibus et sacellis eorum: quamquam ratio eorum iam supra tradita est, quum de Brugensibus *Beghardis* ageremus. *Beguinarum* templa, magna illorum iurium parte gaudebant, quibus templa praedita sunt, in quibus ordinarie certi coetus ad Deum colendum congregantur: earumque sacerdotes idcirco sacrum quotidie omnibus horis facere, peccatorum confessiones audire,

ſacram coenam celebrare, morientes ſacramentis, quae vocant, munire, conuentus ſacros, quum vellent, agere, mortuis iuſta perſoluere poterant: areae etiam templis illis adiunctae erant, in quibus defunctae ſorores ſolemni ritu humabantur. Tot commoditates *Beguinae* non tam virtutibus et meritis ſuis, quam fragilitati et leuitati debebant. Verebantur enim patroni earum, ne frequentes nimis et faciles peccandi occaſiones inuenirent, ſi rei diuinae cauſſa domiciliis ſuis quotidie exeundi, et templa publica, ſacerdotesque ordinarios adeundi facultatem haberent. *Beghardis*, quippe conſtantioribus et compoſitae plerumque mentis viris, multo minus imminere videbatur periculi. Quare publicis ſacris intereſſe, peccata ſacerdotibus ordinariis profiteri, iisdem animarum ſuarum tutelam, et corporum ſepeliendorum curam committere, omniaque illa officia obire iubebantur, quae reliqua coetus, in quo verſabantur, membra ſacrorum praefectis praeſtare debebant. Ac licet in maioribus eorum collegiis ſacella exſtruerentur, certisque ſacerdotibus traderentur, nulla tamen diuini cultus pars peragi poterat in illis, niſi diebus illis et horis, quibus nulla publica ſacra fiebant, ipſorumque ſacerdotum poteſtas peranguſtis finibus continebatur. *Oratoria* iſta ſacella tantum erant priuata, in quibus fratribus, ſtatis diebus et horis, Deum precari, et audiendis oratoris ſui ſermonibus animum ad pietatem accendere licebat. Neque antea maiorem aediculae illae dignitatem, et ſacerdotes eorum plus poteſtatis adepti ſunt, quam poſt immutatam prorſus auctoritate Pontificum, et inter religioſos greges receptam *Beghardorum* familiam: quo tempore quum ex ipſis fratribus quidam ſacerdotes crearentur, qui cunctis ordinis ſui officiis defungi poterant, et vniuerſum agmen *parochorum*, quos appellant, auctoritati ſubduceretur, neceſſe erat, vt templa eorum quoque eadem, quibus *Monachorum* aedes fruuntur, iura conſequerentur.

§. VI.

§. VI.

Persequor iam breuiter reliqua *Beghardorum* ad nostram vsque aetatem fata, quoniam reuertendi ad eos nullum mihi locum in sequentibus apertum iri sentio. *Beguinarum* familia, multis licet agitata casibus, et variis calamitatibus attrita, existere hodie perseuerat, et antiquis legibus suis seruire pergit: *Beghardorum* vero secta extincta et sublata est. Nomen adhuc viget: at vitae forma, cuius insigne hoc nomen est, interiit. Et qui hodie in Belgio *Beghardorum* vocabulo salutari volunt, tametsi in germanorum *Beghardorum* bona et domos successerint, laxiorem tamen S. FRANCISCI regulam, quae *tertia* nominari solet, sequuntur, et per nullam fere rem a reliquis tertiae regulae professoribus distinguuntur, quam per cultum, quem S. BEGGAE, a qua nomen suum temere deriuant, exhibent. Non diu fratres *Beghardi* primam integritatem suam immaculatam seruarunt. Multa eorum collegia simulatque Romanus Pontifex tertium S. FRANCISCI ordinem approbauerat, nomen ei dabant, non honoris tantum sui caussa, sed ideo potissimum, vt pericula sibi, partisque a se bonis minantia propulsarent. Nam quia institutum eorum suffragio supremi sacrorum antistitis carebat, episcoporum quidam illud disturbare, et ad alios vsus opes fratrum adhibere volebant: quorum cupiditatem haud melius sistere et euertere poterant, quam regulam adsciscendo, Pontificum auctoritate communitam, suisque moribus haud valde repugnantem. Scilicet generalia tantum officia quaedam illa regula praescribit, atque propterea cum diuersi generis rationibus et viuendi modis sociari commode potest. Exemplum hoc, occidente saeculo decimo tertio, et oriente decimo quarto, aliae *Beghardorum* sodalitates cupide imitabantur, quas noua pericula et graues iniuriae securitati suae consulere iubebant. Primum vtriusque sexus homines Germaniam, Belgium, Galliam, forte alias etiam prouin-

ciae

cias peragrabant, nouam, eamdemque abſtruſam pietatis formam praecipientes, et ſingularem ſanctimoniam ſermone, vultu, veſtitu, moribus et vitae habitu profitentes, qui vel ipſi *Beghardorum* ſibi nomen ſumebant, vel a plebe, quae in omnibus vocabulum illud ponere ſolebat perfectiorem vulgari pietatem affectantibus, accipiebant. Id genus quum non modo valde moleſtum eſſet populis, quorum ex donis ſaturari volebat, verum etiam ſublimis cuiusdam ſapientiae et ſanctae libertatis velo peſſima ſaepe flagitia et nefarias libidines ornaret; multis ſeuerisque conciliorum et epiſcoporum legibus proſcribebatur. Earum legum pondus noſtros etiam *Beghardos* premebat, ſiue quod familiaritatem cum damnatis *Beghardis*, a quibus valde tamen differebant, non prouide ſatis fugerent, ſiue quod communitas nominis incautos legum cuſtodes in errorem induceret. Paſſim enim domibus ſuis exturbabantur, et bona eorum, tamquam hominum infamiae nota inuſtorum, publicabantur. Poſt initia deinde conſequentis ſaeculi princeps Auenionenſium Pontificum, CLEMENS V. latas dudum ab epiſcopis Germaniae et Galliae in vagantes illos *Beghardos*, eorumque ſorores, *Beguinas*, ſententias in concilio Viennenſi, et poſt illud, confirmabat, turbamque illam tamquam portentoſis opinionibus pollutam, binis legibus radicitus exſtirpari iubebat. Quibus legibus Pontificiis promulgatis, vbique noſtrorum *Beghardorum*, *Beguinarum* quoque cum illis ſociatarum, calamitas augebatur, hoſtibus eorum ex CLEMENTIS decretis occaſionem capientibus, odio ſuo ſatis faciendi, et innocentes cum noxiis, obtentu nominis, vexandi. Succeſſor CLEMENTIS, IOHANNES XXII. nouas huic bello faces ſubiiciebat, quum in rebelles Franciſcanos, qui ſeueram conditoris ſui regulam mitigari a Pontifice nolebant, triſtiſſimam legem ferret. Et hos vulgus *Beghardos* ſeu *Beguinos*, amplisſimae poteſtatis vocabulo, nominare ſolebat: quo idcirco

nomi-

nomine, vsitatissimo nimirum, ipse Pontifex eos in edictis suis designabat. Stabant a partibus eorum praeterea multi tertiae regulae S. FRANCISCI sectatores, quibus vsus pariter *Beghardorum* et *Beguinorum* appellationem, quod alias vidimus, imposuerat: immo nostrorum *Beghardorum* aliqui ad sententiam eorum propendebant. Quare qui iam antea tot miseros *Beghardos* iniuriis affecerant, eosdem instauratis quasi viribus, vt Pontificis aduersarios, et ecclesiae turbatores, adgrediebantur. Hac in tempestate omnia *Beghardorum* in Gallia et Germania sodalitia destructa, opesque distractae sunt; sola collegia Belgica, summorum quippe imperantium beneficiis et praesidiis cincta, et extra partes posita, eam euadebant. Quaedam in Heluetiam remotioresque prouincias diffugiebant: reliqua fere omnia, quo inimicorum furorem cohiberent, in tertiam S. FRANCISCI regulam iurabant. Salutare hoc videbatur consilium: verum animos praeter modum commotos non prorsus placabat. Igitur et ipsi, et noui eorum sodales, Franciscani nimirum, IOHANNIS XXII. patrocinium implorabant: atque is epistola A. 1319. d. 7. Martii edita *), placere sibi significabat, vt *Beghardorum* illi, qui tertiam S. FRANCISCI regulam amplexi essent, ex eorum, quos CLEMENS V. condemnauerat, numero eximerentur, et sine omni metu et periculo vitam ducere iuberentur. Haec bonae voluntatis Pontificis erga *Beghardos* significatio inducebat statim Leodienses antistites, quorum ditioni plerique subiecti erant, vt benignissimos eis sese praeberent, litterisque publicis non modo omnem vel improbitatis, vel errorum suspicionem ab illis depellerent, verum etiam facultatem, praefectum sibi creandi, illis concederent. Ex hoc tempore non omnis quidem calamitatis et iniuriae expertes, at multo tamen, quam antea, securius vivebant

*) HELYOT Histoire des Ordres, Tom. VII. p. 246. GRAMAYE Antiqq. Belgicae, in Bruxella, p. 31.

vebant *Beghardi*, nouasque sectae suae sodalitates in Belgio passim, nemine renitente et aduersante, nasci videbant. Inter ordines enim religiosos a Pontifice probatos receptis, et episcoporum suorum beneuolentia honestatis, violentas nemo manus iniicere audebat. Primus vero ille eorum ad *Tertiarios*, quos dicunt, *Franciscanos* transitus, vt, quod res est, fatear, simulatus magis erat, et vnice ad arcendas iniurias susceptus, quam verus. Id ipsi, quum de rebus suis referunt, non diffitentur. Primum per totum decimum quartum saeculum, et magnam partem decimi quinti, communionis cuiusdam vinculo inter se colligati non erant, nec ciuitatem quamdam seu rem publicam; more familiarum religiosarum, referebant, quam vnum caput gubernat et animat: verum singula collegia, nulla ceterorum ratione habita, suo, *Ministrique* sui, quem elegerant, arbitrio res suas regebant et ordinabant. Nulli deinde inter eos sacerdotes erant: nulla templa proprie sic dicta: nulla bonorum communitas: nulla denique vota publica et perfecta. Neque mores cum hominum Deo dicatorum moribus, si pauca quaedam demas, consentiebant. Censebantur omnes *Laicorum* numero, et, quod antea solebant, tempus suum ita dispertiebant, vt maximam partem arti texendi, aut alii cuidam opificio, non contemnendam precibus, diuinoque cultui tribuerent, reliquam ex suo sensu consumerent. De veteri *Beghardorum* nomine, quod eripi sibi non patiebantur, nihil dicam, quoniam eodem adhuc vtuntur, tota licet eorum ratio immutata sit. At saeculo decimo quinto medio, vere demum, consentiente Pontifice Maximo, NICOLAO IIII. tertio illi ordini, cuius antea vocabulo tantum hostes suos continuerant, et terruerant, sese adiungebant, dimissoque manuum labore, ad Monachorum sese exemplum conformabant. Praecipua *Beghardorum* in Belgio collegia iam antea, incertum quo anno, consociationem quamdam inchoauerant, verum imperfectam:

ctam: duce enim et praefecto carebant. Anno vero 1443. IOHANNES HINSBERGIVS*), sacrorum Leodiensium antistes, singulas sodalitates sacerdotem sibi sui gregis, et omnes vniuerso agmini imperatorem, seu, vt vulgo loquuntur, *Superiorem Generalem*, communibus suffragiis fratrum praeficere iubebat. Has ille leges sine dubio rogatu fratrum ferebat, qui altiorem gradum appetebant, et propriis non modo sacerdotibus, sed etiam arctiori communitate opus sibi esse intelligebant, si sacras inter familias loco aliquo esse vellent. Ratas vero has leges habebat EVGENIVS IIII. qui tum rei Romanae praeerat. Idem HINSBERGIVS A. 1447. quotannis omnes sodalitates consociatas conuentum in Zepperensi domicilio agere, in eoque conuentu et caput totius familiae eligere, et de communi eius salute consilia inter se conferre, mandabat. Zepperense *Beghardorum* domicilium inter reliqua tum temporis, et numero fratrum, et opibus, et aliis rebus eminebat, antiquitate licet multum ceteris cederet: qua de caussa episcopus id pro medio veluti loco, siue centro totius consociationis, haberi volebat: idque decretum eius adeo placuit, vt vniuersus ordo nomen ab illo acceperit domicilio, et ad nostram aetatem *Congregatio Zepperensis Beghardorum tertiae S. Francisci regulae* nuncupetur. *Zepperi* campus, siue ager, est in prouincia Leodiensi, qui et alio nomine campus S. HIERONYMI appellatur: et in hoc illae *Beghardorum* aedes sitae sunt, quae *Zepperenses* vocantur. Locum, in quo exstructae sunt, sub initium saeculi decimi quinti, IOHANNES quidam

*) Sic vere appellatur hic episcopus, quod IO. ERHARDI FVLLONII *Historia Leodiensis*, *Tom. II. p. 5.* extra controuersiam ponit, non vero IOH. de HEYNSBERGEN, vti ab HIPPOL. HELYOT *Histoire des Ordres*, *Tom. VII. p. 247.* dictus est. Laboriosissimus ceteroquin HELYOTVS multis vitiis et in nominibus virorum illustrium, et in temporibus designandis admissis, opus suum contaminat.

dam GOVIVS *Beghardis*, tertiam S. FRANCISCI regulam ſequentibus, ea lege donauit, vt in eo monaſterium, et in eo viginti fratres collocarent: quam donationem A. 1425. antiſtes Leodienſis confirmauit *). Supremam manum ſocietati *Beghardorum* impoſuit NICOLAVS V. qui non modo ea, quae ab antiſtite Leodienſi iam conſtituta erant, approbauit, verum etiam nouis legibus et iuribus eam ita ſepſit, vt praeter nomen parum, aut nihil, ex veteri diſciplina ſua retinuerit. Primum is *Beghardos*, nomine tantum, non reapſe Franciſcanos, et votis ſolemnibus ſolutos, ex praeſcripto tertiae S. FRANCISCI regulae omnino viuere, et idcirco non votis modo publicis et perpetuis ſeſe obligare, verum etiam reliquum Monachorum habitum adſciſcere voluit. Cui praecepto morem gerentes, texendi laborem, ceteraſque, quibus dediti antea fuerant, artes dimiſerunt, et bonorum omnium communitatem introduxerunt. Voluit idem Pontifex veſtes eos ferre coloris illius, quem *gryſeum* appellant ſcriptores barbari, caputque et humeros, modo *Franciſcanis* ſodalibus proprio, tegere. Huius mandati pars altera de colore veſtium non diu valuit: iudicarunt enim fratres, nigrum colorem ſui ordinis homines magis decere, eumque propterea, inſcio Pontifice, quod ſupra iam obſeruatum a nobis eſt, in praeſcripti coloris locum ſuffecerunt. Voluit porro Pontifex ſingulis coetibus hominem praeeſſe, ſacerdotis dignitate praeditum, et vniuerſam familiam ſupremi cuiusdam praefecti, quotannis in comitiis fratrum eligendi, nutu et auctoritate adminiſtrari. Capita ſingulorum coetuum *Patres Miniſtri* nominantur: totius familiae praeſes *Pater Miniſter Generalis* dicitur, addito cognomine *Zepperenſis*, quia in *Zepperenſi* concilio creatur, et ſodalitatem regit, quae *Zepperenſis* vocari voluit. *Generalis Miniſter* ex eorum numero, fratrum ſuffragiis, ſumitur, qui ſingulis praepoſiti ſunt coetibus, et eadem frui-

*) HELYOT Hiſtoire des Ordres, Tom. VII. p. 246.

fruitur auctoritate, qua reliquarum sectarum religiosarum duces. At solus tamen non habet potestatem leges ferendi. Iussu enim Pontificis in anniuersario concilio, quod *Zepperi* celebratur, certi quidam homines, quos *Definitores* nominant, ei adiunguntur, quibuscum consilia sua communicare debet. Sacerdotum in hac secta numerum non definiuit Pontifex: omnes igitur honorem sacerdotii appetere possunt. At vetuit tamen idem, ne quis, nisi consentiente supremo praefecto, inter sacerdotes cooptari sese curet. Quonam anno haec omnia NICOLAVS V. constituerit, scriptores inter se dissentiunt. Ego FRANC. ZYPAEVM audiendum esse arbitror, cui, a fratribus consulto, quum lis inter eos de colore vestium superiori saeculo nasceretur, facultas concessa fuit Pontificis litteras inspiciendi. Is vero datas eas esse scribit A. 1453. d. 18. Cal. Martii *). Plerique *Beghardorum* coetus, nec tamen omnes simul, et eodem tempore, ad hanc *Zepperensem Congregationem* accesserunt: qui vero ingredi noluerunt in eam, paullatim extincti sunt. Antwerpiense collegium, quod multis rebus ceteris praestabat, immo nobilissimum fere erat totius Belgii, dubitabat aliquamdiu, vtrum Zepperensi illi praefecto subiicere sese vellet, nec ne? At A. tamen 1472. si HELYOTO fides haberi potest **), in numeris saepenumero non leuiter erranti, obedientiam ei spondebat. Antiqua tabula, in templo Antwerpiensi pendens, quam aliquoties iam testati sumus, perhibet, *A. 1455. in communi viuere coepisse Beghardos eius vrbis. A. 1468. habitum monasticum cepisse, et textrinam desi-*

*) Consultat. Canonicar. Lib. III. p. 208. Tom. I. opp. — In diei, hic et supra, p. 183. significati, numero latet error, quem a perillustri auctore non animaduersum esse, miratur editor. Ignoratur enim in fastis Romanis d. XVIII. Cal. Mart.

**) Histoire des Ordres, Tom. VII. p. 248.

deseruisse *). Quod vero idem HELYOTVS opinatur, *Beghardorum* nomen ab Antwerpiensibus demum fratribus ad vniuersam familiam Zepperensem manasse, et ante eorum accessum in ea vsurpatum haud fuisse, id prorsus a vero abhorret, insignisque in rebus *Beghardorum* ignorantiae diligentissimum alioquin virum arguit: vt omittam, ex ipsa eius narratione hanc siue coniecturam, siue opinionem, destrui posse. Testatissimum enim est, tametsi ipsius domicilii *Zepperensis* incolae fortassis ante NICOLAI V. tempus hoc nomen non gesserint, recentiores quippe, et decimo quinto saeculo demum nati, omnes tamen coetus, qui cum eo coaluerunt, ab ipsis suis initiis *Beghardorum* vocabulo semet insigniuisse. Reliquas familiae huius vicissitudines et mutationes multis explicare nolo, quia paucos arbitror cupidos esse earum cognoscendarum. Satis igitur sit, generatim monuisse, *Zepperensem Beghardorum congregationem* valde, succedente tempore, diminutam fuisse, et, nondum licet interierit, magnam tamen veteris splendoris et dignitatis suae partem amisisse. GERHARDVS ANTONINVS, *Pater Minister* collegii Antwerpiensis, refert **), saeculo decimo sexto in primis multa euenisse societati suae aduersa, et A. 1588. sigillatim plurima collegia defecisse. Non ille quidem calamitatum genera distincte recenset, nec defectionis, quam dolet, caussas aperit: at procliue iudicatu est, ex sacrorum emendatione, quae tum in Belgio suscipiebatur, mala illa nata esse, sodalitatesque foederatarum Belgii prouinciarum a reliquo corpore sese segregasse. Hinc decimo septimo saeculo ad tantam paucitatem redacta erat *Beghardorum* secta, vt sola vix ac ne vix quidem, nomen et dignitatem religiosi ordinis sustinere posset. Qua re ductus GREGORIVS XV. A. 1621. sociare eam cum *Ter-*

*) RYCKELII Vita S. Beggae, p. 635.

**) in Epistola ad Ryckelium, in vita S. Beggae, p. 489.

Tertiariis Franciscanis, qui Lombardiam, Italiae provinciam, incolunt, decernebat; quod eius consilium, nescio quo casu impeditum, INNOCENTIVS X. A. 1650. perfecit. Hic igitur *Patrem Ministrum generalem Zepperensem* sustulit, coetusque *Beghardorum* omnes in Leodiensi, Mechliniensi et Antwerpiensi tractu superstites, gubernationi supremi praefecti *Tertiariorum* in Italia, et potissimum in Lombardia degentium, concredidit. Vix vero duodecim supererant tum coetus, inter quos praecipui erant, et adhuc sunt, Bruxellensis, Antwerpiensis, Traiectensis ad Mosam, Housgardensis et Louaniensis. Ex his *prouincia*, vt loquuntur monachi, composita est Tertii Ordinis Franciscani, quam *Prouincialis*, *Discretus* et *Custos* administrant, et supremus *Tertiariorum* praefectus, in Lombardia degens, regit. Mutationem rei publicae comitabatur mutatio formae viuendi morumque. Quicquid enim ex veteri disciplina *Beghardorum* relictum apud fratres erat; id omne, excepto tamen nomine, deponere, et leges, vestitum, totamque rationem *Tertiariorum* Italicorum sequi in posterum iubebantur. Cui mandato ad nostra vsque tempora parent. Haec, quae de fatis *Beghardorum* narrauimus, ex GRAMAYO, HELYOTO, MIRAEO, RYCKELIO, FRANCISCI BORDONI *Chronologia fratrum et sororum tertii ordinis S. Francisci, quae Romae 1648. in 4.* prodiit, hausta sunt: quorum nomina ad singula narrationis membra apponere, nec iucundum, nec vtile existimaui.



CAPVT QVARTVM.

DE BEGHARDIS ET BEGVINABVS PROSCRIPTIS ET DAMNATIS.

§. I.

Expoſui hactenus res *Beguinarum* et *Beghardorum* probati moris, hominum multis quidem inuiſorum, at magnis etiam patronis et defenſoribus vtentium; inter religioſas quidem familias Pontificum auctoritate non receptorum, at patrocinio tamen eorumdem aduerſus vim et inſidias munitorum: ſocietatum, quae tametſi ex toto legitimae haud erant, inter licita tamen, honeſta et rei publicae vtilia collegia numerabantur. Nunc de hominibus mihi dicendum eſt eiusdem nominis, at diuerſiſſimi generis, quorum ſimulatque mores et opiniones innotuerunt, vis omnis Pontificum, conciliorum, antiſtitum, in eos irruit, nec ante ſaeuire deſiit, quam funditus euerterentur et exſtirparentur. Obſcuriſſima eſt exorſae huius ſectae hiſtoria: nec ante me, quod ſciam, aliquis tenebras, quibus circumfuſa eſt, diſpellere conatus eſt, infiniti licet *Beghardos* et *Beguinas* commemoraverint, et tam Iuris Pontificii interpretes, quam Hiſtoriae Chriſtianae ſcriptores, et longiores et breuiores, locum eis haud infimum inter publicos Romanae eccleſiae hoſtes dederint. Et horum quidem aliqui ideo ne ſibi quidem ipſi, multo minus aliis, in expediendis factionis huius rationibus ſatisfacere potuerunt, quia libris illis et monumentis caruerunt, ex quibus certius, quam ex quotidianis ſcriptoribus, qualis eſſet, colligi poteſt, rariſſimis quippe et maximam partem nondum editis. Alii vero, quum exiſtimarent, ad vnum genus hominum cuncta, quae de *Beghardis* et *Beguttis* ſcripta leguntur, pertinere, neque viam et modum cernerent, tot diſcrepantes, immo pugnantes ſententias, et iudicia veterum

auctorum vni genti accommodandi, notionem quibusdam locis conuenientem, nec tamen omnes eamdem, exhibuerunt; quae vero ab hac abeunt, tamquam falſa et hoſtilis animi teſtimonia reiicere non dubitarunt: alii denique viam ad haec myſteria auſpiciis non prorſus malis ingreſſi, impedimentis et difficultatibus veluti territi ſubito conſiſtunt, ſpeque omni exitum reperiendi dimiſſa, lectores ſuos monent, non omnia eſſe credenda, quae de *Beghardis* feruntur, ipſi nihil definiunt. Ego quae a viris diligentibus et doctis vel praeter veritatem hac in re admiſſa, vel etiam in obſcuro relicta ſunt, omnia me correcturum et illuſtraturum eſſe, non audeo promittere: at multa tamen, quum, fortuna duce, nactus ſim documenta adhuc incognita, ex quibus damnatorum *Beghardorum* mores, dogmata et fata clarius patent, quam ex ſententiis in eos promulgatis, ceterisque, quae publice de illis ſcripta leguntur: hoc a me ſaltim perfectum iri confido, vt luculentius in poſterum, quam olim, appareat, quo loco et numero habendi ſint, et vt certius ab aliis eiusdem nominis, quam adhuc, ſecernantur. Id vt tanto facilius adipiſcar, primum ea, quae inueſtigare mihi de illis licuit, temporis ordine ſeruato, proferam, et, vbi opus iudicauero, interpretabor, et declarabo: hanc deinde hiſtoriam ad informandam accuratam, quantum fieri poteſt, totius generis notitiam adhibebo.

§. II.

Ante ſaeculum decimum tertium nusquam horum *Beghardorum*, dogmatumque ab illis traditorum memoria occurrit: neque hoc eos ſaeculo antiquiores eſſe puto: cuius ſententiae meae rationem ſuo loco referam. Princeps omnium, quod ego quidem ſciam, ſectae huius meminit ingens illud Dominicanae gentis decus, antiſtes poſtremo Ratisbonenſis, ALBERTVS MAGNVS, qui, ſe Coloniae viuente, eam ibi verſatam eſſe, ſcriptum

ptum reliquit. In operibus, quae magno numero edita extant, ALBERTI expressam eius mentionem frustra quaesiui, oculis licet ea satis attentis perlustrauerim: produxit vero testimonium viri ex libro quodam eius numquam edito, nec, vt ederetur, exarato, hodie sine dubio perdito, IO. NIEDERVS, celebris saeculo decimo quinto familiae Dominicanae sodalis: qui, postquam nefanda *sectae liberi spiritus*, quae a *Beghardorum* non differt familia, praecepta exposuerat, eamque suo tempore in Sueuia plurimis probari, doluerat, haec subiicit *): *Reperi in libro Manuali, quem pro se totum Dominus Albertus manu conscripsit propria, eum annotasse, quod suo tempore Coloniae fuerit eadem haeresis. Vnde puncta superaddita ac articulos plures, quam hic notaui, manu propria praefatus conscripsit Dominus, quos praetermisi; quia reuera sunt tam blasphemi et subuertentes omnem rempublicam et statum ecclesiae totius, vt calamo eos manifestare erubescam.* — — *Antiqua est igitur haec pestis origine*, AD LIBERTATIS SPECIEM TENDENS. ALBERTVS ab A. 1238. quod vitae eius historia docet, Coloniae consedit, ibique sanctiores disciplinas publice tradidit, A. 1280. vero decessit **): quare medio saeculo decimo tertio ea, quae NIEDERVS memorat, in litteras ab eo relata esse, cum veri quadam specie credi potest. Eo tempore sine controuersia, tenera, recens et obscura erat secta, quam se reperisse perhibet Coloniae: nam si vel numero, vel auctoritate valuisset, ALBERTVS eam ad iudices detulisset, et exstirpare studuisset: de quo nihil apud eum scriptum inuenit NIEDERVS. Ergo credamus, incidisse eum casu in homines quosdam vagos et incertae sedis, dogmata *Beghardorum* in priuatis sermonibus pro-

*) in Formicario, seu de visionibus Lib. III. cap. V. p. 337. ed. Helmstad. 1692. 8.

**) IAC. ECHARDI et QVETIF scriptores Dominicanor. Tom. I. p. 267.

proponentes, eosdemque deinde oculis et notitiae eius sese subduxisse, latebrasque, ne proderentur, quaesiuisse. Eo vero extincto, amicos sibi plures id genus acquirebat, ideoque vigilantiam eorum, quibus cura religionis commissa erat, effugere nullo modo poterat. Sed iam ante obitum eius, A. 1261. *Beghardos* et *Beguinas*, ab illis, quos supra descripsimus, valde discrepantes, simillimosque iis, de quibus nunc agendum est, Monachorum et Sanctimonialium in Sueuia collegia vehementer turbasse, MARTINVS CRVSIVS auctor est. *Extiterunt*, inquit *), *quidam aduersarii regularum monasticarum* (*vt scribit frater Felix*) *in quibusdam monasteriis, qui nominabantur Fratricelli*, BEGHARDI *et* BEGVINAE. *Hi persuadebant multis coenobiis, ut sine regula viuerent: melius sic Deo seruiri posse*, PER LIBERTATEM SPIRITVS. *Sed magnopere hoc genus hominum oderant ceteri, quibus certae disciplinae praescriptio placebat. Proinde quibusdam episcopis videbantur demolienda talia collegia, quibus illa licentia studio esset. Tunc conuentus sanctimonialium Kirchensis coenobii saepe per legatos regulam S. Augustini a Constantiensi episcopo petebat. Quo semper recusante, foeminae illam impetrarunt a legato Pontificis.* — — — *Sic Gratiaecellenses quoque, quibus antea libertas illa Fratricelliana placuerat,* — — — *impetrarunt eae ipsae regulam S. Augustini.* Quem auctorem testatur CRVSIVS, *Felix frater*, dubium nulli potest esse, quin celebris ille FELIX FABER sit, Tigurinus, sodalis Dominicanus, qui saeculo decimo quinto Vlmae vixit, et *Historia* sua *Sueuica*, aliisque scriptis, nobile nomen consequutus est **). Et laudat hunc CRVSIVS,

 alio

*) in Annalibus Sueuicis, Part. III. lib. II. c. XIV. ad A. 1261. p. 99. edit. vet.

**) v. IAC. ECHARDI Scriptores Dominicanor. Tom. I. p. 871. IO. ALB. FABRICII Bibliotheca medii aeui, Vol. II. p. 413.

alio loco, a diligentia et eruditione. At in *Historia* eius *Sueuorum*, quam GOLDASTVM inter *Scriptores de rebus Sueuicis* edidisse constat, nihil eorum, quae hoc loco traduntur, legitur. Quare ex libro quodam hominis nondum edito, ex *Historia* forte *Vlmana*, aut ex *Euagatorio* sumta sint, necesse est: quae duo eius scripta in bibliothecis adhuc latent. Nihil vero habent, quod aut difficulter credi possit, aut a *Beghardorum* sententiis alienum sit, tametsi minus luculenter et plene opinio eorum exponatur. Praedicabant omnino homines isti *libertatem*, quam nominabant, *spiritus*, eaque re *sectae liberi spiritus* vocabulo tam a Pontificibus, quam populo, insigniebantur. Primarium hoc eorum dogma suadebat, vt omnes leges, non humanas tantum, verum etiam diuinas, contemnerent, CHRISTIque discipulos naturae suae propensionibus licite obtemperare posse, praeciperent. Crediderim facile, non eadem omnes peruersitate mentis fuisse, neque vniuersos dissolutam licentiam commendasse: qua quidem de re dicendi locus erit, quum dogmata eorum proferemus et expendemus. At omnes restrictam illam et molestam viuendi rationem, quam Monachorum et Sanctimonialium regulae imperant, Christianae libertati contrariam iudicasse, haud dubitabit, cui sententiae eorum notae sunt: vnde mirum videri non potest, Sueuorum Monachos monitos ab eis fuisse, vt a votis et regulis suis deficerent. Placebat multis haec noua disciplina: aliis vehementer displicebat. Hinc dissensiones et turbae: in quibus antistitum nonnulli tantum indignationis animo concipiebant, vt destruenda esse ducerent collegia, quae *Beghardorum* praeceptis aures praebuerant, regulaeque suae seruitutem abiecerant. Quam calamitatem vt a se propulsarent, societates nonnullae, quae vel sine regulis antea vixerant, vel *Beghardorum instinctu* ad libertatem sese contulerant, regulam sibi vt praescriberent, antistites rogarunt: sed non austeram nimis et grauem, verum faciliorem

et

et molliorem, quam S. AVGVSTINO tribuunt. Eam vero sanctimonialibus Kirchensibus, obnixe licet petentibus, Pontifex Constantiensis concedere recusabat, vel quia *Beghardorum* scitis clam fauebat, vel quia regulam, cui olim alligatae fuerant virgines, mutari cum alia nolebat. Ceterum CRVSIVS, siue frater FELIX; quem exscribit, eos ipsos *Fratricellos* quoque nuncupatos esse tradit, qui alio nomine *Beghardi* appellabantur. Id moribus aetatis illius consentaneum est, qua *Fratricelli*, seu *Fraterculi*, Italorum exemplo *), vocabantur generatim omnes, qui *Fratres*, seu *Monachi* non erant, nullique probatae regulae subiecti; at fratrum tamen, siue Monachorum speciem habebant, et ipsi sibi vitae cuiusdam sanctioris legem tulerant. Primum hoc in *Beghardos* bellum breui, vigilantia episcoporum, extinctum in Sueuia fuisse videtur: et verisimillimum est, homines istos, quum tanto feruore cum asseclis suis oppugnari sese viderent, aut semet ipsos abdidisse, aut ad tempus in prouincias alias, maxime Rhenanas, migrasse, in quibus sub exitum huius saeculi, et sequentis initium, caput extulisse leguntur.

§. III.

Deficiente saeculo, in Alsatia et Heluetia eius generis homines apparuisse, *Annalium Dominicanorum Colmariensium* scriptor, quem CHRIST. VRSTISIVS edidit **), ad A. 1290. memoriae prodidit: *Lector fratrum Minorum de Basilea fecit capi in Columbaria in Capitulo suo duas* BEGHINAS *et duos* BEGHARDOS, *et in Basilea plures, quos haereticos reputabat.*

N 5 De

*) v. Moshem. Institutt. Hist. Eccles. Saec. XIII. P. 2. c. 2. p. 528. not. x. qua veram horum vocabulorum vim et potestatem indagauit et definiit auctor perillustris.

**) Scriptor. rerum Germanicar. Tom. II. p. 25. edit. Francof. 1670. fol.

De his quod dicam, propter ſterilitatem Hiſtorici non habeo. Oſtendi alio loco, *Tertiarios* familiae Franciſcanae, *fratres* item, quos vocant, *conuerſos* Monachorum, *Beghardos* etiam, et ſimiles his mulieres, *Beghinas* appellatas fuiſſe. Quare quum Lector Franciſcanorum Baſileenſis fuerit is, qui hos homines in carcerem rapuit, non male coniicias, vel ex *Tertiariis*, vel ex fratribus et ſororibus *conuerſis* Franciſcanae gentis eos fuiſſe: quam coniecturam id firmat, quod in Capitulo, ſiue ſolemni conuentu ſodalitatis ſuae, cui ſine dubio interterant, Colmarienſis comprehendi iuſſit. Inde vero non licet conficere, nihil commune illis fuiſſe cum *Beghardis*, quos Sueuorum antiſtites iam antea damnauerant, et concilia paullo poſt damnarunt. Conſtat enim, hos ipſos nusquam diligentius et felicius rem ſuam egiſſe, quam inter eos vtriusque ſexus homines, qui medium quaſi locum inter populum et monachos tenebant, et propter pietatis ſtudium *Beghardi*, *Beghinae*que vulgo nominabantur: vt omittam, quod ex ſequentibus etiam patebit, plurimos ex religioſis familiis ad eos acceſſiſſe. Quumque tum temporis in illis regionibus, in quibus iſti homines capiebantur, *Beghardi* illi, qui verae libertatis Chriſtianae vindices videri volebant, frequentes fuerint; nihil credibilius eſt, quam hoc, eos ſectae huius ſcitis contaminari ſeſe paſſos fuiſſe. Certe vix biennium ab hoc tempore effluxerat, quum in concilio Aſchaffenburgenſi, A. 1292. coacto, *Beghardi* et *Beghuttae* infamiae nota publice inurerentur, et eccleſiae finibus eiicerentur. Acta et leges huius concilii adhuc latent: at ex legibus concilii, quod poſt duodeuiginti annos, A. 1310. Moguntiae PETRVS, Pontifex Moguntinus, habuit, apparet, patres Aſchaffenburgi congregatos, ſeuere *Beghardorum* ſectam prohibuiſſe. Centeſimae enim primae legi Moguntini concilii, quae illi oppoſita eſt, et hoc indice a reliquis diſtincta: *De Beghardis et Beguttis*, additur, eam minime nouam, ſed ex Aſchaffen-

but-

burgensis concilii decretis sumtam et repetitam esse, Illum vero Aschaffenburgensem conuentum, a GERHARDO II. antistite Moguntino, A. 1292. celebratum esse, IOHANNES TRITHEMIVS significat *): qui et non modo omnes episcopos Moguntinae cathedrae subiectos, partim ipsos, partim per oratores suos, verum etiam multos Abbates ei interfuisse, *multaque in eo statuta esse*, commemorat. Exhibeo hanc contra *Beghardos* legem ex binis codicibus concilii Moguntini, quos mihi tractare licuit, manu exaratis, probis et perantiquis. Scio, acta eius Saeculo iam XV. vna cum alio concilio Moguntino A. 1351. habito, formis esse descripta, et in *Statutorum Moguntinorum Libro III.* etiam extare **). Verum neutram editionem inuestigare potui. Ex *Statutis Moguntinis* ea sine dubio descripsit IO. CHRISTIANVS LVNIGIVS ***), quamquam, vt solet, vitiose. Lex ita sese habet:

Sectam et habitum, nec non conuenticula suspicione mali non vacua BEGEHARDORVM *clamantium per plateas et vicos* [a]) *ciuitatum, oppidorum et villarum, hoc vulgare:* BROD DVRCH GOTT, *nec non quaslibet alias singularitates a sancta Dei ecclesia non receptas colentium, reprobamus in hoc sacro concilio, et damnamus, mandantes sub poena suspensionis vniuersis plebanis per ciuitates, dioeceses et prouinciam Moguntinam* [b]) *constitutis, vt tales* BEGEHARDOS *aut* BICORNOS [c]) *publice tribus diebus Dominicis* [d]) *et festiuis*

*) Annal. Hirsaugiensium, Tom. II. p. 57.

**) IO. ANDR. SCHMIDII Dissert. de Conciliis Moguntinis, in IOHANNIS Scriptor. rerum Moguntinar. Tom. III. p. 298.

***) Spicilegii Ecclesiastici Rom. Imperii, Continuatione II. p. 53. Haec omnia legia etiam apud Hartzhem. l. c. Tom. IIII. p. 200. s. qui ea transscripta censet ex Concilio Fritzlariensi.

a) *vicos et plateas*, Hartzhem.

b) *Moguntinensem*, Hartzhem.

c) Hartzhem. in nota: *Bitomos* impr. 1509.

d) *Dominicis dieb.*

vis admoneant, quos et nos praesentibus admonemus, vt huiusmodi singularitates derelinquant, et se teneant [e]), *sicut alii Christiani, et quod non praedicent in cauernis* [f]), *vel aliis locis publicis vel secretis, vna* [g]) *cum* BEGVINIS *se conformantibus eisdem in moribus, habitu et incessu. Alioquin ipsos extunc* [h]) *extra terminos suarum parochiarum* (alter codex habet: *prouinciarum*) *per excommunicationis sententiam, auctoritate huius concilii repellere non omittant, denuntientque vicinis sacerdotibus, vt tales sic repulsos in suis parochiis non admittant. Idem de Beguinis praedictis pestiferis duximus statuendum.* Legem hanc in sodalitates *Beghardorum* et *Beghinarum*, quae certis domiciliis conclusae laborando sibi victum parabant, non esse rogatam, sed in aliud otiosum genus hominum vtriusque sexus, quod per vrbes et agros discurrebat, panemque sibi praeberi poscebat, cum per se manifestum est, tum ex ipso concilio Moguntino, in quo renouata est, clare intelligitur. Praecedunt enim eam binae leges aliae ad *Beghinas* laboriosas, modestas et probatas pertinentes: quarum altera, quae est nonagesima septima concilii, prohibet, *Ne aliqua admittatur in Beghinam ante quadragesimum annum* [i]); altera, quae hanc excipit, vetat sacerdotes et Monachos *Beghinarum* illarum aedes ingredi: quam quidem totam subiicio: *Sub poena etiam anathematis prohibemus, ne Clericus vel religiosus quispiam in domum intret earumdem Beghinarum* [k]). *Sed si quis ex iusta caussa et honesta cuiquam* [l]) *earum loqui voluerit, hoc in ecclesia sub bono testimonio faciat manifeste, ne*

e) *singularitatibus derelictis se ten.* Hartzhem.

f) *cameris*, Hartzhem.

g) *et*, H.

h) *extunc ipsos*, H.

i) Legem hanc reperis in Hartzhem. l. c. p. 200. ita inscriptam: *Nulla in Beginam assumatur, nisi quadragesimum annum excesserit, et probatae opinionis existat.*

k) deest *Beghinarum*, in Hartzh. l. c.

l) *cuicunque*, H.

ne sinistra contra ipsum suspicio oriatur. Alioquin gravi subiaceat vltioni. Noui ergo erant homines, nec ante concilium Aschaffenburgense valde in illis oris noti *Beghardi* et *Beguinae*, quas lex coercet. Atque hi nondum praui cuiusdam dogmatis, aut religionis corruptae arguuntur: ex quo iterum cogi potest, veras eorum rationes nondum patuisse: sed instituta tantum et mores, a probatis et receptis alienos, et singulares, dimittere iubentur. Panem importune flagitant: vestimentis vtuntur inusitatis: consuetudines et mores sequuntur ecclesiae auctoritate destitutos: conuentus denique in cauernis aliisque locis agunt. Haec omnia sunt, quae concilio non ferenda esse videntur: atque inter haec quod postremum est, princeps sine dubio erat accusationis caput. Neque temere decernit concilium, clandestinos conuentus illos suspicione mali non carere, quamquam mali aliquid reapse in illis vel admitti, vel tradi, adseuerare non audet. *Bicornorum* nomen, quo in hac lege afficiuntur, conuitium, siue contumeliosum aetatis illius vocabulum est, idemque, vt arbitror, tum significabat, quod vecors aut fatuus. *Num tu,* inquit nescio quis apud SIGISMVNDVM MEISTELEIN *), *stolide* BICORNA. TE *aestimas oppidulum paruum hos conclusisse?* Rationem nominis ex eo repetendam esse arbitror, quod bicorni mitra caput plerumque tegere solebant moriones, qui principibus viris olim in deliciis erant.

§. IIII.

Eodem fere tempore, quo Germanos, scabies haec Gallos, Narbonensem prouinciam incolentes, affligebat et vexabat. Itaque penultimo saeculi anno quum AE-GI-

*) Historia rerum Noribergensium in IO. PETRI LVDEWIG Reliquiis Manuscriptorum omnis aeui. Tom. VIII. p. 75.

GIDIVS, Narbonensis Pontifex, Biterris, in concilio episcoporum suorum, de salute reipublicae sacrae deliberaret, singulari pariter lege eam aggrediendam sibi esse ducebat. Quarta haec est inter Biterrensis concilii, A. 1299. celebrati, decreta, ab EDMVNDO MARTENE ex tabulario Carcassonensi edita *): *Cum per experientiam saepius sit expertum, quod sub specie boni in ecclesia Dei mala subintrant interdum, nec sine caussa prohibuerunt sancti patres varietatem ordinum, vel habituum religiosis deputandorum, qui non sunt per sedem apostolicam approbati, ad nostramque notitiam sit delatum, quod ad suggestionem quorumdam, inter quos nonnulli fuerint, qui dicebantur plurimi* (forte *plurimum*) *litterati, quorum aliqui fore noscebantur de religione laudabili, non immerito inter religiones ceteras approbata, ponentium os in coelum, et manus ad vota extendentium, praedicantium multis, finem mundi instare, et iam adesse vel quasi tempora Antichristi, nouosque poenitentiae modos et abstinentias, vestiumque colores vtriusque sexus personis suggerentium, et nihilominus virginitatis ac castitatis vota recipientium a pluribus ex eisdem, ad hoc suis exhortationibus prius tractis, quae vota a pluribus violata fuisse noscuntur: quam plures vtriusque sexus ad nouae superstitionis cultum pertracti fuerunt,* BEGVINI, *seu* BEGVINAE, *vulgariter appellati, qui conuentualia prohibita facientes, et frequentes de nocte officium praedicationis verbi Dei temere vsurparunt, in suam excusationem fictitie praetendentes, quod non praedicant, sed loquuntur de Deo, se inuicem consolantes, et quasdam nouas obseruantias custodire conantur, a communi ritu, ceterorumque fidelium discre-*

*) In Thesauro Nouo Anecdotorum, Tom. IIII. p. 226. De AEGIDIO AYCELINI, Archiepiscopo Narbonensi, eiusque rebus, a quo concilium hoc coactum est, lege *Galliam Christianam Monachor. Benedictinor. Tom. VI. p. 84. s.*

discrepantes, e quibus nonnulla scandala sunt suborta, et non modica pericula huic prouinciae, quam haereticos olim publice frequentasse est certum, nec dubium est, licet etiam, adhuc ab aliquibus frequentari, imminere noscuntur. Sacro igitur approbante concilio, prohibemus cultum superstitionis praefatae, quatenus est sacris canonibus inimicus, vlterius obseruari: nihilominus statuentes, per singulos dioecesanos nostrae prouinciae illum, vt praemittitur, prohiberi, et tam per ipsos, quam eorum officiales, contra personas sibi subiectas, vel alias, contra quas id iure permittente possint facere, solerter inquiri, si quid in praemissis commissum fuerit contra fidem et canonicas sanctiones. Quod si repertum fuerit, illud auctoritate praesentis concilii praecipimus districtius debita castigatione puniri. Si pauca demas, vel omissa, vel addita, Biterrense hoc decretum cum superiori Moguntino prorsus consentit, vt dubitare nequeas, in eamdem sectam vtrumque latum esse. In Biterrensi lege hoc in primis nouum est, quod parentes et conditores sectae designantur. Dicuntur autem esse primum homines *litterati:* nonnulli deinde eorum *religionem laudabilem, nec immerito inter ceteras religiones approbatam*, profiteri perhibentur. *Religionum* nomine, stilo aetatis illius, indicantur Monachorum regulae. Igitur quidam eorum religiosae cuidam familiae adscripti erant, cui honos et reuerentia debebatur. Eam Franciscanam esse, vix ac ne vix quidem dubitari potest. Franciscanorum enim fratrum plurimos, rigidiores in primis, sententias aluisse valde ineptas et deuias, magnamque cum *Beghardis* habuisse familiaritatem, *Beghardorum* vicissim multos ad Franciscanae gentis familiaritatem sese applicasse, atque tertiam S. FRANCISCI regulam, quo inimicorum suorum fallerent vigilantiam, suscepisse, testatissimum est. Nec incredibile est, totam illam *Beghardorum* amentiam et sublimem pietatem, in Franciscana familia natam, et ex ea propagatam esse. Illi porro *Beghardo-*

rum

rum parentes *os* dicuntur *in coelum ponere.* Hanc formulam ſcriptores ſaeculi, quo lex noſtra rogata eſt, plerumque adhibent de illis, qui Romano Pontifici, eiusque iudicio repugnare audent. Vnde coniectura non ſpernenda naſcitur, ex illis Franciſcanis fuiſſe quosdam huius generis, qui tum Pontificibus publicum ideo bellum indixerant, quoniam hi regulam S. FRANCISCI emendauerant, aut rigorem eius temperauerant: cuius certaminis plena eſt temporum illorum hiſtoria. Quamquam omnes *Beghardi*, quod infra patebit, de Romano Pontifice eccleſiaeque Romanae praeceptis et inſtitutis, non poterant non male ſentire. Quod iidem memorantur, *manus ad vota extendere*, id facile intelligitur. Pro Chriſtiana enim libertate pugnare videri volebant *Beghardi*, quam, quod ante iam ex CRVSIO obſeruauimus, per vota et leges Monachorum euerti et deſtrui, praecipiebant. At iidem tamen, quod additur, non ab omnibus quidem ſui gregis membris, ſed *a pluribus ex eisdem virginitatis et caſtitatis vota* poſcebant, et ab illis *recipiebant.* Biterrenſes patres mirari haec, tamquam repugnantia, videntur: ſed nihil in illis mirabile aut repugnans eſſe, ſcita hominum, quae ſuo loco explicabimus, demonſtrant; ex quibus etiam conſtabit, vnde acciderit, quod adiiciunt, vt ea vota violarentur a pluribus. Tam difficilis et periculoſa erat quorumdam ex *Beghardis* diſciplina, vt illi etiam, a quibus peccandi voluntas aberat, inuiti ad peccandum per eam induci poſſent. De *nouis poenitentiae modis*, *de abſtinentiis*, *de veſtium coloribus*, quos iſti ſuperſtitionis magiſtri ſuis praeſcripſiſſe traduntur, nihil hoc loco dicam, quoniam forma et ratio eorum ex ſequentibus manifeſta magnam partem fiet. Poſtremo eo nomine reprehenduntur, quod *finem mundi inſtare*, et *Antichriſti aduentum appropinquare*, populis ſignificant. Hoc vnum dogma extra controuerſiam fere ponit, *Beghardorum* illorum patres, quosdam ſaltim, ex illis fuiſſe Franciſcanis, qui *Spirituales* nominari

nari volebant, et Pontificibus Romanis in primis exoſi erant. Hi enim ex PETRI IOH. OLIVAE *Poſtilla*, ſeu *interpretatione Apocalypſeos*, quam vnam omnibus anteponebant libris, et pro diuina prope ducebant, et credebant ipſi, et ſuos credere iubebant, Antichriſtum aut apparuiſſe iam, aut breui appariturum eſſe, mundumque a fine ſuo propius abeſſe, eamque vaticinationem ad terrendam plebem, variasque ſuperſtitiones adhibebant. Hanc rem vberius perſequemur, quum de illis nobis *Beguinis* disputandum erit, quibuscum IOHANNES XXII. Pontifex Maximus, bellum geſſit acerrimum. A parentibus ſectae, ad ſectam ipſam progrediuntur Biterrenſis concilii patres. Eam vero violatae religionis, et noxiorum errorum nondum arguunt, ſed veteris tantum diſciplinae contemtae, et nouae cuiusdam, cui ſuffragatio deſit eccleſiae, introductae. Duobus omnis accuſatio capitibus continetur. Primum conventus agere dicuntur priuatos, nocturno praeſertim tempore, in illisque ſermones ad multitudinem congregatam habere. Id ſine dubio plenum erat ſuſpicionis, et mori eccleſiae repugnabat. Et ipſos quidem conuentus non diffitebantur illi, verum negabant, ſe in illis orationes recitare: quaeſiti, quidnam in illis agerent? reſpondebant, ſe de rebus diuinis inter ſe colloqui, et ſolatia ſibi mutuo aduerſus mala huius mundi ſuppeditare. Quam quidem excuſationem fictam eſſe pronuntiant antiſtites. Deinde nouis inſtitutis et ritibus, qui tamen haud nominantur, ſeſe onerare perhibentur: vnde multa pericula et graues offenſiones naſci debuerint in prouincia, quam *haeretici* olim obſederint, nec adhuc prorſus reliquerint. Has binas propter cauſſas, epiſcopi primum ſectam illam prohibent: deinde tam ipſos antiſtites, quam vicarios eorum, ſollerter et ſtudioſe inueſtigare iubent, num in conuentibus illis et ritibus admiſſum aliquid ſit, vel a publica religione, vel a legibus conciliorum alienum: ex quo iterum liquet, in ſuſpicionem quidem er-

rorum venisse *Beguinos*, at eorumdem nondum convictos fuisse.

§. V.

Saeculo igitur decimo tertio, ingenti licet iam odio flagrarent, et magna occultorum errorum et criminum suspicione premerentur *Beghardi*, magis tamen pro superstitiosis, quam pro religionis et virtutis hostibus ducebantur. At sequenti saeculo latens et retrusa hominum impietas multo magis illustrabatur, et multo idcirco severius Pontificum ipsorum, et antistitum legibus et decretis castigabatur. Princeps eos, quod sciam, longa et vehementi lege, non diu post exordium saeculi, *A. 1306. feria secunda post Dominicam Inuocauit* lata, aggressus est, et atrocium sententiarum ac delictorum postulauit HENRICVS I. Archiepiscopus Coloniensis, ex gente equitum de VIRNENBVRG, multis rebus fortiter et animose gestis illustris. Primo ea lex loco inter *Statuta* HENRICI, vti vocantur, posita est, et hic, quantum fieri potest, accurate, vtraque *Statutorum Coloniensium* editione diligenter inter se collata*), exhibetur. Inscripta est: *Contra Beegardos et Beegardas* [a]):

Licet

*) Duplex extat, vtraque rarissima, *Statutorum siue legum ecclesiasticarum* a Pontificibus Coloniensibus rogatarum editio. Altera simplici hoc indice ornata est: *Incipiunt capitula statutorum ecclesiae Coloniensis a bonae memoriae Domino Conrado, Archiep. Coloniensi edita.* In fine libri haec scripta leguntur: *Hoc opus statutorum summe necessarium pastoribus ecclesiarum et rectoribus, ac sub excommunicationis pena ab hijs haberi per omnes episcopos Colonienses precipitur et mandatur ex libro principali statutorum ecclesie Colon. per* IOHANNEM GVLDENSCHAIFF *vigili cum cura impressum ac anno Dni MCCCCLXXVIII. die decima octaua mensis Aprilis consummatum, Ad laudem tercia die a mortuis resurgentis.* Volumen est modicum primae magnitudinis, at formae tamen minoris. Altera hanc habet inscriptionem: *Statuta seu decreta prouincialium et Dioecesanarum Synodorum sanctae eccle-*

Licet sancti [b]) *patres consulta prohibitione statuerunt, ne quis nouam religionem fingeret, vel habitum nouae* *) *religionis, quam sedis Apostolicae auctoritas non firmasset, sibi propria auctoritate* **) *assumeret: sed si frugem vitae melioris concupisceret, vnam sibi assumeret de religionibus approbatis: Quidam* [c]) *tamen nescientes vti concessis, Laici, mares et feminae, idiote* [d]) *pror-*

O 2

ecclesiae Coloniensis ex peruetusto et authentico Codice, qui in Archiuo Archiepiscopali asseruatur, aliisque vetustis exemplaribus restituta et emaculata. Sub quibus Archiepiscopis quaeque promulgata sint, versa pagina indicabit. Cum indice gemino, rerum et verborum altero, altero titulorum seu Rubricarum. Coloniae ex officina haeredum Iohannis Quentel, mense Martio anni MDLIIII. quarto maiori, aut folio, vt loquuntur, minori. Prior editio, formis valde rudibus et Gothicis descripta, complectitur *Statuta Conradi,* 1260. lata, *Engilberti, Sifridi, Wicboldi, Henrici I.* etc. et definit in *Statutis Ruperti,* A. 1470. emissis. Folia numeros non habent, qui meo in exemplari adscripti sunt. Posterior Quenteliana editio non modo plus habet nitoris et elegantiae, siue chartam spectes, siue formas litterarum, verum etiam plenior est, et diligentius emendata. Incipit a Conrado A. 1225. et definit in legibus Adolphi III. A. 1551. promulgatis. Altera tamen harum editionum ex altera, quod hic ego feci, corrigi potest. Ex posteriori editione, quod ex comparatione intellexi, IO. CHRIST. LVNIG *Statuta Henrici I.* descripsit: qui nostram legem habet *Spicilegii Ecclesiastici Tom. II. p. 399.* verum mutilam, deformem, multis partibus truncatam, et turpissime vitiatam. Legitur ea in antiquiori editione fol. 32. in posteriori, p. 58.

Lect. Var. ex Hartzhem. sumta et litteris indicata.

a) *Cap. I. Contra Beggardos et Beggardas, Apostolorum nomine se vulgo insinuantes, nouamque sub vmbra paupertatis religionem simulantes, contraque illorum errores.*

b) *sancti*, abest.

*) Vetus editio habet *nouum.* Malui ego Quentelianam sequi. Sic est etiam apud Hartzhem. p. 106.

**) Quentelianus codex, vti et Hartzhem. habet *temeritate,* pro *auctoritate.* Male, vt puto.

c) *approbatis: quidam,* ac breui post (*nesc. vti concessis*) in parenthesi.

d) *idiotae.*

prorsus, ad illicita frena laxantes, superstitiosis adinventionibus satagunt inuenire nouos ritus, et mores [e]), *in discrimen multorum, cum scandalum et discordiam plerumque pariant nouitates, nouumque* [f]) *viuendi modum et habitum sub paupertatis vmbra tenentes* BECGARDI *et* BECGARDAE *), *et Apostoli videlicet vulgariter appellati, contra sanctorum patrum et sedis Apostolice* [g]) *sanctiones, questum publicum via prohibita* [h]) *vendicantes, victualia manibus quaerere, prout consueuerant, non curando, in religiosorum (qui in sanctae religionis habitu, per sacrosanctam Romanam ecclesiam approbatae, Domino famulantur, per quorum studium vinea Domini culta centuplicatos crescit in fructus) discrimen, Christianae religionis et orthodoxae fidei detrimentum. Nonne* [i]), *qui* **) *contra sanctorum patrum edicta et sedis Apostolicae sanctiones moliuntur taliter, de heresi suspectos notorii sceleris eorum presumptuosa temeritas notat? Qui more hostis antiqui, se in lucis angelum transformantis, multorum animos decipiunt et seducunt, cum elemosina* [k]), *talibus in caritate non existentibus (quos* [l]) *canonum censura excommunicationis pena ipso facto percellit) facta, sit vacua atque vana. Et non obstante, quod verbum dominicum ad primum hominem est translatum: In sudore vul-*

e) *et habitus siue mores.*

f) *nouitates: nou.*

*) Quenteliana editio habet *Beggardi et Beggarde:* ita et Hartzhem. nisi quod *Beggardae.*

g) *Apostolicae.* Semel monere sufficiat, Hartzhemium vbique habere *ae* vel *oe*, vbi Quenteliana simplex *e* dedit.

h) Hartzhem. in nota, *eis prohibitum.*

i) *detrimentum: nonne.*

**) In veteri editione legitur: *Non nequi*, et tota sententia obscurissime et sine distinctione exprimitur. His vitiis partim ex Quenteliano codice, partim ex ingenio medelam attulimus. Moshemianam medelam confirmat ed. Hartzhem.

k) *eleemosyna*, et ita semper.

l) signum parentheseos abest.

vultus tui vesceris pane tuo: quod ad fortes et sui compotes moraliter intelligitur esse dictum: et tales in ocio victum *) vendicantes elemosinas rapiunt, quae infirmis et debilibus fuerant pauperibus ministrandae. Immo scriptum est: Sudet elemosina in manu tua, donec reperias iustum, cui des eam. Sed forte tales asserunt, se esse iustos. Sed respondeant, cuius testimonio et iudicio eorum est iustitia approbata m): non ecclesie, in Christo Dei, Apostolorum et Sanctorum sanguine dedicatae, in n) cuius scandalum, infirmorumque et debilium pauperum detrimentum, sub paupertatis vmbra, nouum viuendi ritum et habitum inuenerunt, in quam o) iudicandi et discernendi inter iustum et iniustum autoritas p), in Petri persona est translata, cui dicitur: Quodcunque ligaueris et solueris super terram, erit solutum et ligatum in celis, quasi dicens, quem q) iustificaueris, approbamus, et quemcumque dampnaueris improbum, reprobamus r). Cesset ergo horum vana religio, et celeri conuersione iudicio ecclesie se submittat s). Vere hij t) Canonum contemptores in Spiritum sanctum (a v) quo forma w) Christiana et religio viuendi x) sumpsit exordium) grauiter delinquere comprobantur, cum videlicet Spiritus sancti instinctu, per ora sanctorum praesulum sacri sunt y) canones instituti. Hij t) sunt hypocritae tristes, a quibus in euangelio dicitur esse cauendum, qui facies suas exterminant, vt appareant hominibus ieiunantes. Hij t) sunt fontes sine aqua, et nebulae turbinibus agitatae, quibus vmbra mortis et caligo tene-

 bra-

*) Forte legi debet: mendicantes. Hartzhem. non adstipulatur huic coniecturae.

m) *iust. comprobata?*

n) *dedicatae: in.*

o) *inuenerunt: in quam.*

p) *iust. et impium author.*

q) *coelis: quasi dicens: quem.*

r) *damn. impium repr.*

s) *submittant.*

t) *hi.* Sic etiam vbique scriptum.

v) abest parenthesis.

w) *formam.*

x) *Christ. religio et via.*

y) *sint.*

brarum, iuxta verbum veritatis prolatum dominicae *) *vocis oraculo reseruatur. De quibus aliqui* z) *a veritatis et fidei orthodoxae comperti sunt tramite deuiare, et errores et zizanias seminauerunt* **). *Quos vt omittamus* ***), *eorumdem errores aliquos* aa) *scripti presentis testimonio ad futurorum memoriam publicamus: mendaciter* bb) *enim et falso dicunt: Qui non sequitur me, non potest saluari, quia non soleo peccare, se* cc) *ex hoc diuinitati similes mentiendo* dd), *more Satanae, qui superbia propria corruit de celo prostratus, cum potius tales sub peccatorum labe marcescant, qui* ee) *montem, id est, Christum, ineffabilem sapientiam, tangere, id est, erroribus lacerare, a quo lapidabuntur, id est, hic et in futuro, ignis incendio cremabuntur, et irritare intrepide praesumpserunt. Aiunt etiam: nisi mulier virginitatem in matrimonio deperditàm doleat, et dolendo deploret, saluari non potest. Quasi* ff) *matrimonium sit peccatum, cum tamen ipsum ante peccatum in loco sancto, a sanctorum sanctissimo fuerit institutum, quae* gg) *virginitas in fetum sobolis compensatur,*

*) Quentelianus codex, vti etiam Hartzhem. ed. habet *Apostolicae*, quod praeferendum videtur.

z) *reseruatur: quorum aliqui.*

**) Quenteliana legit: *seminare*; Hartzhem. *zizania seminare.*

***) Sic scripsi ex Quenteliana editione, quacum consentit Hartzhem. Vetus habet; *Et vt omittamus.* Vtrumque vitio non carere videtur.

aa) Hartzhem. ad haec obseruat: „Errores octo capitales Beguardorum et Beguinarum haereticorum Alemanniae condemnat sigillatim „Clemens V. in Concilio generali Viennensi a. 1311. „lib. V. Clementinarum Tit. „III. c. 3. *Ad nostrum.* Trithemius octo eorum errores „recitat in Chronico Hirsaug. „ad a. 1311.“

bb) *publicamus. Mendac.*

cc) *peccare: Si.*

dd) *similes se ment.*

ee) *marcescant: qui m. (id est) Chr.*

ff) *potest: quasi.*

gg) *institutum: quae.* Suspicatur Hartzhem. legendum esse, *et ipsa.*

tur, per quam humana natura ſtabilitate [hh]) *perdurat, quam* [ii]) *aſſumere ipſe dignando, paullo minus ab angelis minoratus, creaturis ceteris predotauit. Item ore prophano, lingua ſuper terram currente, blasphemant Deum fore in quadam perdicione, qui tam pie, quam miſericorditer, vt nos redimeret, voluit incarnari, cum diuina natura peccati et corruptionis neſcia, paſſa diminucionem, ſeu alteracionem non fuerit, ſed illibata perſiſtens, vna in duabus naturis ſubſtantia, accepit ipſe de noſtro, vt diuinitatis eius participes fieremus. Horum etiam aliqui contra legem* [kk]) *et prophetas erroribus inſultantes, dicunt, quod* [ll]) *quilibet habens uxorem legitimam, cauſa ſequendi Deum propria voluntate, eam, inuita ea poſſit dimittere, contra Patrum ſanctorum* [mm]) *decreta, et doctrinam Apoſtoli, prohibentis ab inuito vxorem viro, et virum ab vxore ſine cauſa dimitti: Et ſcriptum eſt: Quos* [nn]) *Deus coniunxit, homo non ſeparet. Ex quo oſtenditur, fore indiſſolubile* [oo]) *ſine cauſſa matrimonii ſacramentum, per* [pp]) *quam autoritate diuina* *) *eccleſiae primatibus, quorum eſt in talibus iudicium expectandum* [qq]), *ſine cauſſa diſſolutio huiusmodi eſt interdicta, quanto* [rr]) *magis ſubditis ſimplicibus, quorum non eſt iudicare, ſed potius iudicari* [ss]).

hh) Hartzhem. in not. *ſtabiliter.*

ii) *perduras: quam.*

kk) *Regem.* Haud dubie perperam.

ll) *dicunt: quod.*

mm) *Sanctorum Patr.*

nn) *quod ergo.*

oo) Hartzh. in not. *indiuiſibile.*

pp) *ſacramentum: per.*

*) Quentellanus codex legit: *auctoritatem diuinam*, vitioſe, niſi fallor. Cum Quentel. conſentit etiam Hartzhem. Coniectura Moshemiana vix admittenda videtur editori.

qq) verba: *quorum e. i. t. iud. exſpectandum*, dedit in parentheſi.

rr) *interdicta: quanto.*

ss) *iudicari?*

*) *Sed forte dicunt: Quae* tt) *spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege. At respondeant, quomodo Spiritu Dei agantur, qui contra Spiritum Dei agunt, prohibentes virum ab vxore, et e conuerso, sine causa dimitti, iudicio ecclesiae approbata, vt superius est probatum. Sed* uu) *dicunt, quod hoc coelitus sit eis* ww) *reuelatum. Sed* xx) *quomodo sciunt, quod haec reuelatio sit coelestis, cum Satan in lucis angelum se transformet* yy). *Sed forte instabunt, quia scriptum est: Lex non est imposita iusto, iustos se esse et sine peccato, iactantes: Sed* zz) *erubescant profecto impii, attendentes Apostolum Paulum, egregium ecclesiae doctorem, electionis vas Spiritu Sancto plenum, qui ait: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et alibi beatissimus Iohannes: Si enim dixerimus, quod peccatum non habeamus* A), *nos ipsos* B) *decipimus. Et sanctus Iob de se ipso loquens, inquit: Si simplex, id est, iustus fuero* C), *hoc ignorabit anima mea. Hij sunt heretici, qui fedus Christianae religionis dissoluere moliuntur. Item dicunt fallaciter mentientes, simplicem fornicationem non esse peccatum, cum tamen inter decem praecepta, Dei digito designata, Moysi* D) *a Deo tradita in montis excelso, expresse fornicatio fuerit interdicta; et qui fornicari prohibuit, inter simplicem fornicationem et aliam non distinxit. Hanc etiam Sanctorum regulae* **) *et canones*

*) Ab his verbis noua plane sectio in Quenteliana editione incipit, cui hic index praefixus est: *De instantia supradictorum hereticorum, quae posset fieri.* In Hartzhem. itidem noua est sectio, cum praemisso eiusdem generis argumento, et numero II.

tt) *qui.*

uu) *probatum? Verum.*

ww) *eis coelitus sit.*

xx) *reuelatum: sed.*

yy) *transformet?*

zz) *At.*

A) *habemus.*

B) *ipsi.*

C) in parenthesi, (*id e, i, fuero*).

D) *Mosi.*

**) In antiquiori codice, loco *regulae* extat *reuelatio*, quod vitiosum arbitror. Hartzhem. etiam habet *regulae*.

mas interdicunt: et est simpliciter E) *prohibita, quia mala generaliter vetita reprobantur: et quod non est Sanctorum decreto sancitum, sed potius interdictum, non est superstitiosis, contrariis, falsis adinuentionibus praesumendum. Quos errores praesentibus confutamus* F), *talesque excommunicatos et haereticos iudicamus, et nisi celeriter et publice resipiscant, seculari iudicio comprimendos.*

Et quod G) *amarycata* H) *mente ferimus, eorum aliqui layci* H) *litteras* I) *nescientes, Predicatoribus et Minoribus* K) *in sermonibus eorum, et predicationibus publicis, quibus in agro Theologice sapientie continue laborantibus, predicationis verbum per SS. ecclesiam est commissum et ministeriorum Dei et fidei secreta* L) *lucescunt, non sine vehementi suspicione prauitatis heretice publice restiterunt, in fidelium iniuriam, et sancte ecclesie, errorum et cecitatis caliginem in veritatis lucem spargentes, temere insultando* M). *Quorum insolenciis et pestiferis actibus* N) *quo possumus remedio, disponimus contraire, ne per taciturnitatem, eorum consentire delictis et per impunitatem eos fouere dampnabiliter censeamur. Eos* O) *igitur omnes et singulos presentibus requirimus et monemus, quatenus infra* P) *vnius mensis spatium, habitu huiusmodi assumpto dimisso, resumptoque priori, ad genus viuendi pristinum reuertantur,*

E) *interdicunt, et est simpl.*

F) *refutamus.*

G) *comprimendos. Et quod,* cohaerent sine vllo intervallo.

H) *amaricata,* et breui post *laici.*

I) *ac litteras.*

K) Hic notat Hartzhem. „Innocentii III. et Honorii III. „iussu, et Friderici II. Augusti „Constitutione a. 1220. Prae„dicatores et Minores contra „haereticos deputati commen„dantur.“ Tom. III. Concil. German. p. 507.

L) *commissum Dei et Fidei secr.*

M) *insultarunt.*

N) *actionibus.*

O) *censeamur: vos.*

P) *intra.*

manibus vite necessaria iustis, vt solebant Q), *laboribus acquirentes. Alioquin* R) *ipsos omnes et singulos, eis et cuilibet* S) *dicto mense pro canonica monitione et termino peremptoria currente, in hijs scriptis excommunicamus et a gremio matris ecclesie separamus, nisi medio tempore coram nobis causam rationabilem ostenderint, quare id facere minime teneantur. Quod si excommunicationis sententiam per alios XV. dies immediate sequentes animo sustinuerint indurato, contra ipsos tamquam de heresi suspectos spiritualiter et temporaliter procedemus. Sub* T) *simili pena mandantes et districte precipientes omnibus et singulis prelatis, ecclesiarum rectoribus, eorumque vicariis nostre ciuitatis et diocesis, quatenus ipsos* BECGARDOS, *et* BECGARDAS V), *ac qui se* APOSTOLOS *appellant, in suis ecclesiis excommunicatos, extunc publice denuntient tamdiu, donec suum recognoscentes excessum, ad gremium sancte matris ecclesie reuertantur, et Deo, nobis et ecclesie condigna satisfactione impensa, a nobis mereantur absolutionis beneficium obtinere.*

Legem hanc satis verbosam alia statim consequitur breuior: *Contra hereticos vtriusque sexus*, his verbis X):

Quia vero plus solet timeri, quod specialiter editur, quam quod generatim imperatur, excommunicamus Y) *et anathematizamus omnes hereticos vtriusque sexus, et qui eis dederunt* Z) *consilium, auxilium vel fauorem publice*

Q) in parenthesi (*vt solebant*).

R) *alioqui.*

S) *eorum cuilibet.*

T) *procedemus: sub.*

V) *Beggardos et Beggardas.*

X) In Hartzhem. hic incipit noua sectio, et veluti Cap. III. cum argumento praemisso: *Contra haereticos vtriusque sexus.*

Y) *imperatur: excom.*

Z) *dederint*, et breui post *praesumpserint*. Tandem Hartzhem. p. 106. haec adnotauit: *Ex editione Statutorum Colon. Quenteliana an. 1554.*

blice vel occulte, vel qui aliter de fide, articulis fidei, ecclesiasticis sacramentis et matrimonio sentire, predicare vel docere presumpserunt z), *quam seruat, docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra.*

Haec altera lex cur illi longiori addita sit, et quo consilio rogata, ex maiori lege haud difficulter intelligitur. Distinguuntur nimirum in ea *Beegardi* et *Beegardae* in eos, qui vestimentis tantum, consuetudinibus et ignauia sese a populo Christiano segregarunt, et in eos, qui praeterea pestiferis sententiis et erroribus populum contaminarunt, et a religione publica defecerunt. Quae in extrema lege priori extant cohortationes et comminationes, ad illos pertinent huius generis, in quos nondum cadebat corruptae religionis suspicio. Hi, abiectis nouis vestibus, moribus et mendicandi consuetudine, ad pristinum vitae statum redire iubentur, nisi exturbari ecclesia, et in haereticorum numerum referri velint. Breuior et seuerior lex ferit illos, qui suam ab ecclesia defectionem iam, detestabiles opiniones disseminando, et publicos doctores increpando, aperuerant. His poena, quam meruerant, dictatur, dum iuribus et communione ecclesiae priuantur et diris deuouentur.

§. VI.

Legem hanc Coloniensem, qui mediocri attentione considerat, rerumque aetatis, qua rogabatur, non satis peritus est, in eam facile opinionem veniet, *Beghardos* nomine etiam *Apostolorum* insignitos fuisse, et hoc sibi vocabulum ipsos arrogasse. Sociantur enim *Beghardi* et *Apostoli* eo fere modo, acsi vnius eiusdemque sectae essent, saltim non satis clare distinguuntur. At disiungent eos, quibus motus saeculi et diuersae factiones, quae rem publicam sacram tum turbabant, cogniti sunt, legisque maioris finem, in quo illi, *qui se Apostolos appellant*, a *Beegardis* haud obscure diuelluntur, diligentius

tius inſpexerint. Et ſunt nobis aliae leges, veterumque ſcriptorum teſtimonia in promtu, quae tenebras Colonienſis legis dispellunt, aperteque docent, *Apoſtolos* et *Beghardos* inter ſe differre, diuerſique moris et diſciplinae homines eſſe. *Apoſtoli* ſoboles erant gregis illius, quem GERHARDVS SEGARELLVS praecedenti ſaeculo, in agro Parmenſi, primum collegerat, et DVLCINVS, eo extincto, valde amplificauerat: cuius quidem factionis hiſtoriam ipſe olim ſermone Germanico exaraui. Venerant non nimis diu poſt ortum ſectae huius quidam eius legati in Germaniam, atque inter ruſticos et illiteratos homines breui tempore haud paucos ſibi amicos et ſectatores comparauerant. Qui quum indies augerentur, atque mendicando populis vehementer moleſti eſſent, iam A. 1287. in concilio Herbipolenſi aqua illis et igne interdicebatur *). *Reprobatos Apoſtolos volumus, quod nullus Clericus, nulla ſaecularis perſona, intuitu religionis eorum ac inſolito habitu, eos de cetero recipiat, aut eis alimenta miniſtret.* Verum ſuperſtitioni iam late diffuſae, et inertiae plebis faventi, tam facile modus poni haud poterat. Franconia expulſi ad Rhenanas partes deſcenderant, vbi aliis oppugnabantur legibus. Habebant illi cum *Beghardis* hoc commune, quod laborem fugiebant, et alimenta publice ab vrbium et agrorum incolis poſcebant, quod inſolito veſtitu oculos alliciebant hominum, quod denique magnam vultu grauitatem et ſeueritatem oſtendebant: quae ſimilitudo effecit haud dubie, vt eos HENRICVS, Colonienſis, coniungeret et vna ſanctione condemnaret, multique *Beghardorum* etiam nomine, quod ampliſſimae poteſtatis alioquin erat, eos nuncuparent. Ex quo non vanum prorſus me coniectorem fuiſſe olim, apparet, quum ſcriberem, *Apoſtolos* in Germania verſantes, cum *Beghardis* forte et *Lolhardis* noſtris compoſitos

et

*) IO. HARDVINI Concilia, Tom. VII. p. 1141.

et mistos fuisse *). Illae vero sententiae, quas praesul Coloniensis *Beghardorum* nonnullis exprobrat, omnes nullo modo in *Apostolos* cadunt: qui, tametsi non omnis flagitii et erroris puri fuerunt, haud tamen eo processerunt amentiae, vt vel libidini patrocinarentur, vel Supremo Numini iniuriam inferrent. Anno, Coloniense hoc concilium sequente, 1307. dux et magister *Apostolorum*, DVLCINVS, misere, in Italia peribat: at secta eius, quae magnam Europae partem iam peruaserat, diu post obitum hominis varias prouincias turbare pergebat: cuius rei, occasione sic ferente, testimonia quaedam hic proferam in *Historia Apostolorum* omissa. HERMANNVS COERNERVS, Saeculi decimi quinti historicus non contemnendus, et certae plerumque fidei, originem moresque sodalitatis *Apostolicae* satis accurate explicat **): in quo EGGHARDVM, nescio quem, scriptorem nondum editum, sequutum se esse tradit. *Quidam*, inquit, *Gerhardus Satarelli de Perma, secundum Egghardum, nouam sectam inueniens, instituit ordinem Apostolorum, cuius ordinis fratres nemini subesse deberent nisi soli Deo. Hi fratres currere deberent per mundum euangelizando verbum Dei, et solum viuere deberent de eleemosynis. Habitus eorum deberet esse mantellus albus ad modum pallii ad collum eleuatus cum tunica alba in longis crinibus, et quandoque in soleis deberent incedere, et quandoque nudis pedibus, secundum exigentiam locorum et temporum. Hi licet exterius boni apparerent in habitu, interius tamen erant incontinentiae vacantes, et spurcitiis pleni.* In his nomen parentis sectae emendationis indiget: SEGARELLI enim dicebatur, non *Satarelli:* cetera cum illis congruunt,

*) Historia Ordinis Apostolor. Germanice scripta, p. 302.

**) Chronico ad A. 1261. in IO. GEORGII ECKARDI Corpore scriptorum medii aevi, Tom. II. p. 906.

gruunt, quae ex monumentis, fidem merentibus, olim narraui, nec abhorrent valde a mea de anno *Apostolorum* natali coniectura. Veri ego simillimum censui, A. 1260. ordinem hunc hominum exortum esse: COERNERVS ad sequentem, 1261. initium eius refert: cui qui adsentiri malunt, quam mihi, me haud inuito id facient. Adiicit ille, Alexandrum IIII. et Nicolaum IIII. Pontifices Maximos, societatem Apostolorum propositis legibus dissipare voluisse: in quo eum memoria ex parte fallit. Alexander IIII. quem A. 1261. diem obiisse constat, quo vix prima fundamenta familiae suae SEGARELLVS iecerat, nihil in eam statuit: at HONORIVS IIII. eam publico edicto princeps aggressus est. Postremo COERNERVS Pontificum illorum leges non impedire potuisse memorat, ne perniciosa illa sodalitas ad Bonifacii VIIII. tempora duraret: *Durauit tamen haec secta perniciosa vsque ad tempora Bonifacii IX. habens errorum suorum multos discipulos et magistros.* Igitur quum Bonifacius VIIII. A. 1404. decesserit, per totum fere saeculum post praecipui doctoris et praefecti sui, DVLCINI, tristissimum obitum, Apostolorum factio Pontificum mandatis restitit. A. 1310. concilium Treuiris congregatum recipi eos et ali, seuere vetabat *). *Item, inhibemus sub poena excommunicationis, nequis in nostra ciuitate, dioecesi et prouincia Treuirensi, aliquem vel aliquos de illis rusticis,* QVI SE APOSTOLOS APPELLANT, *in domum suam recipiat, aut eis eleemosynam eroget, cum, prout in antiquis statutis synodalibus continetur, sedes Apostolica tales reprobauerit, et in eorum receptores et fautores excommunicationis sententiam tulerit ipso facto.* Inscriptum est hoc decretum: *Contra Begardos vt non recipiantur:* quod argumento iterum est, *Begardorum* vocabulum ad *Apo-*

*) EDVARD. MARTENE Thesauro Anecdotor. nouiss. Tom. IIII. p. 250.

Apostolos etiam translatum fuisse. Excipit illud alia lex in id *Begardorum* genus, de quo hoc capite agimus: atque hi, vt ab *Apostolis* secernantur, *Begardi laici* sigillatim nominantur. Index legis, quam paullo post proferemus, est *Contra Begardos Laicos.* Plus ergo in Treuirensis concilii patribus cautionis erat et consilii, quam in HENRICO, Coloniensi antistite, cuius lex huic disputationi occasionem dedit. Hic enim quum vna lege *Apostolos* et *Beghardos* ita coniungeret, vt ab imprudentibus confundi facile possent; illi prouide haec duo genera distinxerunt, et binis separatis decretis condemnarunt. Forte tantum valuerunt hae in *Apostolos* sanctiones, vt plerique eorum prouinciis Rhenanis excederent, et in finitimam Galliam proficiscerentur. Certe Narbonensis in Gallia prouincia diu post hoc tempus valde querebatur de eorum facinoribus, et conciliorum legibus ea cohibere studebat. A. 1368. in concilii Vaurensis decretis vigesimum quartum eis opponebatur, quod nunc omitto, quoniam alio loco iam productum est *). Sexennio post A. 1374. antistites, qui Narbonae conuenerant, id decretum sibi repetendum, et nouis quodammodo neruis instruendum esse censebant **): *Cum quidam, qui se dicunt Apostolos et Religiosos se fingunt, extiterint suis exigentibus demeritis per sanctam sedem Apostolicam excommunicationis vinculo innodati, et post, dum per orbem incedunt vagabundi, in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa fidem, volumus et etiam ordinamus, quod vbicunque infra nostram prouinciam inuenti fuerint, capiantur, et diocesanis, in quorum diocesibus capientur, remittantur examinandi, corrigendi et etiam puniendi, vt iuris fuerit et etiam rationis.* Neque dubito, quin plura Germa-

*) STEPH. BALVZII Concilia Galliae Narbonensis, p. 169. IOH. HARDVINI Concilia, Tom. VII. p. 1818.

**) BALVZII Conciliis Gall. Narbon. p. 317.

maniae Galliaeque concilia, quorum adhuc leges latent, pari eos feueritate coercere ftuduerint. Atterebat conftans hic feruor fectam, non opprimebat: quae ad extremas fenfim Germaniae oras, quas fecuriores opinabatur, perueniebat. A. 1402. in Saxonia inferiori, Lubecae, homo quidam huius gregis, WILHELMO cui nomen erat, flammis a magiftratu confumebatur: cuius quidem hiftoriam HERMANNVS COERNERVS, ipfe Lubecenfis, et tragoediae fortaffis fpectator, memoriae mandauit *). *Wilhelmus*, inquit, *quidam, albis veftibus indutus, et pro* APOSTOLO *fe gerens, venit in vrbem Lubicanam, et multo tempore inibi degens vitae fuae ftrenuitate ad extra apparente, multos homines fibi fecit familiares et fauorabiles vtriusque fexus. Sed tandem malitia fua ad intra palliata, in patulum prodire cepit, per varia impudicitiae figna, et verba diuerfis perfonis expreffa, et turpia exercitia cum pluribus habita. Propter quod a bonis et honeftis mulieribus accufabatur apud Inquifitorem haereticae prauitatis, Magiftrum Eylardum de ordine Praedicatorum, tamquam de haerefi fufpectus. Qui ipfum capi fecit per famulos ciuitatis praedictae, et coram multis Clericis, Religiofis et Laicis diligenter ipfum examinauit pluribus vicibus. Quem poftremo, multis audientibus, diuerfis erroribus et haerefibus infectum reperiens, carceri adiudicauit, et emendam poenitenti crucem vt poenitenti mifericorditer impofuit.* Ingenue et bona fide COERNERVS flagitia et delicta WILHELMI huius exponit. Neque enim hominem violaffe mulieres aut ftupraffe fignificat: cuius criminis tot alii *Apoftolos* arguunt: fed tantum *figna impudicitiae* edidiffe, *verba* parum cafta protuliffe, *turpia* denique *exercitia cum pluribus* aufum fuiffe

*) in Chronico ad A. 1402. v. ECCARDI Corpus fcriptor. medii aeui, Tom. II. p. 1185. Conf. eundem eo loco, vbi origines fectae Apoftolorum explicat, p. 906.

fuisse memorat. His peccatis operam dedisse *Apostolos*, certum est: quippe qui omnia sibi illa permittebant in sororibus suis et aliis mulieribus, quae inflammata libido dictat, et quibus ea alitur et augetur, et tantum sibi virtutis esse praedicabant, vt vltimum eius furorem continere et sistere possent. Non enim illum perfectum existimabant, qui nascenti libidini resistere, sed qui ad supremum gradum elatam, et impudicis artibus concitatam, fallere et frangere valeret. Hinc turpia illa, quae COERNERVS indicat, *exercitia:* quorum frequenti repetitione absolutam animi libertatem et stuporem velvti seu duritiem, hominem consequi paullatim posse praecipiebant. EYLARDVS ille, *haereticae prauitatis inquisitor*, qui flagitiosum illum *Apostolum* comprehendi iubebat Lubecae, postquam a mulieribus sanctae eius nequitiae impatientibus accusatus erat, EYLARDVS est SCHONEVELD, Germanus, quem BONIFACIVS VIIII. ante triennium, decimo Pontificatus sui anno, siue A. 1399. *), tamquam principem eorum, quibus potestas, haereticos in Germaniae inferioris partibus ecclesiae insultantes comprimendi et exstirpandi, credita esset, vniuerso sacro ordini, et omnibus magistratibus diligentissime commendauerat. Obtulit sese mihi in codice aetatis illius membranaceo manu exarato, ipsa Pontificis epistola: quam rerum veterum Germanicarum studiosos non sine delectatione quadam lecturos hic esse confido. Est vero haec:

BONIFACIVS, *Episcopus, Seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis, electis Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebanis, Recto-*

*) Lapsus est auctor inclutus in hoc anno definiendo. Scribendum erat 1400. Adeptus enim est Bonifacius dignitatem pontificiam a. 1390. vid. eius Institutt. H. E. p. 576. et Walchii Historie der Römischen Päpste, p. 324.

Rectoribus, et aliis ecclesiarum et monasteriorum Praelatis et ipsorum vices gerentibus [1]), *Capitulis quoque ecclesiarum et monasteriorum conuentibus, ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, nec non Nobilibus Viris, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Landgrauiis* [2]), *Comitibus, Baronibus, Seneschallis* [3]), *Iusticiariis, Potestatibus, Capitaneis, Rectoribus, Baliuis, Officialibus, Militibus, Clientibus, ceterisque Dominis temporalibus, Vniuersitatibus quoque et Communitatibus ciuitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, villarum et aliorum quorumcunque locorum, ac Magistris ciuium, Consulibus, Scabinis, Scultetis, et* [4]) *aliis vniuersis ac singulis, ad quos praesentes litteras peruenerint, salutem et Apostolicam benedictionem!*

Sanctae Inquisitionis officium a felicis recordationis praedecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, contra haeretica labe respersos salubriter institutum, quantumcunque priuilegiatum esse noscitur [5]), *nequaquam tamen efficaciter exerceri posset, nisi ipsis Inquisitoribus Cleri et populi, praesertim Praelatorum, et Principum, ac aliorum iurisdictionem temporalem pro loco et tempore habentium, debitus feruor* [6]) *fideliter assisteret consiliis et auxiliis oportunis. Ea propter deuotionem vestram in Domino exhortamur pariter et rogamus, immo* [7]) *vt ex ipsa obedientia meritum vobis accrescat, vobis omnibus et cuilibet vestrum auctoritate Apostolica districte praecipimus et mandamus, quatenus dilecto filio,* EYLARDO SCHONEVELD [8]), *Ordinis fratrum Praedicatorum Professori, in sacra Theologia Magistro, ac* in

Lectionis varietas, suppeditata a Cod. MS. Helmstadiensi.

1) *vicesgerentibus.*
2) *Lansgrauiis.*
3) *Senescallis.*
4) *ac.*
5) *noscatur*, ex litterarum compendio.
6) *fauor.*
7) *ymmo.*
8) *Schoneveld.*

in certis Alemanniae [9]) *prouinciis et partibus haereticae* [10]) *prauitatis Inquisitori, auctoritate Apostolica* [11]) *deputato, et aliis Inquisitoribus eiusdem ordinis, eadem auctoritate in iurisdictionibus vestris etiam deputatis, ac in posterum deputandis, nec non eorum Commissariis praesentibus et futuris, dum et quotiens id a vobis aut aliquo vestrum ab eis vel eorum aliquo fuerit requisitum, in omnibus efficacem dicti officii prosequutionem* [12]) *concernentibus prompte et fideliter assistatis, et subiectos vestros eisdem efficaciter parere faciatis, arrestando* [13]), *capiendo, deducendo, et custodiendo quoscunque haereticos* [14]), *seu de haeresi* [14]) *suspectos aut diffamatos, eorumque credentes, fautores, receptatores et defensatores, contra quos iidem Inquisitores coniunctim vel separatim pro tempore procedendum decreuerunt* [15]), *et alias sicut expedierit, consilium et auxilium ac fauorem deuotis mentibus impendatis, praebentes* [16]) *eisdem vestros carceres, quibus officium praefatum in partibus vestris carere dicitur, donec eidem officio de certis* [17]) *domibus seu carceribus sit prouisum, eisdem Inquisitoribus, dum et quotiens eos caussa Inquisitionis apud vos morari contigerit, in eundo, stando et redeundo cum ipsorum societate, rebus et familia saluum, liberum et securum conductum nihilominus tribuendo ac in his* [18]) *omnibus vos taliter exhibendo, quod Christianae* [19]) *fidei zelatores esse et videri, ac apud Deum, cuius hac in parte* [20]) *res agitur, de vestra fideli obedientia praemium consequi mereamini* [21]) *sempiternum. Datum Romae apud S.*

9) *Alamanie.*

10) *heretica.*

11) *apostolico*, haud dubie per errorem.

12) *prosecutionem.*

13) *arestando.*

14) *hereticos — heresi.*

15) *decreuerint.*

16) *prestantes.*

17) compendium litterarum suggerit *certibus*, haud dubie per librarii errorem.

18) *hijs.*

19) *Christiane.*

20) *in hac parte.*

21) *mereamur*, ita plane scriptum.

Petrum [22]) *XIIII.* [23]) *Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.*

Aperit haec Pontificis epistola caussam, quare EYLARDVS *Apostolum* illum per *famulos urbis* Lubecae ceperit, et hi dicto ipsi statim in eo negotio audientes fuerint. Habet alioquin proprios ministros et lictores sancta, quae vocatur, *Inquisitio:* verum in plerisque Germaniae partibus, quod haec ipsa docet epistola, multum ea firmitatis nondum acquisiuerat, nec vel certis domibus et carceribus, vel proprio satellitio vtebatur. Quam propter caussam BONIFACIVS magistratus iubebat suos praebere *Inquisitoribus* et famulos, et carceres: in quo Lubecenses mandato Pontificis parebant. *Apostolus* ille comprehensus fatebatur publice facinora, quae admiserat, emendationemque pollicebatur, sperans sine dubio, veniam sese per hanc ingenuitatem consequuturum esse, poenaque tolerabili affectum iri. Neque spes eum ex toto fallebat. EYLARDVS enim hominem capitalis poenae absoluebat; at crucem ex collo gerere in posterum, ad certum sine dubio tempus, iubebat. Alii *Inquisitores* vestem cruce, aut binis etiam crucibus, signatam haereticos, qui ad frugem redierant, erroresque eiurauerant, ferre volebant: qui mos hodie potissimum obtinet. Atqui poena haec, in mediocribus licet sit, minime tamen leuis, sed cum famae, honoris, commodorum detrimento, summaque miseria coniuncta est. Ignominiosa illa cruce notati, plerumque populi contumeliis et iniuriis excipiuntur, quas patientissime eos deuorare oportet, tamquam pestes ab omnibus vitantur, omnique auxilio et ope priuantur: neque facile quisquam, cui salus sua curae est, operae cuidam eos adhibere, aut beneficium aliquod illis erogare audet. Quae miseria multos eorum ita frangit, vt ei mortem anteponant, et ad extrema quaeuis delabantur. Idem *Apostolo* huic

22) *Romae a. Sanctum Petr.* 23) *XVI.* sic scriptum est.

huic accidebat: qui, quum antea commode alienis ex opibus et honestissime vixisset, atque in posterum desertum sese et maximis calamitatibus expositum fore provideret, ad desperationem adactus, priusquam custodia educeretur, crucem de collo detrahebat, et pedibus conculcabat: qua temeritate supremum sibi supplicium consciscebat. Haec ita COERNERVS narrat: *Cum autem in carcere constitutus esset, crucem, quam Inquisitor ante dictus humiliter ferendam sibi imposuerat, cum irreuerentia et contemtu contumeliose de collo rapuit, videntibus carceris custodibus, et ipsam in terram proiecit, et pedibus calcauit. Quod facinus cum inquisitori indicaretur, dictum haereticum de carcere tulit, et cum magna solemnitate, in publico loco, coram infinita populi multitudine, post sermonem gloriosum ab eodem Inquisitore factum, ipsum iudicio seculari tradidit tamquam relapsum et ignibus comburendum. Qui tandem combustus est.* Infelici huic WILHELMO socius erat BERNHARDVS. Is, capto familiari suo, Lubecam relinquebat, et Wismariam, vrbem modico spatio Lubeca distantem, sese conferebat. Sed EYLHARDI nostri, diligentissimi haereticorum venatoris, sagacitatem effugere non poterat; qui, quum sequenti anno 1403. in sacro itinere suo, Wismariam perueniret, eum pariter igne consumi curabat. Testis idem est COERNERVS: *Similiter et in vrbe Vismariensi dictus Inquisitor pro eodem tempore quendam Beggardum, socium Wilhelmi in Lubeka incinerati, Bernhardum nominis, examinatum et haereticum inuentum induratum comburi fecit.* Hominem hunc historicus non *Apostolum* fuisse dicit, sed *Beggardum* nominat: quod vocabulum WILHELMO illi non tribuit. Vnde hic eius locus illis adiici posse videtur, ex quibus *Beghardorum* et *Apostolorum* discrimen liquet. Neque hanc sententiam societas hominum illorum infirmat. Tantum enim non intererat inter mores opinionesque *Beghardorum* et *Apostolorum*,

 vt

vt nullam communitatem inter se, maxime in illis regionibus, vbi par vtrisque periculum imminebat, alere possent. Vtrique mendicabant et turpissimis actionibus gaudebant, diuersis licet ducti rationibus. At nolo tamen confidenter adseuerare, non eiusdem sectae hoc combustorum fratrum par fuisse, quoniam certissimum est, *Beghardorum* nomen *Apostolis* etiam saepissime datum fuisse.

§. VII.

Iam ad legem HENRICI, Coloniensis, in *Beghardos*, vnde haec de *Apostolis* disputatio nata nobis est, reuertor. Ex binis constat partibus: quarum priori antistes generatim in *Beghardos*, quos cum *Apostolis* non satis prudenter coniungit, vehementer declamat: altera vero eos sigillatim persequitur et refellit, qui hos inter *Beghardos* nouis et perniciosis studebant sententiis: ea enim aequitate et moderatione HENRICVS vtitur, vt non vniuersae familiae crimen vitiatae religionis obiiciat, sed plerosque legum tantum ab ecclesia latarum contemtores esse, confiteatur. *Beghardos* et *Apostolos* in vniuersum homines ait *idiotas*, siue rudes et illitteratos esse, rusticos et opifices, qui labore manuum, vnde antea vixerant, dimisso, tristi et pallente vultu victum ab aliis poscant, eumdemque propter iustitiam et sanctitatem suam sibi deberi contendant, insolito praeterea vestitu et ritibus ac institutis, non ab ecclesia praescriptis, sed ingenio suo inuentis, populo sese commendare nitantur. Haec omnia nihil habent dubitationis, siue ad *Beghardos* proprie sic dictos, siue ad *Apostolos* referantur, si primum demas, quod non sine exceptione admitti posse videtur. *Apostolos* omnes, qui Germaniam turbarunt, litterarum prorsus expertes, infimique ordinis homines fuisse, testatum est: *Beghardorum* vero quosdam ingenio et doctrina, pro aetatis illius captu, valuisse, vel ea, quae ipse antistes de erroribus eorum sub-

ſubiicit, demonſtrant: qui quidem errores ab hominibus ſcientia, ſubtilitate et eruditione prorſus vacuis nullo modo defendi poterant. Acriter autem pro illis pugnabant, qui eis imbuti erant, et nonnulli quidem, quod ipſe Archiepiſcopus ſignificat, tam imprudenter et audacter, vt publice *Minores et Praedicatores*, id eſt, Franciſcani et Dominicani gregis ſodales, inuadere et confutare non dubitarent. Et patebit, quum ad interiorem diſciplinae *Beghardorum* rationem explicandam veniemus, neque ab ingeniis obtuſis eam excogitari, neque a ſtupidis prorſus et inertibus comprehendi, tradi et ornari potuiſſe. Verum ea aetate *idiotae* omnes putabantur et dicebantur, qui publicarum ſcholarum inſtitutione non vſi fuerant, nec probatis magiſtris operam dederant. Quicumque ex *Beghardis* his reliquis delictis ſuis haereſin addebant, et opiniones religioni publicae repugnantes diſſeminabant, principes ſine dubio et duces factionis erant, quorum reliqui praeceptis et monitis obtemperabant. Negat antiſtes Colonienſis, ſe omnes eorum errores enumeraturum eſſe: in quo minime fallit. Plurima enim eorum ſcita praetermittit: et quae refert, non illa ſunt prima totius diſciplinae initia, ex quibus pendent omnia, ſed conſectaria tantum quaedam ex principiis eius orta, quae nude ac ſimpliciter poſita ex toto intelligi non poſſunt. Primum arrogantiſſimi perhibentur eſſe mortalium, quod *peccandi ſeſe periculo carere, et eam propter rem Dei ſimiles eſſe*, praedicent. Deinde *vxoribus officium* imponere dicuntur *virginitatis ſuae iacturam acerbe deplorandi, ſi quidem ſalutem aliquando conſequi velint.* Porro *Deum fore in perditione quadam*, arguuntur tradere: quod dogma, tametſi vehementer obſcurum eſt, ab Archiepiſcopo tamen non declaratur, ſed vehementer tantum caſtigatur. Nos interpretabimur ſuo loco hanc ſententiam: nunc monuiſſe ſatis ſit, non ita diſerte docuiſſe *Beghardos*, verum aduerſarios eorum ex illis, quae de Deo et humana natura ſtatuebant, abominan-

dum hunc errorem ratiocinando elicuisse. Quartum flagitium, quod non omnibus tamen, sed nonnullis tantum tribuitur, multo et clarius est, et creditu facilius. Eo enim facile multi sectae suae studio delabi potuerunt, vt praeciperent, *licitum esse maritis, vxores etiam inuitissimas deserere, quo animarum suarum saluti consulant.* Quintus error is ipse est, propter quem nomen *sectae liberi spiritus*, et ipsi sibi sumebant, et ab aliis accipiebant. Docebant nimirum, pessime verba S. PAVLLI detorquentes, *eos sub lege non esse, qui Spiritu Dei agantur:* quorum in numero quum se ipsos esse, contenderent, consequens erat, vt scriptas sibi leges diuinas esse negarent. Postremo sciscere eos significat praesul, *concubitum hominum matrimonii vinculo solutorum non esse illicitum.* Haec omnia quonam iure adscribantur *Beghardis*, quamnam vim et quem sensum habeant, ex quibus denique fontibus manauerint, inferius, quantum licebit, demonstrabitur. Seuera licet haec lex progressum sectae, quae altas dudum radices, maxime in vrbe Coloniensi, egerat, sistere nullo modo, multo minus eam exstirpare poterat. Erant ei duces atque magistri non modo audaces, qui, quod ipse non reticet Archiepiscopus, sodalibus Franciscanis et Dominicanis publice sese obiicerent, verum etiam, quod multa suadent, facundi et subtiles, quorum dissoluendis contradictionibus impares erant, quibus haereticos coercendi officium commissum erat. Disputatore igitur opus esse videbatur exercitato atque robusto, qui rationibus et argumentis obtundere turbam loquacem posset, quam legibus et minis concilium vincere non poterat. Qua de re supremus Franciscanae familiae praefectus quum monitus esset, magnum illum IOHANNEM DVNS SCOTVM, quem in gentis suae heroibus Franciscani numerant, et THOMAE AQVINATI opponunt, Lutetia Parisiorum, vbi maxima cum laude docuerat, Coloniam proficisci A. 1308. iubebat, et cum *Beghardis*

dis Apostolisque congredi. Memorantur et aliae itineris Coloniensis, quod SCOTO suscipiendum fuit, caussae a vitae eius scriptoribus:. verum hanc in praecipuis ponit MATTHAEVS FERCHIVS VEGLIA *in vita Scoti*, et praeter hunc alii etiam, quod CAESAR EGASSE de BOVLAY obseruat *). Dabo ipsa FERCHII verba, quae LVCAS WADDINGVS mihi suppeditauit **): *Emerserat ante aliquot annos secta Begardorum, et illorum, qui se de ordine Apostolorum, superbe nimis, nuncupabant, toties, vt alias dicam, a Pontificibus condemnati, qui etiam fricta fronte a fidei Catholicae linea exilientes, aduersus fidei Catholicae satores insurgebant, praesertim aduersus Fratres Praedicatores et Minores, eo vsque, vt iis, conciones habentibus, haeretici publice obsisterent, ac petulanti postulatione congredi auderent. Erant Coloniae plures ex Dominicana familia, alumni Alberti Magni Anno MCCLXXXVI. inde in coelum assumpti. Minoritae, lectore eorum defuncto, anno MCCCV. hac de re Generalem Gonsaluum vel soli, vel etiam cum Archiepiscopo Coloniensi, fecere certiorem. Generalis pro zelo Christianae fidei et Religionis Franciscanae feruentissimus, illuc* IOHANNEM SCOTVM *numquam disputando victum, ad truces haereticos reuincendos ac radicitus euellendos direxit. Nam etsi Beguardi atque Beguinae in Italia, Prouincia, aliisque in locis ebullierint, audaces nimis et effrontes erant in Germania, eoque prorumpebant insolentiae, vt publicis in concionibus, in medio plenissimorum consessuum, insurgerent in Praedicatores et Minores illorum haereses e rostris damnantes.* Caute licet ac prouide hic loquatur FERCHIVS, haud tamen dissimulat, ex paucitate Dominicanorum et imbecillitate Franciscanorum Coloniae tum commorantium audaciam

*) Histor. Academ. Parisiens. Tom. IIII. p. 970.

**) Annal. Ordinis Minor. Tom. VI. ad A. 1308. p. 108.

ciam et numerum Beghardorum creuisse, ideoque necessarium fuisse, vt homo eo mitteretur auctoritate ac ingenio praeditus, qui prostratis pene fratribus opem ferret: sed omittit tamen ille aliquid, quod ad caussas legationis tam illustris plane intelligendas haud parum conducit. Salus ecclesiae in hoc negotio cum salute fratrum Mendicantium arctissime coniuncta erat. Multitudo *Beghardorum* et *Apostolorum*, in vrbe et tractu Coloniensi degentium, non modo plurimum inuidiae Dominicanis et Franciscanis apud populum comparabat, verum etiam, quod clare significat Archiepiscopus in lege, quam supra descripsi, vitae alimenta subtrahebat. Ipsa nempe instituti nouitas et austeritas Colonienses inuitabat, vt *Beghardis* mendicantibus dare mallent, quam eorum inimicis. Quare verendum erat, ne aut solum vertere, aut esurire cogerentur Dominicani et Franciscani, nisi reprimerentur homines, tantum malum molientes. Colonienses aduenientem SCOTVM, cuius subtilitatem vniuersa fere Europa celebrabat, incredibili gaudio, magnaque pompa excipiebant. Atque is sine mora negotium, cuius caussa missus erat, aggrediebatur, et proteruos *haereticos* inuadebat. Id WADDINGVS ex inscriptione sepulcri eius constare iudicat, in qua haec inter alia leguntur:

Concepta est virgo primi sine labe parentis,
Hic tulit; hic heresi praelia dura dedit.

Neque ego huic iudicio valde repugnem, tametsi verba, ex quibus hoc efficit, commodissime ad eorum *haeresin* referri queant, qui sanctam virginem, MARIAM, sine labe et macula conceptam esse, negabant. Verum spem omnem, quam in eo Colonienses collocauerant, inopinata viri acuti mors intercipiebat. Eodem enim, quo venerat, anno, mense Nouembri, Coloniae supremum diem obibat.

§. VIII.

§. VIII.

Biennio post et Moguntini, et Treuirenses, exemplum Coloniensium antistitum imitabantur, atque pari studio *Beghardos* conciliorum edictis configebant. Moguntini, quod supra vidimus, iam A. 1292. in concilio Aschaffenburgensi homines ad officium redire iusserant. Eam vero legem PETRVS, praesul Moguntinus, in concilio, quod A. 1310. Moguntiae *secunda, tertia et quarta feriis post Dominicam Iubilate* celebrabat, repeti curabat *). Eodem fere tempore, d. XXVIII. mensis Aprilis, iussu BALDVINI, Archiepiscopi, Treuirenses Pontifices in templo S. Petro dicato conueniebant, atque plurima inter decreta, quae reipublicae sacrae salus exigere videbatur, duo etiam in *Apostolos* et *Beghardos*, quos recte distinguunt, ferebant. Alterum, quod *Apostolos* coarguit, paullo ante vidimus: nunc illud audiamus, quod *Beghardos* damnat. Quinquagesima prima est inter leges concilii, quas EDMVNDVS MARTENE luci restituit **). *Item, cum quidam sint laici, in ciuitate, dioecesi et prouincia Treuirensi, qui sub praetextu cuiusdam religionis fictae* BEGARDOS *se appellant, cum tabardis et tunicis longis, et longis capuciis cum otio intendentes, ac labores manuum detestantes, conuenticula inter se aliquibus temporibus faciunt et conseruant, seque fingunt coram personis simplicibus expositores sacrarum scripturarum: nos vitam eorum, qui extra religionem approbatam validam* ***) *mendicantes discurrunt, monemus omnes et singulos huiusmodi Beghardos, quos a quolibet parochiali presbytero a sua parrochia moneri volumus diligenter, vt infra quindenam a praemissis desistant, et de laboribus suis viuant,* circa

*) IOHANNIS Scriptores rerum Moguntinar. T. III. p. 298. f. Lex ipsa supra descripta est a nobis §. III.

**) Thesauro Anecdotorum nouissima, Tom. IIII. p. 250.

***) Forte loco *validam* legi debet: *validi*.

circa labores sicut ceteri homines se exponant: alioquin ipsos et quemlibet eorum, quos excommunicamus in his scriptis, denuntiari in parrochialibus ecclesiis excommunicatos praecipimus et mandamus singulis diebus dominicis. Inter has binas leges, Moguntinam et Treuirensem, illamque, de qua copiose disseruimus, Coloniensem, hoc interest potissimum, quod haec vitiatae religionis, siue *haereseos Beghardos* postulat, et grauissimos eis errores, multis saltim eorum, exprobrat, illae vero tantum in crimen nouae cuiusdam disciplinae homines istos vocant. Ex quo recte efficias, magnam adhibuisse eos plerisque in locis cautionem, ne in vulgus effluerent opiniones, quibus discipulos suos imbuebant. Et Coloniensis antistes princeps inter Germanos perspexisse, nec tamen satis luculenter perspexisse videtur, sub illa sanctitatis, quam ostentabant, larua licentiam quamdam vitae ac morum reconditam latere, singularemque, quam sectabantur, viuendi rationem ex prauis opinionibus proficisci. Treuirense sigillatim decretum id, quod reliqua omittunt, in eis culpat, quod pro sacrarum litterarum interpretibus sese gerant, atque in conuentibus suis populo diuinos libros explicare audeant. Magnum hoc ea aetate facinus erat, qua pius is putabatur, qui ecclesiam vnice audiebat; impius vero, qui oracula ipsius Domini consulenda sibi esse sciscebat, quo de vera eius voluntate certus fieret. Sed qui tam studiose in Germania dogmata sua occultabant, illi aliis in prouinciis minus prouidi mysteriorum suorum custodes erant. Eius rei eo ipso anno, quo leges illae Treuiris et Moguntiae ferebantur, triste exemplum praebebat Lutetiae Parisiorum mulier quaedam huius sectae, MARGARETHA PORRETA: quae quum scita, quae ex Beghardis in Belgio hauserat, nimis aperte proponeret, immo libro quodam explicaret, neque vt ea repudiaret, adduci posset, ignis supplicio affecta est. Hanc ego mulierem principem esse puto omnium, qui ex *Beghardis* parum castae

castae sapientiae suae poenas ecclesiae dederunt. Solus fere infelicis feminae historiam memoriae prodidit Monachus ille, qui GVIL. de NANGIS *Chronicon* accessionibus suis auxit: ex quo vno sua sumserunt omnes, qui rem eamdem litteris mandarunt *). Sic vero ille **): *Circa festum Pentecostes accidit Parisiis, quod quaedam Pseudomulier de Hannonia, nomine Margaretha, dicta Porrette, quemdam librum ediderat, in quo omnium Theologorum iudicio, qui ipsum diligenter examinauerunt, multi continebantur errores et haereses, et inter ceteras, quod anima annihilata in amore conditoris sine reprehensione conscientiae, vel remorsu, potest et debet naturae, quidquid appetit et desiderat, concedere: quod manifeste sonat in haeresin. Dum libellum hunc aut contentos in eo errores abiurare nollet, quinimmo latam in se excommunicationis sententiam ab Inquisitore haereticae prauitatis contemneret, quia coram episcopo sufficienter monita comparere nolebat, et per annum vel amplius pertinaci sustinuisset animo in sua malitia finaliter indurata, tandem in communi platea Grauiae coram Clero et populo, ad hoc specialiter euocatis, de peritorum consilio exposita est, et tradita curiae saeculari: quam Parisiensis Praepositus in sua potestate statim accipiens, ibidem in crastino incendio fecit exstingui. Multa tamen in suo exitu poenitentiae signa ostendit nobilia pariter ac deuota, per quas multorum viscera ad compatiendum ei pie ac etiam lacrymabiliter fuisse commota, testati sunt oculi, qui viderunt.* Satis ingenue Monachus rem narrat, cuius ipse testis fuisse videtur. *Beguinae*

*) HENR. SPONDANVS Continuat. Annal. Baronii, Tom. I. p. 373. Benedictini Monachi in Gallia Christiana, Tom. VII. p. 124. GERH. du BOIS historia Eccles. Paris. Tom. II. p. 560. CAROL. PLESSIS d'ARGENTRE in Collectione Iudiciorum de erroribus nouissimis, Tom. I. p. 282. et alii plures.

**) in LVCAE DACHERII Spicilegio scriptorr. veterum, Tom. III. p. 63. ed. nouae.

nae quidem vocabulo mulierem non notat: verum capitalis ille error, quem in eius libro tradit inuentum esse, satis indicat, quo de grege fuerit. Hoc enim, quod postea videbimus, in primis erat *Beghardorum* praeceptis: Non pollui hominem naturae instinctui et voluntati parentem, si anima in libertatem vindicata, supremoque Numini, vnde manasset, per amoris vinculum innodata, seu contemplando in ipsam diuinam essentiam reducta fuerit. Quo scito, cuius nostra aetate inter *Beghardorum* posteros, illos puto, qui *Mysticorum* nomine laudari volunt, satis multa relicta sunt vestigia, scelerati homines haud pauci ad omnem nequitiam, et ad explendas nefarias libidines abutebantur. Quare recte coniecit PETRVS BRVMOI, Iesuita, ex numero *Beguinarum* illarum, quas CLEMENS VII. peculiari lege damnauit, hanc Margaretham fuisse *). Mihi vero in promtu est testimonium, quo hanc coniecturam supra omnem dubitationem eueham. Id IOHANNIS est BACONTORPII, Carmelitae Angli, qui hac ipsa aetate inter Scholasticos doctores inclytum nomen sibi peperit, et inter alia *Commentarium in Lombardi sententias* reliquit**): in quo de hac ipsa muliere loquens, eam *Beghinam* fuisse clare significat. Excerpsit verba eius IO. BALEVS***): *Beguina quaedam, quae libellum aduersus Clerum ediderat, prope Parisium combusta fuit, cum quodam conuerso, qui a fide (vti dicunt) apostatasset.* Haec verba hominis, in quem nulla cadit hac in re malae fidei suspicio, praecipuam funestae mor-

*) Histoire de l'Eglise Gallicane, Tom. XII. ad A. 1310. p. 535. Praeiuit dudum Iesuitae huic HENR. SPONDAN. Annal. Eccles. ad A. 1311. n. VIII. p. 376. *Beguinarum auctrix aut praecipua propagatrix putatur fuisse Margareta Porreta.*

**) vid. IO. ALB. FABRIC. Biblioth. Lat. medii aeui, Tom. I. p. 433.

***) de Scriptoribus Britannicis Centuria II: I. n. 88. p. 367. Basileae 1557. fol.

mortis miserae illius mulieris caussam a Monacho, ex quo historiam eius recitaui, celatam esse, demonstrant. In sacri ordinis vitia ea potissimum in libello suo inuecta erat: quo si crimine caruisset, mitius, nil dubito, cum ea fuisset actum. Moris id erat plerisque omnibus *Beghardis*, qui, externo cultu Dei spreto, sublimem quamdam mentis pietatem et adscensum ad Deum profitebantur, vt sacerdotibus, quibus religiones spectabiles potissimum curae erant, maledicerent, rempublicamque sacram sine illis beatiorem fore, contenderent. Haec *Margaretha*, etsi commune illud, quod dixi, sectae suae dogma probabat et tuebatur, vita tamen et moribus illud expressisse non videtur. Nullius enim ab historico criminis vel accusatur, vel accusata esse dicitur, et tantam praeterea pietatem erga Deum in postremo vitae suae actu demonstrabat, vt spectatoribus misericordiam et dolorem commoueret. Neque tamen cum GERH. du BOIS *) et aliis, quae de signis poenitentiae, a morti vicina editis, narrantur, ita esse accipienda putem, vt ea ad ecclesiae gremium postremo rediisse, et errores suos abiecisse credenda sit: mitiori enim sine vllo dubio poena fuisset affecta, si mentis emendationem testata esset, atque sententiis suis renuntiasset. Hoc igitur ille tantum dicere putandus est, signa minime dubia mentis, Deo vnice fidentis et de salute sua nil dubitantis, in ea fuisse visa, constantiam animi, despicientiam mortis, coelestis felicitatis desiderium. Erant certe inter illos, qui *Beghardorum* et *Beguinarum* nominibus notabantur, homines boni, pii, fortes, Deique amantes, qui sententias, quas receperant, periculosissimas magis ad animum contra scelera et peccata firmandum, quam ad peccandum adhibebant, sensumque omnem voluptatis magna diligentia reprimebant. Nostra haec ex Hannonia venerat in Galliam: vnde non sine magna veri specie

*) Historia Eccles. Paris. Tom. II. p. 561.

cie colligas, eam Galliae partem, in qua consederat, sigillatim vrbem Lutetiam, tum temporis hac labe nondum infectam fuisse. Habuisse Hannoniam eo ipso tempore homines, qui magnae cuiusdam pietatis simulatione mulieres deceperint, IOH. HOCSEMIVS testatur, scriptor aequalis: quos quum ille *Lolhardos* appellet, ac *hypocritas*, certumque sit, *Beghardos* etiam *Lolhardorum* vocabulo designatos fuisse, eo facile adducatur aliquis, vt credat, ex illa Hannoniensi schola MARGARETHAM prodiisse. *Eodem anno 1309,* ait HOCSEMIVS *), *quidam hypocritae gyrouagi, qui Lollardi, siue Deum laudantes, vocabantur, per Hannoniam et Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt.* Sed docebo, quum ad *Lolhardos* venero, non agi eo in loco, vel de *Beghardis*, vel de alia quadam religiosa secta, aut familia, neque satis attente inspexisse consequentia verba, obscurissima et deprauata, qui origines sectae *Lolhardorum* in eo sibi deprehendisse visi sunt. Quo die *Beguina* illa Hannoniensis flammis consumebatur, eodem alius quidam, GVIARDVS nomine, Lutetiae idem supplicium subire debebat: verum adspectus ignis adeo terrebat hominem, vt imperata faceret. *Tunc etiam,* verba recito iterum *Continuatoris Nangii* **), *Pseudo-quidam Guiardus nomine, de Cressonessart, qui Angelum Philadelphiae a Deo immediate missum ad confortandum adhaerentes Christo se nominans, dicebat, quod nec cingulum pelliceum, quo erat praecinctus, nec habitum, quo erat indutus, ad mandatum Papae deponere tenebatur, imo Papa praecipiendo peccaret, tandem incendii timore habitum cingulumque deponens, et errorem suum finaliter reco-*

*) In gestis Pontificum Leodiensium Lib. I. c. XXXI. in IO. CHAPEAVILLI gestis Pontificum Tungrensium, et Leodiensium, Tom. II. p. 350.

**) DACHERII Spicilegium, Tom. III. p. 63. f.

recognoscens, adiudicatus est, perpetua muri inclusione praecingi. Aut me omnia fallunt, aut hic homo, MARGARETHA nostra multo timidior, *Apostolus* erat, et DVLCINI discipulus. DVLCINVS, princeps ordinis Apostolorum, quod alio loco ostendi *), per Philadelphiensem illum Angelum, quem S. IOHANNES inducit, statuebat, intelligi debere sanctissimum illum Pontificem, quem Deus, amoto et interfecto Bonifacio VIII. in orbem missurus esset, ad res ecclesiae instaurandas et sapienter administrandas. GVYARDVS ergo hic, DVLCINO iam combusto, somniabat, se illum ipsum a Deo creatum esse Pontificem, quem diuinus vates *Angeli Philadelphiensis*, id est, legati diuini fratrum amore accensi vocabulo, ante multa jam saecula honestasset. Quae de vestitu hominis adduntur, confirmant hoc iudicium. Nam longam tunicam gestabant Apostoli, quam cingulo constringebant. Denique quod Pontifex iussisse dicitur, hominem illum cingulum et vestimenta sua deponere, ille vero Pontificem propterea ingentis delicti arguisse, id vtrumque in nullos alios conuenit, quam in *Apostolos*, quos seueris legibus CLEMENS V. et alii ante eum Pontifices, amictum suum exuere iusserant, quum ipsi pertinaciter contenderent, Deum ipsum offendere Pontifices *Apostolos* vexando. Ponamus igitur hunc hominem in illis, de quibus paullo ante disseruimus, qui per totum saeculum decimum quartum *Apostolorum* sectam vbique propagarunt.

§. VIIII.

Tam late per plures prouincias *Beghardorum* factione grassante, totque duris in eos conciliorum et episcoporum sententiis promulgatis, fieri non poterat, quin noui huius mali fama ad CLEMENTIS V. Pontificis

*) Historia Germanica Ordinis Apostolor. p. 252.

cis Maximi, aures perueniret: itaque is muneris sui ducebat esse, quae inscio ipso inchoata fuerant ab aliis, perficere, et vniuersam ecclesiam in homines tam detestabiles armare. Tres extant eius sanctiones, A. 1311. in *Beghardorum* sectam latae: quae tamen si inter se conferantur, apertum erit, non satis plenam et perfectam eius notionem in animo Pontificis versatam fuisse. Primum ipsis Calendis Aprilis longam epistolam ad RAYNERIVM de CASVLIS *), Cremonensem episcopum, scribebat, quam ODORICVS RAYNALDVS vulgauit **), aduersus *sectam liberi spiritus*, in Italiae nonnullis partibus dominantem. In ea Pontifex primum summo cum animi dolore se accepisse significat, *in nonnullis Italiae partibus tam Spoletanae prouinciae, quam etiam aliarum circumiacentium regionum, nonnullos ecclesiasticos et mundanos, religiosos et saeculares vtriusque sexus, viros pestiferos versari, qui ecclesiae nitorem obnubilare, nouamque sectam, nouum ritum, a via salutis omnino degenerem, etiam ipsis paganis et animaliter omnino viuentibus odiosum, introducere moliantur, quem* LIBERTATIS SPIRITVM *nominant, hoc est, vt, quidquid eis libet, liceat.* Exordium hoc sequitur vehemens detestatio nefariae libertatis, quam illi homines praedicabant, multis sacrorum librorum dictis, quae libidinosos damnant, fulta et ornata. Postremo multis verbis episcopum exhortatur CLEMENS, vt fortiter perniciosae turbae resistat, eamdemque poenis et sacris, et ciuilibus, coerceri curet. Constat ex illis, quae iam a nobis allata sunt, et vberius constabit ex eis, quae proferentur, *Beghardos* Germanicos et Belgicos *libertatem* illam *spiritus*, a CLEMENTE damnatam, professos esse, sibique ipsos nomen *sectae de libero spiritu* arrogasse. Hoc igitur ignorabat Pontifex, hanc

*) VGHELLI Italia sacra, Tom. IIII. p. 610.

**) Annalibus Eccles. Tom. XV. ad A. 1311. n. 66. p. 90.

hanc quum epistolam exararet, et semper, dum vixit, ignorasse cum consiliorum suorum sociis videtur. Nec enim vel vocula in legibus, quas postea contra *Beghardos* et *Beguinas* rogauit, indicat, hos inter et *liberi spiritus fratres* in Italia nihil interesse: contra clare *Beghardos* malum vnius agri Germanici fructum esse, arbitratur: per quod tacite eos ab Italicis illis ciuitatis sacrae turbinibus distinguit. Non minus euidenter ex epistola illa elucet, vniuersam rationem et indolem sectae liberi Spiritus Pontifici ignotam fuisse: quam si perspectam habuisset, totam disciplinam insectatus fuisset, non vnam eius sententiam, quam non omnes probabant eius professores, sed pessimi tantum et vitiosissimi ex aliis antegressis opinionibus ratiocinando eliciebant. RAYNALDVS, a quo epistola CLEMENTIS publicata est, credere nos iubet, illos liberi spiritus in Italia defensores *Apostolos* fuisse, seu ex schola GERH. SEGARELLI et DVLCINI prodiisse: quos quidem spurcae libidini patrocinatos esse, tradit *). Eius autem opinionis IO. de TVRRECREMATA, celebrem inter Romanae ecclesiae Cardinales virum, auctorem laudat **). Verum eruditos hosce viros, tametsi plurimi et veterum et recentiorum eis adsentiuntur, hoc in iudicio falli, manifestum est. Multo enim antiquior est *secta liberi Spiritus* illo, quem SEGARELLVS excogitauit, et DVLCINVS propagauit, *Apostolorum ordine*, atque, quod ante vidimus, in ipsa media Germania vigebat, priusquam SEGARELLVS de condendo nouo coetu suo cogitare posset. Quae praeterea de *Apostolorum* impudicitia, illicitaque cum sororibus, quas adsciscebant, consuetudine a multis traduntur, falsa plane sunt, et magnis auctoritatibus alio loco a nobis destructa, multa licet illi sibi permiserint, quae

Q 2 male

*) loc. cit. n. 71. p. 91.
**) Summa de ecclesia, P. II. Lib. 4. c. 37.

male de castitate eorum suspicandi occasionem dederunt. Denique *Apostoli* CLEMENTI V. notissimi erant, quippe qui ducem eorum, DVLCINVM, ante aliquot annos supremo supplicio affici iusserat: quod vnum, si vel cetera seponantur, conficit, nullam illis cum liberi Spiritus fratribus societatem fuisse. Inclinante ad occasum anno, Viennae celeberrimum totius ecclesiae concilium Pontifex celebrabat: quod quum mense Novembri coepisset, in sequentem annum producebatur. In eo binae constitutiones contra *Beghardos* et *Beguinas* ferebantur, quae in Iure Pontificio hodie adhuc inter reliquas leges *Clementinas* leguntur. Auctores earum rogandarum non dubito, quin Pontifici Germanorum episcopi fuerint in concilio vel ipsi, vel in legatis suis praesentes. Prior *Beguinas* opprimit in certis domiciliis residentes, de quibus supra copiose disputauimus, et sigillatim Germanicas *). Nulla quidem Germaniae mentio fit in ipsa lege, sed generatim omnes *Beguinae* proscribuntur: At CLEMENTIS successor, IOHANNES XXII. optimus eius interpres, alia lege A. 1325. lata, qua vim *Clementinae* temperat **), significat, eam ideo rogatam fuisse, quod legislatori *nonnulla de Beguinabus, praecipue de Alemanniae partibus, insinuata fuissent sinistra.* Primum CLEMENS notas suppeditat, per quas mulieres, quibus succenset, ab aliis vel similis instituti, vel eiusdem nominis, internoscantur. Scribit, *Beguinas* suas (1) *nulli promittere obedientiam*, (2) *propriis non renuntiare*, (3) *nullam profiteri regulam approbatam*, (4) *religiosas idcirco minime existere*, (5) *et nihilo tamen minus singularem quendam habitum seu vestitum deferre, qui Beginarum habitus dica-*

*) Extat in *Corpore Iuris Canonici* inter *Clementinas*, Lib. III. Tit. XI. de religiosis domibus, cap. 1. p. 1075. edit. Boehmerianae.

**) Extrauagantibus communib. Lib. III. Tit. VIIII. de religiosis domibus, p. 1173.

dicatur, (6) *adhaerere religioſis aliquibus, ad quos ſpecialiter trahatur affectus earum.* Haec, ſi primum demas, quod ex toto verum non eſt, quoniam *Beguinae* obedientiam certo modo ſpondebant illis, quae Magiſtrarum nomine honeſtabantur, hoc ſi demas, reliqua veriſſima ſunt, et *Beguinas*, maxime Germanicas, ſatis clare adumbrant. *Religioſi*, quibus *adhaerebant*, vti ait Pontifex, ſunt Dominicani et Franciſcani ſodales, quorum gubernationi plerique *Beguinarum* coetus, ſeſe tradiderant: quamquam et nonnulli Auguſtinianis parere maluiſſe leguntur. Hanc *Beguinarum* picturam ſequuntur crimina, per quae indignationem Pontificis incurrerant. *Inſinuatum* ſibi *eſſe*, dicit Pontifex, *fide digna relatione*, *aliquas earum*, non igitur omnes, (1) *quaſi in mentis inſaniam perductas eſſe*, (2) *ideoque de Summa Trinitate ac diuina eſſentia diſputare ac praedicare*, (3) *circa fidei articulos, et eccleſiaſtica ſacramenta opiniones, catholicae fidei contrarias, introducere*, (4) *et multos ſuper his ſimplices decipere, eosque in errores diuerſos inducere*, (5) *alia quam plura, periculum animarum parientia, ſub quodam velamine ſanctitatis facere et committere.* Non haec temere Pontifex credidit. Pluribus enim, certiſſimisque documentis et teſtimoniis exploratum habemus, *Beghardos* illos, qui ſe *liberi ſpiritus fratres* vocabant, nec non eiusdem generis mulieres, in collegia et domos *Beguinarum* proborum et honeſtarum potiſſimum irrepſiſſe, libros ſuos, quos circumferebant vbique, inauditis et portentoſis ſententiis refertos, inter illas mulieres diligenter diſtribuiſſe, debiles denique animas earum deuiis opinionibus ſuis de natura diuina, de hominum mundique huius ortu, de interiori mentis pietate, adſcenſuque animi ad Deum, multis in locis vehementer corrupiſſe. Qua ex re, praeter alia mala, quae ſuis patebunt locis, id eueniebat, vt *Beguinae*, deſertis manuum laboribus, quibus antea ſeſe aluerant, publice mendicarent, veſtimenta mutarent,

secretos conuentus agerent, cultum Dei publicum, externasque religiones negligerent, ad extremum de Deo, de homine, de modo ad Deum perueniendi, subtilissime inter rudes et simplices disputarent, quorum multos in suas sententias perducebant. Neque mirum valde videri potest, illos reconditae et abstrusae cuiusdam pietatis magistros has inter mulieres citius et saepius, quam alias, receptos, auditos, et probatos fuisse. Vt enim de ipsa sexus fragilitate et imbecillitate nihil dicam, longe erat ad *Beguinarum* domicilia, quae nullis munita erant claustris, facilior aditus, quam ad virginum Deo dicatarum collegia: ipsae etiam *Beguinae*, nullis votis et statis precum horis adstrictae, commodius et diutius hominibus eiusmodi operam dare poterant, quam mulieres religiosae: *Beghardorum* porro disciplina valde ad feminarum illarum ingenium et institutum accommodata erat, quae omnes videri volebant ideo id vitae genus elegisse, vt rerum diuinarum contemplatione mentes suas tranquillius pascere possent, atque reapse libris Mysticorum legendis, et praeceptis eorum imbibendis, plerumque non modicam temporis sui partem impendebant. Quod quum animaduerto, non possum, quin hic referam, IOS. GELDOLPHVM a RYCKEL, virum rerum ad *Beguinas* pertinentium in primis gnarum, testari, illud sapientiae sublimioris et Theologiae mysticae studium, quod *Beghardorum* olim sententias his mulieribus commendabat, in recentioribus *Beguinabus* Belgicis nondum desiisse, eamdemque in illis amentiam, quam CLEMENS V. execrabatur, saepe gignere. *Quales*, inquit *), *hoc nostro aeuo non desunt etiam inter populum S. Beggae, quae supra sexum et captum suum ascendunt minus caute et imaginantur, se per contemplationem ita vniri Deo, vt reipsa ipsarum natura in abyssali profundo diuinitatis submergatur, puta,*

*) in vita S. Beggae, p. 463.

puta, humanitas annihiletur et tota transeat in diuinitatem, qui fuit error Amalrici. — — — Aliae adsuetae lectioni Tauleri, imaginem humanitatis Christi nimis immature tollunt, voluntque ad diuinitatem adscendere. Ea vero *Beguinarum* Germanicarum aetatis suae vesania, adeo inflammabat iram Pontificis, vt, *sacro approbante concilio*, (I) *statum Beguinarum perpetuo prohibendum, et a Dei ecclesia arcendum esse duceret*, (II) *vt Beguinabus et aliis mulieribus sub poena excommunicationis iniungeret, ne statum illum vel sectentur vlterius, vel aliquatenus de nouo adsumant*, (III) *vt religiosis, per quos illae mulieres in statu Beguinagii fouerentur, et qui eas ad illum suscipiendum inducere dicerentur, sub excommunicationis poena inhiberet, ne mulieres eiusmodi admittant, aut illis consilium, auxilium et fauorem praebeant.* Durum vero merito et nimis inhumanum videri poterat, poenam delictorum, quae nonnullae tantum, ipso fatente Pontifice, admiserant, ad vniuersam familiam deriuare, et nocentes innocentesque vna comprehendere sententia. Itaque in extrema lege seueritatem illam corrigebat legislator, atque impedire sese nolle monebat, ne mulieres religionis et pietatis amantes Deo certis in domibus seruire pergerent. *Sane, per praedicta prohibere nequaquam intendimus, quin, si fuerint fideles aliquae mulieres, quae promissa continentia, vel etiam non promissa, honeste in suis conversantes hospitiis, poenitentiam agere voluerint, et virtutum Domino in humilitatis spiritu deseruire, hoc eisdem liceat, prout Dominus eis inspirabit.* Haec appendix legi prorsus repugnat, et eam reuera tollit et destruit. In ipsa lege CLEMENS *statum Beguinarum* ecclesia plane exturbat, et sacris interdicit omnes, quae vel in eo manere, vel ad eum sese conferre auderent: in appendice vero mulieres omnes, modo pie et honeste sese gerant, eum amplecti permittit. Quum in litteras iam relata et rata habita lex esset, erant sine dubio, qui

Pontificem et concilium monerent, in illis piarum mulierum ſodalitatibus nihil eſſe vitioſi et noxii, plurimum contra fructus ad rem publicam ex illis proficiſci poſſe, ſapienter compoſitis et caute cuſtoditis, neque idcirco e re eſſe eccleſiae, vt funditus tollantur et abrogentur. Quorum rationibus et argumentis victus Pontifex, legem quidem iam a concilio approbatam immutari nolebat, at eidem appendicem illam attexi patiebatur, quae, tametſi legis ſenſum determinare videatur, reapſe legem euertit, et vim eius enecat. Ea legis ipſius et clauſulae legis diſcordia quantum turbarum, malorum, iniuriarum, contentionum pepererit, aliis legem, aliis clauſulam teſtantibus et vrgentibus, peculiari capite narrare et explicare decreuimus. Huic in *Beguinas* ſanctioni, aliam in eodem concilio adiiciebat Pontifex in illos vtriusque ſexus homines, qui mulieribus iſtis errorum peſtem afflauerant, et per Germaniam ad corrumpendas bonas animas vbique vagabantur *). Eius in exordio CLEMENS indicat, *non ſine displicentia grandi ad ſuum perueniſſe auditum, quod ſecta quaedam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui* BEGVARDI, *et quarundam infidelium mulierum, quae* BEGVINAE *vulgariter appellentur, in regno Alemanniae damnabiliter inſurrexerit.* Has *Beguinas* ab illis, quarum *ſtatum* ſuperior lex aufert et vetat, et hos *Beghardos* ab illis, quos ſupra deſcripſimus in certis domibus commorantes, et texendo ſibi victum parantes, toto genere differre, nemo vnus dubitare poterit. Genus erant hominum, quibus certa ſedes, et ſtabile domicilium non erat: alioquin Pontifex eos domibus ſuis expelli, et collegia, quae formauerant, disturbari iuſſiſſet. Sequuntur in lege octo ſectae huius errores:

*) Extat in Clementinis, Lib. V. Tit. III. de haereticis cap. 3. p. 1088. Quae ad hunc locum pertinent, exſtant etiam in Hartzhem. l. c. p. 234. ſ.

res: quos quidem hoc loco placet omittere, quoniam inferius maior eos illustrandi et ad fontes suos reuocandi opportunitas nascetur. Qui ad concilium eos detulerant, bonam partem disciplinae *Beghardorum* ignorabant, et secretioribus eorum mysteriis initiati non erant: quare primas errorum caussas non demonstrauerant, illa puto dogmata, quibus disciplinae totius moles nitebatur. Hoc tamen praeterire nequeo, disertissime Pontificem hoc in Beghardis detestari, quod *libertatis* sibi *spiritum* arrogent, atque impium hoc dogma verbis PAVLLI: *vbi spiritus Domini, ibi libertas*, exornare velint: quod clarissime ostendit, fratres eos et socios Italorum illorum fuisse, quos ipse anno eodem longa ad Cremonensem episcopum epistola castigauerat. Et nihilo tamen minus idem pronuntiare non dubitat, in solo Germanico exsecrabilem sectam natam esse, animisque Germanorum vnice insidiari. Magna fuerit idcirco necesse est rerum, quae tum temporis inter Christianos gerebantur, in ipso supremo ecclesiae praefecto ignorantia. Qui, si mediocri tantum attentione vsus fuisset, in media, quam incolebat, Gallia *Beghardorum* cognatos et sectatores reperire potuisset. Enumeratis abominandae gentis flagitiis, Pontifex (1) *sectam ipsam cum praemissis erroribus damnat et reprobat omnino, inhibens districtius, ne quis ipsos de cetero teneat, approbet, vel defendat.* (2) *Eos, qui secus egerint, animaduersione canonica decernit puniendos esse.* (3) *Dioecesanos et inquisitores illarum partium, in quibus Beguardi et Beguinae commorantur, iubet, suum officium circa eos diligenter exercere, et de vita et conuersatione eorum, qualiterue sentiant de articulis fidei et ecclesiae sacramentis, inquirere.* (4) *In illos, quos culpabiles repererint, (nisi abiuratis sponte praedictis erroribus, poenituerint, et satisfactionem exhibuerint competentem) debitam exercere vltionem*, id est, magistratui eos ciuili puniendos et comburendos tradere. Quod in his mandatis tertium est, id

ſine dubio ſumit, externis quibusdam notis atque ſignis *Beghardos* atque *Beguinas* facile diſcerni ab aliis potuiſſe: nihil enim ſi oſtendiſſent a communi viuendi et agendi ratione alienum, Inquiſitores et epiſcopi praeſcripto Pontificis obedire, et in vitam, moresque eorum inquirere nullo modo potuiſſent. Iſtas vero notas credibile eſt, propterea Pontificem commemorare noluiſſe, quia nouerat, in conciliorum Germanicorum decretis eas iam expreſſas et diſerte traditas eſſe. Vtramque hanc *Clementinam* FRANCISCVS SALMONIVS *) iam ante Viennenſe concilium a Pontifice latam, et in concilio tantum confirmatam eſſe opinatur. Ita vero cur ſentiat, hanc vnam habet rationem, quoniam vtraque lex *ſacro approbante concilio* rogata eſſe dicitur. Sed haec formula, quod perſpicuum eſt, tam late patet, vt de illis etiam decretis commodiſſime adhiberi queat, quae in ipſo concilio condita ſunt: neque neceſſe eſt, vt id, quod a concilio quodam approbatum eſt, ante concilium iam factum et editum fuiſſe putetur. Ego, quod iam antea profeſſus ſum, non dubito, Germanorum antiſtites in concilio praeſentes querimoniis ſuis de *Beghardorum* nequitia et portentis effeciſſe, vt leges illae ſancirentur.

§. X.

CLEMENS V. viuis excedebat, antequam haec Viennenſia decreta et alias, quas et ante, et poſt concilium illud rogauerat, leges vno volumine comprehenſas, id quod ſecum conſtituerat, edere atque per vniuerſam eccleſiam promulgare poſſet. At qui in locum eius A. MCCCXVI. ſuccedebat, IOHANNES XXII. ſecundo Pontificatus ſui anno, quod ille animo conceperat, perficiebat, *Clementinas*que ea forma, qua hodie in *Iure Pontificio* apparent, publicabat, et iuris docto-

res

*) Traité de l'Etude des Concile. P. II. c. III. p. 482.

res in scholis suis explicare iubebat. Igitur quamuis dubitandum non sit, statim post Viennense concilium antistites nonnullos, ex praescripto concilii, *Beghardos Beguinasque* acrius, quam antea, insectatos fuisse: tamen A. MCCCXVII. demum, post *Clementinas* vbique diuulgatas, grauis illa hominum istorum vexatio, quae multos absumsit, et omnes vehementer afflixit, exorta est. Id veterum scriptorum non vnus memoriae prodidit: qui hoc tamen peccant plerumque, quod IOHANNEM XXII. anno illo, quem dixi, legem ad exemplum CLEMENTIS in *Beghardos* et *Beguinas* tulisse tradunt, quum is aliena tantum lege promulganda tempestatem illam excitauerit. WILHELMVS, Monachus, *in Chronico Egmonduno*, quod ANTON. MATTHAEVS edidit*): *A. MCCCXVII. erant in villis et in finibus quasi totius Christianitatis quaedam Beghinae mulieres, longo per praeterita tempore habitum griseum cum saliis deferentes, sibique magisterium et ordinem absque superioris confirmatione procurantes, quarum habitus et regulatio, vt nunc, per Dominum Papam abiicitur, sicut in septimo Decretalium causis dilucide propositis continetur.* Fallitur historicus: quod ille A. 1317. Pontificem tum regnantem fecisse perhibet, id iam A. 1311. ab alio actum erat. *Chronicon Magdeburgense*, quod HENRICVS MEIBOMIVS edidit **): *MCCCXVII. secta Begardorum et Bekinarum per Dominum Iohannem Papam deleta fuit, quia in quibusdam partibus, et maxime circa Rhenum de summa Trinitate et catholica fide disputantes, errores inducere praesumserunt, et simplices seduxerunt sub quodam velamine sanctitatis, vt de hoc in Constitutionibus Clementinis de haeret. cap. Ad nostrum. Nam Dominus Clemens inceperat, sed Dominus Iohannes*

*) In Analectis veteris aeui, Tom. II. p. 582.

**) In Scriptor. Rerum Germanicar. Tom. II. p. 337.

nes Papa XXII. mittendo super hoc litteras suas per mundum, negotium ad effectum deducere decreuit: sed adhuc reliqua remanserunt, quae pullulant de die in diem, nec ciuitas Magdeburg expers fuit. Hic illo propius ad verum accedit: at labitur tamen, quod IOHANNEM tradit litteras suas per mundum misisse ad opprimendas *Beguinas* et *Beghardos*. Licet nobis ex ipsa IOHANNIS epistola, qua CLEMENTIS edictum contra *Beguinas* interpretatur et mitigat *), ostendere, nullam eius vmquam aduersus *Beguinas* constitutionem exiisse. Hos aliosque, nec non recentiorum longe plurimos, qui eos sequuntur, id in errorem potissimum induxit, quod omnes, quibus *Beghardorum* et *Beguinarum* nomen tributum olim fuit, eiusdem generis et sectae fuisse, sibi temere persuaserunt: quod quibus placet, vel ex RODOLPHO HOSPINIANO **), vel ex IO. HENR. HOTTINGERO ***) cognoscere poterunt; viris quidem in primis diligentibus et eruditis, sed rerum inter Christianos gestarum non satis explicata cognitione praeditis. Certum est, IOHANNEM XXII. A. 1317. legem quamdam in *Beguinos*, seu *Bizochos* edidisse, quae in *Iuris Pontificii corpore* adhuc legitur: hos illi, nominis similitudine decepti, a *Beghardis* et *Beguinabus*, de quibus hic agitur, non differre existimarunt. Qua in re non certe assentietur illis, qui decreta Viennensia cum lege IOHANNIS, non dicam accurate, verum obiter tantum contulerit. Si nominis affinitatem et mendicandi studium tollas, tantum est inter CLEMENTIS *Beghardos*, et IOHANNIS *Beghinos* discrimen, quantum inter eos, qui moribus et sententiis dissimillimi sunt. Hoc

*) In Extrauagant. Commun. Lib. III. Tit. VIIII. p. 1174.

**) De Origine Monachatus Lib. VI. c. XXXII. p. 495. Tom. VI. Opp.

***) Histor. Eccles. Helvetica, Tom. II. p. 135.

Hoc nunc verbo tantum indicamus, suo vero loco copiosius demonstrabimus.

§. XI.

Magni ergo motus vbique, maxime vero in Germania, *Clementinis* in omnium manus traditis, surgebant ad *Beguinas* et *Beghardos* indagandos, coercendos et opprimendos: et quo quisque vel episcoporum, vel Inquisitorum Pontifici fidelior, et officii sui amantior videri volebat, eo studiosius et vehementius hoc genus hominum persequebatur. Quamquam multi etiam, quod ALVARVS PELAGIVS, quem paullo post testem adhibebimus, dolet, mandata Pontificis negligenter curabant, hostesque impune viuere et docere patiebantur, cum quibus bellare iussi erant: quapropter asyla semper illis patebant, ad quae vexati a quibusdam sese recipiebant. Inter Germaniae antistites ardore et studio *Beghardos* oppugnandi supra omnes eminebat IOHANNES de OCHSENSTAIN, quem ex Aichstadiensi episcopo Argentoratensem CLEMENS V. creauerat. Ponit *Beguinarum* odium in primis episcopi huius ornamentis et virtutibus IAC. WIMPHELINGIVS, cuius habemus indicem antistitum Argentinensium A. 1508. exaratum. *Hypochrisin*, inquit *), *et superstitiones peruersosque ritus et mores quarundam mulierculalarum, (quas Beginas aut Beguttas appellant) vt bonus et vigilantissimus pastor exstirpauit: atque — — — ad episcopos aliarum dioecesium litteras transmisit, quibus ipsos fideliter exhortabatur atque praemonebat, vt scirent, sibi populoque suo ab hac feminei sexus gente, si ad ipsos vmquam diuerteret, cauendum esse. De qua etiam profundus Iuris interpres Iohannes Andreae in Clementinam de religiosis domibus affirmat, hominum genus esse perniciosum, et ab eis omnino esse cauendum, vbi*

*) Catalogo Episcoporum Argentinensium, cum Supplemento et notis Ioh. Mich. Moscherosch, p. 78. ed. Argentorat. 1651. in 4.

vbi etiam huius episcopi facit mentionem. Non satis gnarus erat rerum ab hoc IOHANNE gestarum WIMPHELINGIVS: quas si cognitas habuisset, non *Beguinas* solas hic nominasset, verum etiam *Beghardos*, in quos eadem, immo maiori seueritate animaduerti iussit. Nobis bona quaedam fortuna facultatem plenius et accuratius acta eius in hoc genere referendi concessit. Incidimus enim in binos codices perantiquos, in quibus, praeter alia veteris historiae documenta, ipsa IOHANNIS edicta in *Beghardos* et *Beguinas*, alia item turbas ex illis in prouincia Argentinensi natas illustrantia, manu saeculi decimi quarti descripta extabant. Horum monumentorum ea, quae ad *Beguinas* proprie dictas sigillatim pertinent, tum proferemus, quum ad bellum, his mulieribus ex lege Clementina illatum, nos ordo rerum, quas explicare adgressi sumus, deducet. Nunc ea tantum, quae *Beghardos* et *Beguinas liberi spiritus*, quemadmodum dici volebant, tangunt, exhibebimus. Paullo postquam munus suum IOHANNES adierat, ex illis, quos sibi gubernationis socios adsciuerat, accipiebat, laborare prouinciam suam hominibus, pestiferos errores clam in populo disseminantibus. Quorum ille monitis excitatus, quum diligenter explorare coepisset, viris etiam doctis in societatem curae huius vocatis, quid rerum in populo suo ageretur, non sine summa indignatione intellexit, *Begehardorum* quosdam, hominum vtriusque sexus magna specie pietatis ingentes errores tegentium, inter suos degere, neque paucos, et in his sacerdotes et Monachos, in criminum suorum communionem pertraxisse. Comprehensi quidam huius sectae, atque metu poenae territi, dissimulare nolebant sententias, quas animo fouebant, foedas illas quidem et a publicae religionis forma mirifice abhorrentes. Quibus cognitis, episcopus longam epistolam ad sacrum prouinciae suae ordinem dabat, qua opinionum illa portenta non modo copiose recensebat, vt facilius deuii illi homines inter-

noscl

nosci ab aliis possent, verum etiam totam sectam, et omnes eius amicos, ecclesia eijciebat. Haec vna epistola plus ad veram indolem scabiosi gregis huius et praeceptorum, quibus studebant, rationes percipiendas conducit, quam quae ab aliis memoriae prodita sunt vniversa. Est vero haec dignissima, quae ab interitu servetur, et cum cura legatur:

Iohannes, *Dei gratia* *), *Episcopus Argentinensis, vniuersis et singulis Abbatibus, Praepositis, Decanis, Prioribus, Gardianis, Archipresbyteris, Rectoribus ecclesiarum, et eorum vicariis, aliisque sacerdotibus et Capellanis nostrae ciuitatis et dioecesis, ad quos praesentes litterae peruenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus!*

Inter alia officii nostri onera, quae ad curam dominici gregis nobis commissi pertinent, illud potissimum nos constringit, qualiter diligenti sollicitudine caueamus, ne per erroneas vulpecularum haereses Christianae fidei vnitas dissoluatur, sed subiectorum nobis lege dioecesana sinceritas in professione fidei et deuotione sanctae Romanae ecclesiae solidetur. Igitur cum nobis in hac cura vigilantibus per viros litteratos et sapientes, religiosos et seculares, in partem huius solicitudinis nobiscum vocatos, denuntiatum fuisset, quod aliqui falsi Christiani plures erroneas et diuersas assertiones verae fidei Christianae contrarias in agro Dominico nobis commisso clanculum seminarent, Nos ad instar boni pastoris, cuius gregem vulpeculae astutae nequiter et lupi rapaces inuadunt, praedictae annuntiationis clamore valido excitati, assumtis nobis prudentibus viris, de quorum discretione confidentiam gerimus specialem, per diligentem inquisitionem super huiusmodi erroribus factam, inuenimus:

*) Nondum igitur tum Germanorum episcopi, veteris prisuae libertatis studiosi, *sedis Apostolicae gratia*, vti hodie, episcopos sese factos esse, profitebantur.

mus: quod nonnulli, qui sub nomine cuiusdam fictae et praesumtae religionis, quos vulgus BEGEHARDOS *et* SCHWESTRONES, BROD DURCH GOTT, *nominant, ipsi vero et ipsae se de* SECTA LIBERI SPIRITVS, *et* VOLVNTARIAE PAVPERTATIS PARVOS FRATRES *vel* SORORES *vocant, ac talium sequaces in nostra ciuitate et dioecesi habitant, quorum quidam, quod dolenter dicimus, sunt religiosi, et in sacris ordinibus constituti, nonnulli etiam coniugati et alii complures, diuersis modis viuendi ab aliis distincti, qui sicut per proprias eorum et earum confessiones, et legitimas probationes inuenimus, irretiti et maculati sunt detestandis et reprobandis erroribus infra scriptis.*

Inter quos Primus *est* Contra diuinitatem. *Dicunt enim, credunt et tenent, quod Deus sit formaliter omne, quod est. Item dicunt, quod homo possit sic vniri Deo, quod ipsius sit idem posse ac velle et operari quodcunque, quod est ipsius Dei. Item credunt, se esse Deum per naturam sine distinctione. Item, quod sint in eis omnes perfectiones diuinae, ita quod dicunt, se esse aeternos et in aeternitate. Item dicunt, se omnia creasse, et plus creasse, quam Deus. Item, quod nullo indigent nec Deo, nec Deitate. Item, quod sunt impeccabiles, vnde quemcunque actum peccati faciunt sine peccato. Item, quod sunt ipsum regnum coelorum. Item, quod sunt etiam immutabiles in nona rupe, quod de nullo gaudent, et de nullo turbantur, vnde se ipsos nollent a quacunque morte solo verbo, si possent, liberare.*

Secundo contra Christum. *Dicunt se credere, quod quilibet homo perfectus sit Christus per naturam. Item, quod Christus non est passus pro nobis, sed pro se ipso. Item, quod Christi humanitas a Christo deponitur et assumitur, sicut corpus a dyabolo. Item non exhibent reuerentiam corpori Christi, auertendo se ab hostia consecrata, et blasphemando dicunt, quod sapiat eis, sicut stercus in ore. Item dicunt, se credere, quod aliquis homo*

homo poſſit transſcendere meritum Chriſti. Item, quod nihil debeat fieri propter praemium quodcunque, etiam propter regnum coelorum. Item, quod homo perfectionis debet eſſe liber ab omni virtute, ab omni actione virtutis, a Chriſto, ab eius paſſione cogitanda, et a Deo.

Tertio contra Eccleſiam, *multipliciter errando. Dicunt enim, ſe credere, eccleſiam Catholicam, ſiue Chriſtianitatem fatuam eſſe, vel fatuitatem. Item, quod homo perfectus ſit liber in totum, quod tenetur ad ſeruandum praecepta data eccleſiae a Deo, ſicut eſt praeceptum de honoratione parentum in neceſſitate. Item, quod ratione huius libertatis homo non tenetur ad ſeruandum praecepta Praelatorum, et ſtatutorum eccleſiae: et hominem fortem, etſi non religioſum, non obligari ad labores manuales pro neceſſitatibus ſuis, ſed eum libere poſſe recipere eleemoſynam pauperum. Item dicunt, ſe credere, omnia eſſe communia, vnde dicunt, furtum eis licitum eſſe.*

Quarto contra Sacramenta eccleſiae *errando, dicunt ſe credere, quod quilibet Laicus bonus poteſt conficere corpus Chriſti, ſicut ſacerdos peccator. Item, quod ſacerdos, poſtquam exuit ſe ſacris veſtibus, eſt ſicut ſaccus euacuatus frumento.. Item, quod corpus Chriſti aequaliter eſt in quolibet pane, ſicut in pane ſacramentali. Item, quod confiteri ſacerdoti non eſt neceſſarium ad ſalutem. Item, quod corpus Chriſti, vel ſacramentum Euchariſtiae ſumere per Laicum, tantum valet pro liberatione animae defuncti, ſicut celebratio Miſſae a ſacerdote. Item, quod omnis concubitus matrimonialis praeter illum, in quo ſperatur bonum prolis, ſit peccatum.*

Quinto errando contra infernum et regnum coelorum, *dicunt ſe credere, quod iudicium extremum non ſit futurum, ſed quod tunc eſt iudicium hominis ſolum, cum moritur. Item, quod non eſt infernus, nec purgatorium. Item, quod, mortuo corpore hominis, ſolus ſpiritus, vel anima hominis redibit ad eum, vnde exiuit, et*

cum eo sic reunietur, quod nihil remanebit, nisi quod ab aeterno fuit Deus. Item, quod nullus damnabitur nec Iudaeus, nec Saracenus, quia, mortuo corpore, spiritus redibit ad Dominum. Item, quod homo magis tenetur sequi instinctum interiorem, quam veritatem Euangelii, quod cottidie praedicatur.

Sexto errando contra Euangelia *dicunt, se credere, multa ibi esse poetica, quae non sunt vera, sicut est illud: Venite, benedicti etc. Item, quod magis homines debent credere humanis conceptibus, qui procedunt ex corde, quam doctrinae Euangelicae. Item dicunt, aliquos ex eis posse meliores libros reparare omnibus libris catholicae fidei, si fuerint destructi. Item, quod pro illis, qui sunt in purgatorio, non sit orandum.*

Septimo et vltimo contra sanctos viros *errando dicunt, se credere, quod perfecti homines communiter transscendere possint, et perfectiores sunt gloriosa virgine, et quosdam eam transscendisse in tribus virtutibus. Item, quod communiter aliqui inter eos perfectiores sunt S. Paulo. Item, quod quidam ex eis adeo sunt perfecti, vt non possint deficere, nec proficere in sanctitate. Item, quod perfectus homo non indigeat in hac vita virtutibus Theologicis, sicut fide, spe, et caritate.*

Has igitur omnes praescriptas haereses, siue errores, vna cum secta eorundem haereticorum, suorumque sequacium vtriusque sexus, cuiuscumque conditionis, status, ordinis vel religionis existant, et cum omnibus eorundem cerimoniis, conuenticulis, habitu et doctrinis, deliberatione diligenti cum sapientibus et electis viris praehabita, in Christi nomine damnamus, dictasque haereses et errores, tamquam fidei Christianae contrarios, reprobamus, et sequentes statutum sacri concilii Moguntini contra BEGEHARDOS *huiusmodi, et eorum sequaces, autoritate metropolitica canonice editum, cuius tenor praesentibus est annexus, errorum praedictorum professores vtriusque sexus in eisdem perseuerantes, ac omnes et singulos,*

gulos, eis in eisdem erroribus consentientes, credentes, fauentes, vel eos recipientes, aut quomodolibet defendentes, autoritate dicti concilii et nostra in his scriptis excommunicamus, et tamquam excommunicatos et ab vnitate sanctae Dei ecclesiae extraneos, praecipimus ab omnibus euitari. Inhibendo nihilominus sub eadem excommunicationis poena in contrarium facientes a nobis in his scriptis prolata omnibus, nobis lege diocesana subiectis, ne haereticis antedictis in suis erroribus perseuerantibus eleemosynas suas porrigant, vel eisdem aut eis consentientibus, scienter communicent alio quouis modo, saluis nihilominus aliis sententiis atque poenis, in tales per sedem Apostolicam promulgatis.

Vt autem tam reprobis et peruersis hominibus peruersitatis suae exercendae commercium oportunum adimatur, domos et habitationes suas, in quibus solebant habere conuentus, auctoritate ordinaria publicamus, et eas, antedictis haereticis, et eis consentientibus exclusis et eiectis, sanctae Dei ecclesiae applicamus ad necessitates pauperum conuertendas.

Praecipimus quoque sub poena praedicta omnibus, nobis lege dioecesana subiectis, quocumque nomine censeantur, ne scriptis, contilenis aut doctrinis peruersorum huiusmodi cum eisdem damnatis, legendo, auscultando, et alio quouis modo tamquam fautores quamlibetcunque vtantur: imo potius talia, vt praescriptum est, reprobata et damnata, si quae apud eos sunt, nobis infra Quindenam a publicatione praesentium praesentent igne cremanda.

Praedictis autem Begehardis, ab erroribus antedictis ad vnitatem sanctae Dei ecclesiae sponte redire volentibus, iniungimus sub poena excommunicationis latae sententiae, vt ipsi infra triduum post publicationem praesentium, habitu, quo hactenus in sua peruersitate vsi sunt, penitus abiecto et mutato, indumentis ab vmbilico deorsum scissis, desuper cum capuciis paruis, non tamen

tunicas consutis, non vtantur, et in petendis eleemosynis modum suum consuetum, qui est BROD DVRCH GOTT, omittant, et aliis mendicantibus se conforment. Nos enim in omnes et singulos, eosdem Begehardos, vel aliquem ex eis, in habitu per nos, vt praedictum est, reprobato recipientes, vel eis eleemosynas suas contra hanc nostram prohibitionem largientes, excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis.

Ad haec eadem sententia siue poena, quas supra, perstringimus et scripto praesenti innodamus omnes Swestrones, quae in singularitate quadam reproba pallium replicant super caput, et dum petunt eleemosynam, BROD DVRCH GOTT, clamitant in plateis, nisi infra triduum post publicationem praesentium singularitatem huiusmodi deserant, et se cum aliis vestibus et in petendo eleemosynam aliis Christianis conforment.

Per hanc autem nostram sententiam et praescriptum damnationis nostrae processum, Religiosis, qui sunt de tertia Regula FF. Minorum, aut Beginis honestis secularibus, vel etiam quibuslibet aliis familiaribus fratrum approbatorum ordinum, et secundum eorum consilium se regentibus, nullatenus volumus praeiudicium generari, sed eos iuxta modum seruatum in aliis prouinciis perdurare.

Igitur vos omnes et singulos, ad quos praesentes litteras peruenerint non exemptos in virtute sanctae obedientiae, exemptos vero caritatiue in Domino commonemus, praecipiendo firmiter et mandando, quatenus praesentem nostrum processum pro conseruatione fidei Christianae rationabiliter editum, cum vobis fuerit praesentatus, diligenter, quantum vobis a Deo conceditur, et feruenter in vestrae fidei zelo inspiciatis, et vsque ad plenum intellectum inspici et perlegi faciatis, ac deinde tribus diebus Dominicis proximis in ecclesiis vestris populo vobis commisso, vos vero exemti in praedicationibus vestris ad populum cum vulgari expositione lucida publicetis,

tis, et publicari faciatis. Exhibentes vos huic sanctae nostrae commonitionis praecepto tam promtos, tamque deuotos executores, quo praeter remunerationem diuinam nostra etiam sollicitudo ex debito commendet. Datum Sabbato ante festum Assumptionis B. Virginis. A. Domini MCCCXVII.

§. XII.

Parum concinne, immo pessime digessit *Beghardorum* disciplinam, qui hanc verbis antistitis Argentinensis epistolam composuit: ab hoc vero vitio, quod emendari potest attentione et ingenio, si abeas, aptissima est ad dispellendas tenebras, quae gentis huius historiam cingunt, et ad criminationes retundendas, quibus a multis promiscue et sine exceptione oneratur. Nondum viderat vel decretum Viennensis concilii contra *Beghardos*, vel *Clementinas*, quarum pars hoc est decretum, quum eam emitteret IOHANNES: qua de re non dubitabit, qui animaduertet, eum sententiam suam vnius Moguntini concilii iudicio confirmare atque munire. Moguntinum vero illud scitum, quod suos intueri iubet, et quod epistolae suae subiecit, ne forte desideraretur a sacerdotibus, quibus mandat, illud ipsum est, quod A. 1292. primum Aschaffenburgi propositum, postea in concilio Moguntino A. 1310. repetitum est: idque supra iam a nobis descriptum et illustratum est *). Si, quid Viennae contra *Beghardos* actum esset, cognitum IOHANNI, Argentinensi, fuisset, aut ex *Clementinis* id discere potuisset; sine vlla controuersia CLEMENTIS V. patroni sui, legem, et Viennensis concilii *vniversalis*, non *prouincialis* Moguntini tantum, auctoritatem testatus esset. Quae de *Beghardorum* dogmatibus in epistola hac traduntur, nunc omittemus; at quae de nominibus, statu, moribus familiae, scripta in ea leguntur,

*) Cap. huius §. III.

tur, colligenda hic esse, et in conspectu quasi lectorum ponenda censeo. Nomina primum sectae distinguit IOHANNES in ea, quae populus ipsi dabat, et quae ipsa sibi sumebat. Populus viros ei addictos appellabat *Beghardorum* vocabulo: mulieres vero nominabat *Schwestrones*, addito cognomine *Brod durch Gott*. Nomen *Schwestrones* ipsum est vocabulum Germanicum *Schwester*, quod *sororem* significat, forma Latina donatum. Viri mulieres, secum sociatas, *sorores* suas vocare solebant, et ipsae mulieres hoc sese nomine mutuo compellabant: inde hoc vulgi conuitium, qui, risus captandi caussa, honestam appellationem inflexisse paullulum et corrupisse videtur *). Cognominis ratio in formula posita est, qua misericordiam populi solebant implorare. Ipsa secta binis aliis insigniri malebat nominibus. Aut enim *secta liberi spiritus* dici volebat, aut familiam *parvorum fratrum et sororum voluntariae paupertatis* sese vocabat. Quarum appellationum altera ducta est a dogmate illo, quod vnice diligebant et inculcabant: *Perfectos Christianos ex seruitute legis in libertatem vindicatos esse:* Altera vero indicat, omnem habendi et possidendi cupiditatem eos fugisse, atque summam paupertatem affectasse. Id vero in posteriori appellatione obseruari maxime velim, quod non simpliciter FRATRES, sed PARVOS FRATRES sese denominarunt. *Paruus frater* idem est, quod *Fraterculus*, seu, vt Itali loquuntur, *Fratricellus* **). Vnde nouo iterum testi-

*) HENR. SPONDANVS in *Annalibus Eccles. ad A. 1306. n. XI. p. 359.* linguae Germanicae ignarus, lepidissime a *suibus* vocabulum *Suestriones* deriuat. *Cuius nominis nullam alibi notionem reperisse meminimus: quod forte a suibus deriuatum, quos in multis imitabantur.* Sed addit tamen: *vel ab aliquo vocabulo Germanico, quod eorum mores designaret.*

**) Rectius, Italice quidem, *Fraticello*, et plurali numero, *Fraticelli*, dicitur. Sed qui eorum peruersis et prauis imbuti erant opinionibus, appel-

teſtimonio, eodemque certiſſimo, id confirmatur, quod alio iam loco demonſtraui *), *Fratricellus*, quod Hiſtoriae Chriſtianae ſcriptores plerique opinantur, non eſſe conuitium aut ignominioſum vocabulum, ſed nomen honorificum, quod, modeſtiae ſuae declarandae cauſſa, ſibi *Beghardi*, aliique illis cognati impoſuerunt; tametſi generatim hoc vocabulum hominem ſignificet, habitu externo fratrem, ſeu Monachum referentem, at votis ſolutum, et nulli probatae religioſae ſectae adſcriptum. Genus id hominum, quod his vocabulis, aut notabatur, aut ſemet ipſum diſtinguebat, IOHANNES in binas claſſes diſtribuit: in ipſos *Beghardos*, et in amicos, ſiue *ſequaces*, vt loquitur, aut aſſeclas eorum. Inter aſſeclas erant Monachi, ſeu *religioſi*, ſacerdotes, ſeu *in ſacris ordinibus conſtituti*, *nonnulli etiam coniugati*, *et alii quamplures*. Partitio haec, obſcurius licet proponatur, ad interiores ſectae rationes perſpiciendas plurimum luminis affert. Late diffuſa erat per Argentinenſem prouinciam *familia liberi ſpiritus:* verum totam eius diſciplinam pauci tantum complexi erant; plurimi vero eam tantum ſequebantur et probabant. Aut totus ego haec et alia mecum diligenter expendens fallor, aut haec multitudo, vti pleraeque rigidiores ſectae, compoſita erat ex *perfectis* et *ſemiperfectis*, ſeu ad perfectionem tendentibus. Illi proprie vocabantur *Beghardi*, atque cum veſtimentis ſingularibus, tum mendicando et aliis rebus, intimam ſuam cum Deo coniunctionem, quam ſe conſequutos eſſe putabant, teſtabantur: hi vero, etſi conuentibus ſectae intererant, inſtituta eius nonnulla ſeruabant, atque ſenſim animum variis exercitationibus attollere atque purgare ſtudebant, vitae tamen ſtatum, in quo poſiti

pellantur in Pontificum legibus *Fraticelli de Opinione*, vel Italice *Fraticelli de la Opinione:* quod nomen ignominiae et conuitii nonnihil habere videtur.

*) Hiſtoria Ordinis Apoſtolorum, p. 383. 385.

erant, haud deſerebant, neque vel veſtes mutabant, vel victum mendicando quaerebant, vel domibus ſuis excedebant. Atque in eam, vt puto, ſententiam mecum facile deſcendent, qui modo in epiſtola, quam illuſtramus, epiſcopi obſeruauerint, fuiſſe inter ſectatores *Beghardorum* ſacerdotes, Monachos, homines in matrimonio viuentes, et diuerſi generis complures alios: quam turbam omnem nemo ſibi perſuaſerit, relictis conſuetis veſtibus ſuis, regulis, artibus, domibus, reque familiari tota, per vrbes et agros discurriſſe, panemque clamando poſtulaſſe. Et quomodo, vt reliquos mittam, Monachis et Sacerdotibus id facere licuiſſet, niſi grauiſſimam incurrere poenam voluiſſent? Domus igitur illae, quas publicari iubet IOHANNES, et pauperibus dicari, quoniam *Beghardi* in illis habitauerant, et conuentus egerant, non erant omnium ſodalium, ſed eorum tantum ex fratribus et ſororibus, qui ſupremum libertatis gradum attigiſſe ſibi videbantur, atque, rerum humanarum cura omni dimiſſa, contemplationi totos ſe deuouerant. Qui quidem quoniam conuentibus praeſidebant, atque doctorum in illis quodammodo munus obibant, nusquam rectius et oportunius morari poſſe videbantur, quam in domiciliis, in quibus fratres, ſtatis horis et diebus, congregari ſolebant. Iidem ſoli, non omnes, ipſo ornatu ſuo, ſiue amictu, quantum virtute diſtarent a reliquis, oſtendebant. *Togam* vero viri geſtabant, ſeu, vt in decreto Treuirenſi legitur, *tabardum et tunicam longam*, cuius pars anterior ab vmbilico ſciſſa, ſiue aperta erat: caput illo mitrae genere tegebant, quod *Capucium* nominare ſolent Monachi: quod tamen togae non erat aſſutum. Ea *Capucia* noſter IOHANNES *parua* dicit eſſe; Treuirenſes autem, quorum legem ſupra recitauimus *), *longa*. Forte *Beghardi* Alſatici formam tegumenti capitis, quo vtebantur, ſiue commoditatis, ſiue

*) v. ſupra, §. VIII.

siue aliarum rerum caussa, nonnihil mutauerant: forte quae certo sensu *parua* erant, eadem alio sensu, *longa* etiam nominari poterant *Capucia:* forte dissensionis aliquid inter *Beghardos* erat de figura pilei, quo vtebantur. Sorores siue *Beguinas* eumdem, quem aliae huius nominis mulieres, amictum adhibuisse videntur: nec enim episcopus in vestibus earum reprehendit aliquid, praeter hoc vnum, quod in publicum procedentes *pallium replicarent super caput.* Coniicio, consuetudinem hanc pallio caput et vultum inuoluendi introductam fuisse primum ideo, ne agnoscerentur facile sorores, per vicos panem flagitantes; deinde, vt, facie contra pudorem munita, tanto fortius et audacius vocem tollerent. Vox enim fracta et humilis non conueniebat *Beghardis* mendicantibus, verum alta et animosa, quoniam, quod ex hac etiam epistola patet, non sicut alii pauperes, vel obuios adibant, vel ostiatim necessaria petebant, sed vrbes et agros peragrantes, generali tantum hac formula: *panem propter Deum,* crebro repetita, homines ad dandum excitabant. Pallium hoc capiti impositum diu in Germania pro certa habitum fuit nota, per quam *Beguinae* probati moris ab illis, quae cognomine *liberi spiritus* notabantur, discerni possent. Quare sequenti adhuc saeculo, qui aut sororibus Franciscanae gentis *Tertiariis,* aut aliis mulieribus, *Beguinarum* more viuentibus, leges rogabant, pallium eas plerumque vetabant capitibus iniicere: cuius rei exemplum praebet vitae formula Biberacensibus sororibus A. 1406. praescripta, quam FRANCISCVS PETRVS publicauit *). Propagandae sectae maximopere inseruiebant libri atque hymni, quos *Beghardi* plurimos, lingua vulgari compositos, distribue-

*) in *Suevia ecclesiastica*, p. 166. Lex secunda sororum ita sese habet: Kain Schwester soll ihren Mantel auf dem Haupt tragen, seithemalen allein die verworffne Beginnen ihre Mäntel also tragen.

re in populo solebant: quare antistes afferri ad se noxia eiusmodi scripta iubet, vt flammis aboleri queant. Inter eos autem libros in Germania eminebat ille, qui *de nouem rupibus spiritualibus* inscribebatur: quem scriptori epistolae nostrae non fuisse incognitum, inde credibile fit, quod *Beghardos* docere perhibet, *se in* NONA RVPE *immutabiles esse, quod de nullo gaudeant, et de nullo turbentur.* Multi fuerint in hac familia scriptores vtriusque sexus, necesse est, quum et frequentes extent querimoniae de malis, ex libris eorum orientibus, et Pontificum non modo, verum etiam CAROLI IIII. Imperatoris, leges, tolli eos et deleri iubentes. Eam vero scribendi libidinem per tot impedimenta, quae currenti sectae magistratus et sacrorum praesules opponebant, auctam fuisse opinor. Vbique enim quum pellerentur, conuentus agere prohiberentur, ad supplicia quoque raperentur, quod verbis et voce non poterant, id libris et carminibus efficere studebant. In extrema epistola sua IOHANNES, Argentinensis, quod animaduersione dignum est, monet, nolle se, per mandatum suum, vel *Religiosis de Tertia regula Fratrum Minorum, vel Beginis honestis secularibus, vel denique aliis familiaribus fratrum approbatorum ordinum, et secundum eorum consilium se regentibus,* aliquid detrimenti et iniuriae inferre. Per hanc admonitionem firmatur primum id, quod supra probauimus, fratres non modo *Tertiarios* Franciscanae gentis, verum etiam aliorum Ordinum religiosorum, *Beghardorum* quoque nomine salutatos fuisse: commune enim nomen si tollas, nihil erat in his, quod episcopum, vt saluti eorum prouideret, inducere poterat. Illa deinde bonae voluntatis erga *Beguinas honestas* professio testatur, episcopum, quo haec scribebat tempore, nondum aliquid in *Beguinas* generatim statuisse. Nempe *Clementinae* nondum ad manus eius peruenerant: quibus acceptis, ille, quod mox videbimus, nullo discrimine

habito,

habito, omnes mulieres adgrediebatur, in quas *Beguinarum* vocabulum cadebat.

§. XIII.

Non tantum IOHANNES ex mandato hoc fructum capiebat, quantum optabat et sperabat. Paullo enim post, quum ipse prouinciam suam obiret, et in sacri ordinis vitam moresque acrius inquireret, ingenti cum dolore discebat, vbique *Beghardos*, seu *liberi spiritus* fratres, inter suos latere, erroresque eorum in plurimorum mentibus altius inhaesisse. Itaque, nulla mora interposita, viris humani diuinique iuris consultissimis in consilium vocatis, omnes intendebat vires ad hanc pestem profligandam, animorumque latrones illos ex latebris suis protrahendos. Atque huic eius studio adeo fauebat fortuna, vt breui tempore prouinciam suam purgaret, saltim insidiosae sectae progressus in ea cohiberet. Quotquot *Beghardorum* explorari poterant, in carcerem coniiciebantur: de quibus aliqui nec rationibus, nec minis, flecti poterant, vt errores suos abiicerent, et in gratiam cum ecclesia redirent. Hos peruicaces et obstinatos homines episcopus ciuili magistratui comburendos tradebat: alii saniores voci pastoris sui obediebant, et ad officium reuertebantur. His ille crucis notam imponebat, per quam tacite apud populum de poenitentia sua testarentur. Ceteri, his exemplis territi, solum mutabant, et ad vicinas prouincias et vrbes aufugiebant. Hos IOHANNES quum cominus non posset, eminus tamen insectari non desistebat. Litteris enim ad finitimos episcopos datis, quibus acta iudicii in *Beghardos* a se constituti adiuncta erant, quid a se gestum esset, eos edocebat, et grauiter simul exhortabatur, vt vigilantiam suam imitarentur, perfidosque homines a gregibus suis propulsarent. Horum omnium ipse testis est IOHANNES, in epistola ad antistitem Wormatiensem data, quam subiicimus. Is erat, quod Wormatiensium episcoporum index

index ostendit, EMERICVS de SCHOENECK, quem eo ipso anno, quo haec ad eum epistola exarata est, diem obiisse accepimus *).

Venerando in Christo Patri, Domino Wormatiensi episcopo, amicorum suorum praecipuo, IOHANNES, *Dei gratia Argentinensis, sincerae dilectionis perseuerantiam sempiternam.*

Reuerendae vestrae paternitati cupimus esse notum, quod cum nuper ex officio nostro circa Clerum nostrae ciuitatis et dioecesis visitationis officium ageremus, inuenimus, quod dolenter repetimus, per quosdam falsos Christianos in grege Dominico, nobis commisso, contra verae fidei Christianae articulos peruersissimum dogma processisse, et errores detestandos clanculo seminatos, ex quibus, nisi per eos, qui ecclesiae Dei praesunt, sagaciter et viriliter, prout eorum requirit officium, cum dominico occurratur adiutorio, possent schismata et damnabilia scandala suboriri. Vnde nos de tam nephandis erroribus ineffabili dolore ex corde permoti, et ad obuiandum tantis periculis excitati, vocatis viris religiosis et secularibus, diuinae et humanae legis magistris et doctoribus, cum illorum consilio et auxilio contra huiusmodi peruersitatis seminatores et doctores peruersos strictam et solennem, prout fieri decet, inquisitionem fecimus de praemissis, et aliquos de talibus, per lucidissimas probationes et proprias eorum confessiones conuictos, quos a suis peruersis erroribus per nos, vel per alios veros fidei doctores, non potuimus reuocare, eorundem doctorum mediante consilio, reliquimus tanquam alienatos a fide, seculari curiae puniendos; quosdam vero, qui poenitentia ducti, et salubribus ecclesiae monitis ad vnitatem fidei fuerant reuocati, eiusdem fidei signo crucis signatos recepimus publicum per emendam: prout haec in processu nostro, contra eosdem habito, quem vobis cum prae-

*) Histoire Ecclesiastique d'Allemagne, Tom. I. p. 32.

praesentibus mittimus, continetur. Verum quia intellleximus, quamplures dictae peruersitatis complices nostrum examen *) *ad vestram et alias ciuitates et dioeceses declinasse, in quibus, vt dicitur, errorum suorum inueniunt fautores, sinceritatem vestram hortamur in Domino et rogamus, quatenus super gregem dominicum, vobis commissum, in hac parte taliter vigilatis, quod per vestrae prudentiae curam sollertem, vniuersis erroribus destructis, ecclesiae vnitas conseruetur. Dat. MCCCXVIII. VI. Kal. Iulii.*

Tales epistolas ad alios etiam plures episcopos, quod scriptor codicis, ex quo hanc sumsimus, in fine eius adnotandum duxit, mittebat. Et credibile est, dicto audientes ipsi fuisse, quos officii sui commonebat, et bonam idcirco antistitum Germaniae partem *Beghardos* indagari, et poenis affici curasse. Inter haec *Clementinas* leges, cura IOHANNIS XXII. vno volumine collectae, vbique vulgabantur: ex quibus quum intellexisset IOHANNES noster Argentinensis, concilium Viennense vitam et statum *Beguinarum*, auctore CLEMENTE V. prorsus sustulisse, his etiam mulieribus, quibus adhuc pepercerat, sine delectu bellum sibi esse indicendum arbitrabatur. Quod bellum quemadmodum ab eo gestum, et qua ratione compositum sit, conuenienti loco videbimus.

§. XIIII.

Beghardi tot locis et prouinciis eiecti, totque legibus et decretis percussi, ad inferioris Germaniae partes magno numero proficiscebantur, atque per vtramque Saxoniam, Hassiam, Thuringiam aliasque regiones errabant. Quibus in terris quum nec satis noti essent, nec vlla lege publica infamati, tutiores sibi facile sedes ad tempus quoddam per illam summae pietatis, quam osten-

*) Editori hoc loco *fugimus*, aut simile quid deesse videtur.

ostendebant, speciem comparabant. Eius rei testem habemus maximum; ipsum Imperatorem, CAROLVM IIII. qui in edicto, sectae huic opposito, quod infra totum legendum dabimus, in prouinciis, quas nominauimus, eam ad sua vsque tempora sine periculo et incommodo habitasse refert, gaudetque simul, nidos eius, se regnante, disturbatos et distractos esse. Nihilo tamen minus haud pauci gregis huius in illis terris, in quibus publice hostes ecclesiae iudicati erant, restabant, qui, deposito amictu, per quem facile dignoscebantur, et intermissa mendicatione, cui operam dare alioquin solebant, cautissime viuebant, et clandestinos conuentus cum illis celebrabant, quos tam sermonibus, quam libellis, in partes suas pertraxerant. Quumque multis hi fautoribus et amicis inter sacerdotes, Monachos et *Beguinas* vterentur, haud difficulter latibula reperiebant. Quocirca nouis semper legibus et mandatis opus erat ad renascentis sectae conatus reprimendos. Praecipua eius sedes in Germania, Colonia erat, vbi et primus eius coetus coaluisse, et familiae vniuersae capita, principesque magistri diu vixisse videntur: nec idcirco vsquam tot aduersus *Beghardos* leges, quot Coloniae, conscriptae et editae sunt. Audiuimus supra facundum et amplissimum decretum, quo A. 1306. HENRICVS de VIRNENBVRG eos adgrediebatur: quod si quem fructum tulit, certe non is stabilis et diuturnus erat. Paucos enim post annos tantas opes recuperauerant, vt vniuersam Coloniensem prouinciam obsiderent, suaque in ea dogmata late spargerent, duce potissimum WALTHERO quodam, Batauo, homine diserto, cauto, scriptisque inclyto. Qua re cognita, idem ille HENRICVS in concilio episcoporum prouinciae suae, quod declinante A. 1322. congregabat, bellum in eos, aliquamdiu intermissum, instaurabat. Nulla extant concilii huius decreta, immo ne mentio quidem inter *Statuta Coloniensia*, quae bis edita esse, supra obseruauimus: verum meminit eius NICO-

COLAVS SCHATENIVS ex tabulis Paderbornensibus, et quid actum in eo sit, quinam ei interfuerint episcopi, his verbis tradit *): *Idem Henricus A. 1322. pridie Kalendar. Decembris celebrem habuit prouincialium episcoporum synodum, cui Godefridus Osnabrugensis, et Godefridus Mindensis interfuere, ceteri per legatos, missusque a Ludouico, Monasteriensi episcopo, Magister Rutgerus de Aldendorp, Decretorum Doctor, et Henricus de Bicken, Canonici Monasterienses. Multa in ea synodo salubriter statuta, ac pleraque renouata ex Synodis Engelberti Archiepiscopi.* Hic, vt arbitror, caussa indicatur, cur nullae huius concilii leges inter *Statuta Coloniensia* compareant. Nihil fere noui concilium decernebat, sed superiorum tantum antistitum et conciliorum scita renouabat. Pergit SCHATENIVS: *Opportune haec episcoporum synodus conuocata ad Lolhardorum haeresin obterendam, quae a Walthero quodam, Lolhardorum magistro et principe flagitiosissimae illius sectae, in vrbe Coloniensi, viciniisque locis disseminabatur. Eademque haec secta erat, quae Begardorum et Beghinarum, quae in Italia origines sumserat, Dulcino haeresiarcha.* Hic vera falsis et incertis miscet vir doctus, fidei alienae plus, quam satis erat, tribuens. *Beghardorum* sectam a concilio damnatam esse, recte docet: neque in eo fallitur prorsus, quod eam a *Lolhardorum* familia non differre scribit, tametsi hoc, certo modo tantum, probari potest. Ex Italia vtrum haec egressa sit secta, an in alia Europae prouincia nata, infra quaeremus. Quod autem DVLCINVM parentem eius esse perhibet, totus errat: florebat illa, antequam DVLCINVS in hanc lucem ederetur, quod supra iam demonstrauimus. Quae de erroribus *Beghardorum* adiicit SCHATENIVS, praetermitto. Translata enim ex TRITHEMIO sunt omnia, quem ipsum non

*) Annalium Paderbornens. Tom. II. p. 249.

non satis diligenter inspexisse videtur. Multa sine dubio concilii huius decreta pericula et mala miseris *Beghardis* pariebant: quorum vnum erat hoc, quod spe vicinam Westphaliam inuadendi priuabantur, quoniam qui vel ipsi, vel per legatos suos, Coloniae cum Archiepiscopo deliberauerant Westphalorum praesules, turpitudine sectae perspecta, fortiter eam a finibus suis arcebant. At, inquit SCHATENIVS *), *ne haec haeresis in Westfaliam penetraret, fecit vigilantia episcoporum, qui tum praestantissimi censebantur, Ludouicus Monasteriensis, Godefridus Osnabrugensis, Godefridus Mindensis, Bernardus Paderbornensis, ceterique praesules.* ' Et inter omnes certe Germaniae prouincias nulla est, cui minus cum *Beghardis* certandum fuit, quam Westphaliae. Qui ad repetendam et acuendam constitutionem suam in hanc gentem, HENRICVM, Coloniensem, nimia sua eius amplificandae contentione in primis accenderat, WALTHERVS ille, dux et signifer gregis; ipse, malo suo fato, in potestatem legislatoris veniebat, et temeritatis suae poenas dabat. Incertum est, vtrum id ante concilium contigerit, an ipsius concilii tempore. Forte ante concilium captus, et ab ipso concilio et auditus, et condemnatus est homo. Hic est celeberrimus ille WALTHERVS LOLHARDVS, quem tot historiae Christianae scriptores nobis narrant, sectae *Lolhardorum* parentem et conditorem esse, quam a *Beghardorum* et *Fratricellorum* factionibus distingui volunt; quem multi Waldensium sacerdotem, seu doctorem fuisse tradunt; quem nonnulli pium et egregium virum fuisse praedicant, et illustrem veritatis diuinae testem; quem denique *Lolhardi* cognomen gessisse, quod in vniversam familiam, ab ipso exstructam, deriuatum sit, plurimi perhibent. Quae omnia vnde viri eruditi acceperint, ego quidem nescire me fateor, quum apud TRI-

THE-

*) Annal. Tom. II. p. 250.

THEMIVM, quem vnum omnes testantur, nihil eorum scriptum legatur. IO. TRITHEMIVS, quae de infelici hoc WALTHERO posteris consignauit, haec sunt *): *Anno Sigismundi Abbatis praenotato, haereticus quidam, Waltherus nomine, Fratricellorum princeps et haeresiarcha pessimus, qui multis latuerat annis, et plures suis erroribus pessimis innodauerat simpliciores, apud Coloniam deprehensus est, et per sententiam iustitiae ignibus traditus atque consumptus. Vir diabolo plenus et omnium versutissimus, in errore pertinacissimus, in responsione callidus, in doctrina peruersus, qui nec promissis, nec minis, imo nec saeuissimis potuit induci tormentis, vt errorum suorum complices, qui tamen erant plures, indicaret. Capita haereseos Fraticellorum anno Godfridi Abbatis septimo scripsimus, quos, occasione accepta, etiam anno Henrici Abbatis secundi sexto decimo replicauimus. Loharius autem ille Waltherus, natione Hollandinus, Latini sermonis paruam habebat notitiam, et quia Romano non potuit, sermone sibi Teuthonico plures sui erroris libellos conscripsit, quos deceptis per se occultissime communicauit: et cum errores suos emendare et reuocare contemneret, sed constantissime, quin potius pertinacissime dico, defenderet, in ignem proiectus fauillam sui reliquit.* Inter veteres, qui praeter TRITHEMIVM viri huius mentionem fecerit, nemo vel mihi notus est, vel ab aliis indicatur. Ex recentioribus vero vnus NICOL. SCHATENIVS, occasione ex concilio Coloniensi, de quo egimus, capta, pauca Trithemianae narrationi addit; quae quum verisimillimum sit, ex concilii Coloniensis Actis ab eo hausta esse, non male hinc coniicias, ipsum concilium sententiam in WALTHERVM tulisse. Sic ergo ille **): *Horum magister, doctorque Waltherus,*

*) Annal. Coenobii Hirsaugiens. Tom. II. p. 155.

**) Annal. Paderbornens. Tom. II. p. 250.

rus, postquam Moguntia Coloniam venerat, sparsisque in vulgus libellis Germanico idiomate scriptis, multos corrumperet, comprehensus est in carcerem coniectus, palam ante supplicium confessus, multos se relinquere sui dogmatis tam in vrbe, quam in vicinis circum locis discipulos. His igitur binis auctoribus constat, (1) WALTHERVM, gente Batauum, seu *Hollandinum* fuisse, atque ex patria, disciplinae suae sine dubio propagandae caussa, in Germaniam migrasse. (2) Hominem fuisse nec prorsus rudem, et indoctum, at nec valde tamen doctum. Latini enim sermonis *paruam habebat notitiam*, neque tantam, vt ea mentis sui sensa exprimere posset. (3) Hominem fuisse non contemnendo praeditum ingenio: nam et callide respondebat iudicibus suis, et quae mente voluebat, scienter scribendo explicare poterat. (4) Moguntiae aliquamdiu commoratum fuisse, atque inde Coloniam, forte non diu ante concilium, se contulisse. Sperabat forte, futurum esse, vt minori cum periculo Coloniae viueret atque doceret, quam Moguntiae, vbi magna erat legum in *Begardos* rogatarum vis et auctoritas. (5) Et in vrbe, et in agro Coloniensi multos sententiis suis imbuisse, felicique hoc laboris sui successu effecisse, vt noua in *Beghardos* tempestas exoriretur. (6) Quaesitum diu frustra fuisse ab Archiepiscopo. (7) Multos libellos sermone Teutonico composuisse, iisdemque religionis suae dogmata tam luculenter exposuisse, vt multi legendis illis ad ipsum deficerent. Videor mihi ex TRITHEMII verbis intelligere, Batauа dialecto libros suos WALTHERVM exarasse. Dicit enim, eum *sermone* SIBI *Teuthonico* scripsisse, quasi dicat, eo sermonis genere, qui non Germanis, sed ipsi *Teutonicus* videbatur, qui apud Batauos natus erat. Forte hic ipse WALTHERVS auctor est libri illius, quo nullo cariorem habebant *Beghardi*, *de nouem rupibus*, de quo infra dicemus. (8) Comprehensum nulla ratione adduci potuisse, vt sententias suas repudiaret, contra

tia eas fortiter et ſubtiliter aduerſus eos, qui diſputando hominem conuincere ſtudebant, defendiſſe. (9) Profeſſum eſſe, multos ſeſe ſocios et diſcipulos in vrbe et prouincia Colonienſi habere. (10) Equuleo iniectum et ſaeuiſſime excruciatum fuiſſe, vt ſodales ſuos indicaret: verum nihil ab eo neque minis, neque promiſſis, nec denique ſuppliciis, extorqueri potuiſſe. (11) Ideo flammis conſumtum fuiſſe. (12) *Fratricellorum* eum fuiſſe principem. Vocabulum *princeps* quam late hic pateat, vtrum praecipuum doctorem, an vero caput et gubernatorem ſectae ſignificet, obſcurum eſt. Neque magis liquet, vtrum ad vniuerſam familiam *Fratricellorum*, an ad illum coetum, qui Colonienſem prouinciam infeſtabat, referri debeat: quamquam veriſimilius mihi poſterius videri non diſſimulo, quum hominem Batauum, nec Latini ſermonis peritum, vniuerſae *Beghardorum* ciuitati longe lateque fuſae praefuiſſe, difficile creditu ſit. Ex his quemadmodum ea confici poſſint, quae de hoc WALTHERO feruntur, nulla ego ratione conſequor. Non TRITHEMIVS tradit, eum ſectam quamdam condidiſſe, ſed principem ſectae *Fratricellorum*, dudum ante ipſum conditae, fuiſſe: multo minus refert, *Lolhardorum* eum auctorem eſſe, quorum hominum ne mentionem quidem facit: nec denique, vt cetera omittam, ſignificat, cognomen ei LOLHARDVS fuiſſe. Vocat eum quidem *Loharcum* TRITHEMIVS: ſic enim diſerte, non *Lolhardum*, in meo codice ſcriptum legitur: *Loharcus autem iſte Waltherus*. In quo ſi vitium librarii latere, atque *Loharcus* mutari debere in *Lolhardus* fatear, quod equidem diffiteri confidenter nolo: numquam tamen ex hoc vocabulo effeceris, WALTHERVM illum, vel LOLHARDVM appellatum fuiſſe, vel ſectam quamdam *Lolhardorum* creaſſe et collegiſſe. Ipſa potius orationis forma dubitare nos non ſinit, vocabulum hoc contumeliae cauſſa adhibitum a TRITHEMIO eſſe.

S 2 Erat

Erat certe aetate eius, quod suo loco docebimus, *Lolhardus* conuitium, ex Batauis ad Germanos delatum, quo generatim homines vagi, dissoluti, publicisque religionibus inimici designabantur. Et est in ipso TRITHEMIO locus huic simillimus, per quem haec interpretatio euidenter confirmatur. Loquitur *) de BERTHOLDO quodam, quem nos paullo post in medium producemus, eumque *Beggardum* fuisse sub ipsum narrationis exordium monet: cuius postquam impios errores recitauerat, ita plenus indignatione pergit: *praescriptos et plures alios errores memoratus* LOLHARDVS *ante in ciuitate Francorum Wirzburg dogmatizando disseminauerat*, id est, nisi plane fallor, memoratus ille nebulo et impostor. Adde his, qui *Beggardi* vocabantur, eos etiam, postquam in commune odium incurrerant, ignominioso hoc vocabulo denotatos, et saepe *Lollhardos* dictos fuisse: quod quidem exemplis in sequentibus demonstrabitur. Restat, vt exquiramus, ne quis dubitandi locus relinquatur, quales illi *Fratricelli* sint, quorum *principem Waltherum* nostrum fuisse, TRITHEMIVS testatur. Ipse binis aliis locis errores *Fratricellorum* illorum a se explicatos esse, indicat; quibus tertium addere potuisset: hi ergo loci in auxilium vocandi a nobis sunt, vt, cui sectae adscriptus homo ille fuerit, appareat. Primo loco ad annum septimum Godofredi Abbatis **), *Fratricellos* ait, a Bonifacio VIII. condemnatos esse, et postea a IOHANNE XXII.: deinde, eos a Tancelino, pestifero homine, qui Antwerpiae multos perniciosis erroribus suis deceperit, profectos esse suspicatur: tum nouem eorum nefanda dogmata recenset: postremo refert, auctorem sectae *Hermannum*, iussu Bonifacii Pontificis, Ferratiae, vbi mortuus fuerat, exhumatum et exustum fuisse. Hic *Hermannus* ille est *Pongilupus*, a quo plures alii, praeter

*) Annal. Hirsaug. Tom. II. p. 231.
**) loc. cit. p. 74.

ter TRITHEMIVM, *Fratricellorum* sectam derivare solent: quod temere fieri, hodie satis constat, postquam Acta *iudicii in Hermannum* habiti, a LVDOV. ANTON. MVRATORIO edita sunt, ex quibus *Catharorum* partes eum sequutum fuisse liquet. Secundo loco DVLCINVM, quo duce *Apostolorum* ordo vsus est, *Fratricellorum* sectam instaurasse scribit *). Tertio denique loco narrat, Viennense concilium, a CLEMENTE V. conuocatum, *Beghardos* et *Beghinas* infamiae nota iussisse, eosque Fratricellorum posteros, seu de *faecibus Fratricellorum* natos esse. Post haec octo illos *Beghardorum* errores, quos *Clementina* illis tribuit, ipsis fere huius legis verbis exhibet. In his non pauca sunt, quae emendationem desiderant, et TRITHEMIVM ostendunt mediocri sectarum, quae ecclesiam ante aetatem eius turbauerant, notitia valuisse: his vero in alium locum sepositis, nunc tantum animaduertimus, in vniuersum existimasse TRITHEMIVM, *Fratricellos* illos ipsos esse *Beghardos*, de quibus hic agimus, nefarios illos ecclesiae inimicos, quos CLEMENS V. et IOHANNES XXII. in haereticis habere omnes iusserant. Neque in hoc prorsus eum opinio fallebat. Quod enim paullo ante ex IOHANNIS, Argentinensis, epistola cognouimus, amabant *Beghardi* nomen *Fratricellorum*, seu *paruorum fratrum*, totque praeterea habebant cum aliis, quibus idem vocabulum imponi solebat, communia, vt confundi facile cum illis possent. Itaque manifestum est, WALTHERVM non nouam quamdam religionis formam excogitasse, sed magni tantum doctoris, seu *principis*, personam in *Beghardorum* coetu sustinuisse.

§. XV.

Tristis huius hominis exitus et concilii Coloniensis edicta non expugnabant animos eorum, qui Coloniae

*) loc. cit. p. 103. 104.

disciplinam eius receperant, vt vel vrbe egrederentur, vel aliam mentem induerent. Pergebant clam, et in primis noctu, certis locis conuenire, et in istis secretis concionibus cum doctorum suorum sermones audire, tum ea agere, per quae ad supremam mentis perfectionem ascendi paullatim posse opinabantur. At vix triennio a morte WALTHERI elapso, improuisus quidam casus magistratui et tempus, et locum conuenticulorum illorum prodebat: qui per lictores in congregatam multitudinem irruens plurimos capiebat, et extremo supplicio affici iubebat. Memoriam calamitatis huius scriptor aequalis, Monachus ille WILHELMVS, cuius *Chronicon* Egmondanum ANTON. MATTHAEVS publicauit, interire vetuit *). Is vero rationem patefacti mysterii declaraturus, binas narrat Historias valde diuersas: quod argumento est, vtramque ex ore vulgi exceptam esse, neque certi aliquid homini de caussis euentus istius cognitum fuisse. Narrationem his verbis orditur: *Eodem anno* (1325.) *Begardorum nequitia, quae diversis mundi climatibus hactenus latere cernitur, apud Coloniam propalatur. Isti enim eorum ibidem stultitiam praedicantes, et matronas varias ad ipsorum ludibria contrahentes, sub terra quoddam mirabile habitaculum fecerant, quod Pardysum vocabant. Omnibus enim illico divitiis affluebant.* Hic *subterraneus Begardorum* paradisus, mirabiliter a secta diuitiis affluente ornatus, magnam iam fabulae suspicionem commouet: maiorem, immo maximam, ipsa, quae sequitur, historia, quam, resectis inutilibus verborum ambagibus, breuiter meis verbis explicabo. Fortunati cuiusdam hominis vxor conuentus *Begardorum* nocturnos frequentare solebat. Maritus ea de re ab ancilla monitus, *nocte Parasceues* eam sequitur, vesteque fratrem decente tectus, facile admit-

*) ANT. MATTHAEI veteris aeui Analecta, Tom. II. p. 643. f. ed. nouae.

mittitur. *Ipse lorica munitus, cuiusdam quoque Lollardi habitu indutus ad praefatum locum festinare traditur.* Haec verba id, quod paullo ante ad TRITHEMII locum obseruauimus, confirmant, *Beghardos* etiam a plebe *Lollardos* vocatos fuisse. Pro *Beghardo* enim ciuis ille quum duci vellet, sine omni controuersia vestem *Beghardo* conuenientem sumsit. Nouus ille hospes mirabilia videt. Duo aderant homines, vir et mulier, qui se Iesum et Mariam esse praedicabant. *Duo, vt per conceptionem loquar, ibidem aderant, qui se Mariam et eius filium asserebant.* Surgit vnus de medio turbae, ceteris eloquentior, nudus, atque per praesentem Iesum eiusque matrem, *omnes more innocentum ad nuditatem exhortatur*, id est, rogat, vt vestes exuant, primique status innocentiae exemplum exhibeant. Addit idem vim verbis suis, atque vestimenta praesentibus sigillatim detrahit. Id nempe barbarum scriptorem sibi velle puto, quum dicit: *dictus nudus praedicans* — — — *vario errore* (errans et discurrens per multitudinem) *tam prima, quam media* (id est, totum corpus) *nititur detegere.* Tum lumina exstinguuntur. Singuli fratres vicinas sibi sorores amplectuntur, et libidinem explent. Aduena ille cum propria vxore congreditur, eique in maxilla leuiter vulneratae annulum aufert, ne desit, per quod admissi criminis coniugem conuincere queat. Postero die rem magistratui denuntiat. *Capiuntur igitur, cum praefato Ihesu, eiusque matre, huius sectae singuli, quorum corpus, aut ignis voragine, aut Rheni fluminis suffocatur.* Hoc facile credo homini, infelicem illam turbam aqua et igne deletam fuisse: neque id totum esse fictum, statuere audeo, quod de imitatione status innocentiae, nudatisque magistri iussu corporibus tradit. Magna enim in promtu nobis sunt, et suis locis afferentur testimonia, quae turpes et vecordes in illa *Beghardorum* familia homines fuisse demonstrant, qui pudorem perfectioni animae obstare, vitiumque naturae corruptae

 esse,

esse, nudis e contrario corporibus adspiciendis et contrectandis furorem libidinis sensim vinci debere, praecipiebant. Cetera ineptissimae fabulae simillima sunt. Audiamus nunc alteram historiam, cuius, si exitum tollas, nihil iterum credibile est. Iuuenis quidam Coloniensis amore virginis cuiusdam contabescens, a sorore ad *Beghardorum* conuentum ducitur, cui fratris amicam interesse solere nouerat. Voti ergo ille inter homines, quibus sorores, quas vellent, inuadere licebat, compos fit. Vitiata puella poenitentia facinoris tacta, rem sacerdoti postremo aperit, cui peccata confiteri solebat: ille praetori, qui *Beghardorum* concionem, nil mali metuentem, ex improuiso adoritur, et in vincula coniicit. *Huius itaque Paradysi*, haec verba sunt historici barbare diserti et ingeniosi, *Cherubim dormiente, gladioque versatili iam cessante, accessus panditur. Ballinus accersitur, cuius vultui multo magis, quam auditu perceperat, ostentatur, vbi vtriusque sexus multitudo capitur, quorum plurimi denario procurante, auaritia instigante, mortis nexibus liberantur.* Vti tota haec historia differt a priori: ita finis quoque vtriusque prorsus discrepat. Alter iudex omnes, quos ceperat, interficit: alter plurimos, pecunia victus, viuos abire patitur. Excerpamus ex his vnum, tamquam certum, A. 1325. Coloniae multos *Beghardos* misere periisse, at plurimos quoque, qui mortis metu emendationem promiserant, et errores eiurauerant, supplicium effugisse: cetera in vulgi fabulis ponamus. Verbum addam de nomine *paradisus*, quo locus, vbi congregabantur *Beghardi*, appellatur. Dicebantur homines isti statum innocentiae, corpora in conciliis suis nudando, imitari velle: hinc populus locum, quo conuenire solebant, *paradisum* eorum nominabat.

§. XVI.

Eodem fere, quo haec contingebant, tempore, aut paullo post, HENRICVS, Coloniensis ille antistes,

qui

qui tanto feruore *Beghardos* in prouincia sua oppugnabat, illustri magna cum animi molestia exemplo discebat, verissimum id esse, quod et ipse, et alii praesules publico conquesti erant, inter sacri ordinis viros, tam sacerdotes, quam Monachos, haud paucos esse, opinionibus eorum deditos. Celebris erat ea aetate inter fratres Dominicanos et scriptis, et rebus gestis, AICARDVS, seu ECCARDVS, Saxo, Theologiae Doctor, qui Lutetiae Parisiorum magna cum laude sanctiorem sapientiam docuerat, et prouinciae Saxonicae, fratrum iudicio, praepositus erat *): cuius dignitatis rite obeundae caussa Coloniae viuebat. Is, magni nominis et spectatissimae pietatis homo, eadem illa dogmata, quibus tota *Beghardorum* disciplina nitebatur, et in libris, quos plures exarauit nondum obliuione deletos, tradiderat, et sine dubio Coloniae profitebatur. Quod quum accepisset HENRICVS, in iudicium eum vocabat, et post diligentem caussae cognitionem grauissimorum errorum reum pronuntiabat. ECCARDO in hac sententia non acquiescente, lis ad Pontificem Maximum, Auenione tum residentem, deferebatur. IOHANNES XXII. confirmabat iudicium Archiepiscopi, HENRICI, atque singulari edicto, Auenione d. VI. Kal. Aprilis A. 1329. dato, quod primum ODOR. RAYNALDVS publicae luci exposuit **), viginti sex sententias accusati, quas ipse confessus erat, vna cum libris, quibus eorum aliquos proposuerat, Christianos fugere ac detestari iubebat. Antequam haec sententia promulgaretur, ECCARDVS diem obibat supremum, atque morti vicinus, quod ipse Pontifex in sanctione sua testatur, quae ab ecclesiae

*) IAC. ECHARD et QVETIF Scriptor. Dominicanor. Tom. I. p. 507.

**) Continuation. Annal. Baronii, Tom. XV. ad A. 1329. n. 70. p. 389. Extat idem edictum in CAROLI PLESSIS d'ARGENTRE Collectione iudiciorum de nouis erroribus, Tom. I. p. 312.

ſenſu aliena ſcripſerat et docuerat, omnia improbabat et abiiciebat. Ex ſententiis in hoc viro damnatis, illas tantum referam, ex quibus conſenſio eius cum *Beghardis* manifeſta fit, omiſſis ceteris, quae forte non toti huic ſectae placuerunt. Dogma decimum: *Nos transformamur totaliter in Deum et conuertimur ſimili modo: ſicut in ſacramento panis conuertitur in corpus Chriſti, ſic ego conuertor in eum, quod ipſe operatur me ſuum eſſe.* Dogma vndecimum: *Quidquid dedit pater filio ſuo vnigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi: hic nihil excipio, nec vnionem, nec ſanctitatem, ſed totum dedit mihi, ſicut ſibi.* Duodecimum dogma: *Quidquid dicit ſacra Scriptura de Chriſto, hoc etiam totum verificatur de omni bono et diuino homine.* Dogma decimum tertium: *Quidquid proprium eſt diuinae naturae, hoc totum proprium eſt homini iuſto et diuino: propter hoc iſte homo operatur, quidquid Deus operatur, et creauit vna cum Deo coelum et terram, et eſt generator verbi aeterni: et Deus ſine tali homine neſciret quicquam facere.* Dogma decimum quartum: *Bonus homo debet ſic conformare voluntatem ſuam voluntati diuinae, quod ipſe velit, quidquid Deus vult: quia Deus vult aliquo modo me peccaſſe, nollem ego, quod ego peccata non commiſiſſem: et haec eſt vera poenitentia.* Dogma decimum ſextum: *Deus proprie non praecepit actum exteriorem.* Dogma decimum octauum: *Afferamus fructum actuum non exteriorum, ſed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit et operatur.* Cetera, vel his ſimilia, vel ex his manantia, quum repetenda ſtatim mihi ſint, transſcribere nolo. Quam belle vero cum *Beghardorum* opinionibus congruant, paullo poſt apparebit.

§. XVII.

Per haec, aliaque teſtimonia, ſectae per magnam Europae partem occulte ſerpentis, et omnem conciliorum et antiſtitum vigilantiam fruſtrantis, IOHANNES XXII.

XXII. edoctus, leges Viennenses, seu *Clementinas*, ad eam debellandam non sufficere, ipse nouam et ampliorem constitutionem A. 1330. in eam rogabat, in qua cum clarius et plenius praecipuos eius errores proponebat, tum maiorem poenam doctoribus et fautoribus eorum dictabat. Incipiebat haec noua lex a verbis: *In agro Dominico*, et inscripta erat: *Contra singularia, dubia, suspecta et temeraria, quae Beguardi et Beguinae praedicant et obseruant.* Nondum ea in lucem prodiit, plurimae licet IOHANNIS XXII. epistolae et leges aetate nostra sint editae. Sperabat quidem CAROLVS du PLESSIS d'ARGENTRE' *), cui ex PAVLO LANGIO innotuerat, fore, vt eam a codicum manu exaratorum Bibliothecae Vaticanae custode impetraret, et vulgaret. Sed spes eum fefellerit, necesse est, quum nusquam in opere, quo iudicia de nouis erroribus a saeculo duodecimo collegit, compareat. Dum alius felicior hoc nobis munus afferat, summa legis capita sitim nostram restinguant, quae saeculi XIIII. historicus in primis diligens, HERMANNVS COERNERVS, *Annalibus* suis intexuit. Est praeter hunc, a quo paucis verbis tangitur, alius, PAVLLVS LANGIVS **); *Papa autem*, ait is, *contrarium determinans praefatum Michaelem* (de Cesano) *et multos alios doctores illi consentientes excommunicauit, et pro haereticis damnauit, ediditque proinde constitutionem, quae incipit:* In agro Dominico, *propter singularia, dubia, suspecta et temeraria, quae Beguardi et Beginae praedicabant et strictissime obseruabant.* Is vero non leuiter peccat, et res valde distinctas miscet, quum MICHAELEM de CESANO, aut de CESENAS cum sectatoribus suis extor-

*) Collectione iudicior. de nouis erroribus, Tom. I. p. 312.

**) Chronico Citizensi in IO. PISTORII Scriptoribus rerum Germanicar. Tom. I. p. 1206. ed. Struuianae.

extorsisse id edictum a Pontifice scribit: his enim, si ab odio in Pontificem abeas, parum aut nihil erat cum *Beghardis* commune: neque inter errores in lege damnatos vllus est, cuius Michael ille cum sociis postulatus fuit. Idem in hoc fallitur, quod A. 1328. exiisse constitutionem istam opinatur. Quod quantum a vero distet, vel id luculenter declarat, quod dogmata, quae Christiani in ea recipere vetantur, et verbis et sententiis maxima ex parte cum illis consentiunt, quae 1329. idem Pontifex in AIÇARDO, siue ECCARDO, de quo paullo ante diximus, coarguerat. Ex quo quidem primum consequi arbitror, constitutionem in *Beghardos* recentiorem esse illa, quae A. 1329. in ECCARDVM promulgata est: deinde ECCARDVM *Beghardorum* amicum et patronum et reuera fuisse, et habitum esse: postremo eumdem ipsum potissimum consilium hoc subiecisse Pontifici, nouo edicto *Beghardorum* progressus reprimendi et cohibendi. ECCARDI certe quum non modo sententias, verum ipsa quoque verba, *Beghardis* in vniuersum tribuat Pontifex, existimauerit, oportet, non tam suam, quam totius sectae suae disciplinam, hominem istum tradidisse, sententiamque idcirco, quam in eum nominatim tulerat, in omnes eius socios proferendam esse. Nunc quemadmodum argumentum constitutionis, quam ante oculos habuisse videtur, COERNERVS explicet, legamus *): *Eodem anno* (1330) *Iohannes Papa constitutionem edidit, quae incipit:* In agro Dominico, *contra singularia, dubia et suspecta ac temeraria* (in quattuor igitur classes distribuebat hos errores Pontifex, nec omnes eodem numero censeri volebat) *contra Beghardos et Beghinas* **), *asserentes et docentes* ***) (1) *Quod in anima nostra est a Deo increa-*

*) Chronico in ECCARDI Corpore scriptor. medii aeui, Tom. II. p. 1035. 1036.

**) In his verbis aut vitium est descriptoris, aut historicus dicendi leges neglexit.

***) Numeros, vt lectoribus consulerem, addidi.

creatum et increabile puta intellectus humanus. (Habes vetus illud scholae mysticae praeceptum, ex disciplina Platonica deriuatum: Omnis anima rationalis pars est ipsius Dei, seu naturae diuinae.) (2) *Item, quod Deus neque bonus est, neque malus, sed nec optimus, et tam male dictum est, Deum esse bonum, sicut dicere, album esse nigrum.* (3) *Item, quod in omni malo tam poenae, quam culpae, manifestatur et relucet aequaliter gloria Dei.* (4) *Item, quod vituperans quemquam, ipso peccato vituperii laudat Deum, et quanto plus vituperat et grauius peccat, tanto amplius laudat Deum.* (5) *Item, quod petens a Deo hoc vel hoc, malum petit et male, quia petit negationem boni, et negationem Dei, et orat sibi Deum negari.* (Quattuor haec paradoxa non intelligi possunt, nisi ex dogmate *Beghardorum* de natura diuina, quod primo loco ponere debuisset Pontifex.) (6) *Item, quod in illis hominibus honoratur Deus, qui non intendunt res, nec honores, nec vtilitatem, nec deuotionem internam, nec sanctitatem, nec praemium aut regnum coelorum, sed omnibus his renuntiauerunt.* (vide celebrem illam mentis quietem, quam totus Mysticorum chorus, summi boni loco, appetit et praedicat.) (7) *Item, quod homo debeat bene deliberare, vtrum ipse velit a Deo aliquid recipere, quia vbi esset homo a Deo recipiens, ibi esset sub Deo, vel infra eum, sicut vnus famulus vel seruus, et Deus aliquid esset in dando. Sed sic non debemus esse in vita aeterna, sed debemus ei conregnare.* (Obscurissimum praeceptum totum iterum pendet ex dogmate de Deo, cuius radios et partes humanas esse mentes statuebant: ex quo sequitur, nullum hominem inferiorem esse Deo, sed omnes ei dignitate pares, aut, vt philosophorum vtar vocabulo, *modificationes* vnius Dei.) (8) *Item, quod nos transformamur totaliter in Deum, et conuertimur in eum simili modo, sicut in Sacramento panis conuertitur in corpus Christi.* (9) *Item, quod quilibet talis dicere potest: Quicquid*

dedit

dedit pater vnigenito filio suo in diuinis, hoc totum dedit et mihi et sibi. (10) *Item, quod quicquid dicit sacra scriptura de Christo, hoc totum verificatur etiam de quolibet homine iusto et bono.* (Non ignoti sunt, qui et nostris temporibus eiusmodi portentis se ipsi oblectarunt, et alios polluerunt.) (11) *Item, quod quicquid est proprium diuinae naturae, hoc totum proprium est homini iusto et bono, et propter hoc homo iste operatur, quod Deus operatur, et creauit vna cum Deo coelum et terram, et est genitor verbi aeterni, et Deus sine tali homine nihil facere potest.* (Totum hoc verissimum est, si pars a Deo auulsa, et cum eo per contemplationem denuo iungenda, corpora nostra incolit.) (12) *Item, quod bonus homo debet conformare voluntatem suam voluntati Dei in omnibus, vt ipse velit Deo conformiter, quod ipse vult. Et quia Deus vult, me aliquo modo peccasse, ideo nollem ego, quod peccata non commisissem, et haec vera est poenitentia.* (13) *Item, quod si homo commisisset mille peccata mortalia, si homo esset ad talia dispositus, non deberet se velle ea non commisisse.* (En stercus illud, quod turpissima facinora parere potuit, et peperit: Motus omnes et instinctus animi diuini sunt, quia ipsa anima Dei portio est, et a Deo regitur.) (14) *Item, quod Deus non praecepit proprie actum exteriorem, nec actus exterior est bonus, aut diuinus, nec operatur in ipsum proprie Deus.* (15) *Item, quod bonus homo est vnigenitus Dei filius, quem Pater aeternaliter genuit.* (16) *Item, quod omnes creaturae sunt vnum purum nihil. Et innumera talia temeraria et aenigmatica propter hypocritas vtriusque sexus haereticaliter ob quaestum viventes, et singularem vitam ducentes, ac fucatam doctrinam quaerentes, Papa praecepit vniuersis et singulis in hac constitutione in virtute sanctae obedientiae, et sub sententia excommunicationis, quam scienter contrarium facientes incurrant, ne aliquis talia praedicet vel doceat, aut consimilibus inficere praesumat auditores. Contra-*

trarium facientes, praeter poenam praedictam, tamquam haeretici aut de damnata haeresi suspecti puniantur. Lucem et ordinem haec indigesta sententiarum silua desiderat, quarum vim et caussas ipse legislator, eiusque Theologi parum perspexisse videntur: illustrabitur autem eo loco, quo dedita opera interiorem naturam reconditae *Beghardorum* disciplinae, eiusdemque originem inuestigabimus.

§. XVIII.

Quo tempore IOHANNES XXII. hoc edicto mirificum id genus hominum aggrediebatur, versabatur in aula eius, et *Poenitentiarii* munus obibat ALVARVS PELAGIVS, magnum Franciscanae gentis lumen, subtilissimique SCOTI discipulus, Siluensis deinceps in Lusitania episcopus *). Is, vir minime malus, nec, vt aetas illa ferebat, indoctus, tot tantisque turbis, calamitatibus, factionibus et sectis, quibus ecclesia misere tum premebatur et distrahebatur, tactus et vehementer commotus, eo ipso A. 1330. longum opus *de planctu ecclesiae* inchoabat, quo mala ecclesiae omnia et recensere, et, si fieri posset, sanare nitebatur: quem laborem post biennium, A. 1332. ab eo absolutum, et bis postea limatum et auctum fuisse accepimus. Non postrema calamitatum, quas *ecclesia*, vti loquitur PELAGIVS, tum *plangebat*, crescens indies, et per populos late currens, erat *Beghardorum* secta: vehementi igitur eam disputatione satisque copiosa in opere suo aggrediebatur, quae duobus libri secundi capitibus, quinquagesimo primo et secundo, continetur. Eius disputationis maxima pars molesta declamatione, et parum concinna et iucunda confutatione errorum sectae absoluitur, quam totam omittere nobis licet: quae vero admista illi multis locis sunt

*) vid. NIC. ANTONII Biblioth. vetus Hispanica, Lib. VIIII. c. 4. p. 102.

sunt historiae, institutis et moribus gentis illustrandis opportuna, huc diligenter transferre operae pretium erit. Confert igitur primum PELAGIVS *) Beghardos cum Monachis illis vagantibus, quos *Sarrabaitas* veteres nominant, et lamentationem suam his verbis orditur: *Istis vltimis temporibus hypocritalibus plurimi maxime in Italia, et Alemannia, et prouincia Prouinciae sunt, vbi tales Beguardi et Beguini vocantur, nolentes iugum subire verae obedientiae, sed libertate noxia potiri, nec seruare regulam aliquam ab ecclesia approbatam sub manu praeceptoris et ducis legitimi, vocati Fratricelli, alii de paupere vita, alii Apostolici, aliqui Begardi, qui ortum in Alemannia habuerunt specie tenus, et quantum ad hominem exteriorem mundo renuntiare videntur, et dicentes religiosos ab ecclesia approbatos promissas regulas non seruare, durante primo feruore deserta domestica penetrant. Soli sedent, vel pauci simul. Paupertatem seruare videntur. Abstinentiis se macerant: sed ventrem replent.... Disciplinae operam dant, sed deficiente feruore quasi post annum sedent sub vmbra iuniperi — — —. vagari incipiunt, ad homines se conuertunt, laborare refugiunt, quia panem otiosum inueniunt, Familiaritates maxime feminarum nunc spiritualium, nunc aliarum accipiunt*, et quae sequuntur ab his non multum diuersa. Nec satis accurate Sarabaitarum suorum genera bonus ALVARVS distribuit, nec sibi omnino hic constat. Bene est, quod *Apostolicos*, rectius *Apostolos*, a *Fratricellis* et *Beghardis* seiungit: at *Fratricelli* et *fratres de paupere vita*, quos ille distinguit, non differunt. Primum *Beghardorum* et *Beguinarum* nomen in Gallia sola, seu in Prouincia, quae pars est Galliae, vsitatum esse monet: paullo vero post *Beghardos* origine Alemannos sibi videri significat. Excipit hoc ex-

*) De planctu ecclesiae, Vtor editione Venetiis 1560. Lib. II. c. LI. fol. 103. b. fol. formis expressa.

exordium oratio faſtidii pleniſſima, multisque et veterum doctorum, et diuinorum librorum, et Iuris Pontificii ſententiis inflata, qua flagitioſam ſectam acriter obiurgat: qua paullatim, vt fit, deficiente ac tepente, nouam ex moribus eius rixandi materiam petit: *Vitam pinguem volunt cum libertate et ſine labore, dediti ſomno et vagationi continuae: et pro leui commotione ſuborta, loca, in quibus habitant, dimittunt, et ab inuicem ſe diuidunt, et ſicut paſſeres inſolentes de monte in montem transmigrant — — — cum curtis capuciis, et repeciatis* (id eſt, conſutis vndique et conſarcinatis. Summae paupertatis, quam profitebantur, ſignum centones iſti erant) *et cum amictibus et habitibus, quos ſibi contra eccleſiam inuenerunt, diſcurrunt per mundum.* Nonnullis interiectis: *Eorum etiam aliqui in ciuitatibus et villis, alii prope habitant, et a ſecularibus de die in diem conuiuia recipiunt ſub ſpecie charitatis, commatres et compatres ſibi faciunt. Ambaxatas, id eſt, legationes faciunt et referunt: de animarum conſiliis praeſumtuoſi idiotae ſe intromittunt.* His percopioſe caſtigatis, ad *Apoſtolos* et *Beghardos*, eorumque mendicitatem nominatim accedit *): *Quidam etiam ex eis Apoſtolici et Begardi nominati paupertatem Euangelicam ſe ſeruare dicentes, quia nec locum habent, nec aliquid ſe portare dicunt, vere gyrovagi et vere ribaldi, per mundum curſitant, in plateis comedunt, quia aliqui eorum conſcientiam habent comedendi in domo, et ſpecialiter ab aliquo aliquid petendi: ſed clamant in plateis eleemoſynam ſibi dari, vel cantant, nil expreſſe petendo, ſed clamando: nec laborare volunt, conſcientias habentes, ſi aliquod opus faciant corporale. Dicunt enim, quod debent orare continue, ne cadant in tentationem, et quod Apoſtolus dicit: 1. Theſſ. vlt. Sine intermiſſione orate.* Hunc mendicandi morem, quo *Beghardi* et *Apoſtoli*, diuerſis licet

*) f. 106. a.

licet de caussis, vtebantur, et ipsum aliorum sumtu sine labore viuendi institutum ALVARVS, ipse mendicus, Franciscanus nimirum, oratione praeter omnem modum acri et incitata persequitur: ex qua ea tantum nobis prosunt, quae de conditione hominum, ex quibus *Apostolorum* et *Beghardorum* greges constabant, memorat: *Quidam ex eis in mundo procarii, quidam pecorarii, quidam armentarii, quidam cementarii, quidam carbonarii, quidam fabri ferrarii, aut aliis diuersis operibus mancipati, de labore manuum iuste sibi victum quaerentes et suae familiae, talem sanctum laborem, et a Domino indictum refugientes, mutato habitu, quem sibi adinuenerunt, non corde, de labore ad otium transierunt.* Nihil mentitur PELAGIVS: nam et bene multis aliis testimoniis certum est, turbam, in quam inuehitur, ex agricolis, baiulis, opificibus, magna sui parte compositam fuisse: addi tamen debet, verius id esse de *Apostolis*, qui omnes homines erant infimi ordinis, quam de *Beghardis*, inter quos haud pauci erant et nobiles, et litterati, et differendi subtilitate praestantes. His, aliisque in vniuersum magno verborum strepitu disputatis, sequenti capite, octo illos *Beghardorum* errores, quos *Clementina* damnat, eodem dicendi genere diffuso, et simul tamen arido, iugulat et refellit. In tertii erroris confutatione dogma sectae *de spiritus libertate*, vnde nominari volebat, his verbis explicat *): *Distinguunt totum tempus a creatione mundi vsque ad consummationem seculi in tria tempora: et dicunt, quod primum tempus creationis vsque ad Christum fuit tempus patris: secundum tempus ab incarnatione Christi vsque ad aduentum Spiritus Sancti fuit tempus filii: et tempus redemptionis a missione Spiritus Sancti vsque ad finem mundi, est tempus Spiritus Sancti, et tempus libertatis ad faciendum quicquid homini libet, nec reputant hic aliquid malum esse.* Haec qua-

*) f. 113. a. b.

quatenus pro veris haberi debeant, suo patebit loco: affert vero ad ea, quae dixerat, illustranda statim exemplum, cuius ipse testis fuerat: *Vnus ex eis dixit, non est diu, qui erat ex episcopatu Tudertino, sicut probatum per testes, me ibi existente: Quod nihil aliud erat infernus, nisi non facere propriam voluntatem, et paradisus non erat aliud, nisi facere in omnibus propriam voluntatem, et vti in omnibus propria voluntate — — — Propter quod omnes sunt immundi, sicut manifestum est, per eorum proprias confessiones et fideles attestationes habitas in diebus meis, maxime in partibus Lombardiae, et in prouincia Ducatana, quae est prouincia B. Francisci. Caput autem istius sectae spiritus libertatis istis temporibus fuit Dulchinus Lombardus, qui fuit combustus cum quadam sua meretrice in Lombardia prope Vercellensem ciuitatem.* In capite *sectae liberi Spiritus* sine controuersia fallitur ALVARVS. DVLCINVS hanc numquam gubernauit familiam, quae ipso antiquior est, sed *Apostolorum* ordini praefuit. Institutorum et morum quorumdam similitudo multos in eum errorem induxit, vt *fratres liberi spiritus*, seu *Beghardos* et *Apostolos*, non differre putarent. Forte *Beghardorum* nonnemini impium id praeceptum excidit, quod hic refertur: at fortassis quoque, qui audiverunt, vim et sententiam dicti non satis feliciter assequuti sunt. Idem in mentem mihi venit, aliud, quod post multa feruide in libertatem spiritus disputata sequitur, exemplum intuenti *): *tempore meo in prouincia beati Francisci multi seculares et fratres Minores pro isto carnali spiritu libertatis per Inquisitores haereticae prauitatis incarcerati fuerunt: inter quos fuit quidam frater noster, qui propter perfectionem, quam ostentabat, Apostolus dicebatur, qui ibi caput fuit istius erroris: qui, cum essem nouitius et consulerem eum, credens*

T 2 *eum*

*) fol. 114. b.

eum virum perfectum super quadam mea tribulatione, subridens dixit mihi, quod ipse tribulari non poterat. Quod verbum non intelligens, ipsum mirabilem hominem reputaui: sed cum captus esset pro isto spiritu libertatis, intellexi verbum suum occultum, quod ideo non poterat tribulari, quia faciebat, quicquid sibi caro et sensualitas suggerebat, seruus carnis, liber a iustitia. Iste in carcere fratrum mortuus fuit Florentiae: si vere poenitens, nescio. Pessimum hic agit interpretem PELAGIVS dicti, quod commodum et honestum sensum admittit, et, mea quidem opinione, ex sapientiae mysticae praeceptis, quae *Fratres liberi Spiritus* adamabant, rectius explicatur, quam ex foeda eorum disciplina, qui libidini obsequendum esse, siue statuebant, siue statuere videbantur. Negant enim doctores mystici, perfectum hominem, cui contemplando ad Deum adscendere, et cum ipso coalescere licuit, conturbari animo, et stabilem mentis quietem, tamquam vltimum studii sui fructum, discipulis promittunt. Et fortassis omnes *Beghardi*, quos in Italia misere periisse PELAGIVS refert, non scelerum et criminum suorum poenas dederunt, verum sententiarum de Deo, de anima, de summo hominis bono, aliisque rebus, per quas libertatem sibi partam existimabant ab externo cultu Dei cessandi. Eam coniecturam confirmari ex illo *Beghardi* exemplo posse arbitror, quo totam disputationem PELAGIVS terminat *). *In quodam monasterio sanctimonialium Sancti Laurentii Pansjernae, in quo illo tempore manebam, erat quidam Teutonicus, qui multum spiritualis videbatur: is mihi fuit accusatus de isto errore, quod corpus Christi non adorabat, quando eleuabatur. Et in praedicatione tetigi istum errorem contra Begardos, de quorum numero iste erat, et tunc aderat: quem correxi ad partem de illo errore: qui nullam pacem habebat,*

*) f. 117. b.

bat, quando tangebam in meis praedicationibus illos Begardos, quia lupus erat in fabula: nec me libenter videbat, vili habitu se tegebat, et lacrymas habebat — — — Sed vtinam non esset lupus pelle agnina tectus, si Christi non est. Christus eum suum faciat. In hoc ergo *Beghardo* nulla nota apparebat scelerati et libidinosi hominis, quod ipse PELAGIVS non diffitetur: haec vna in eo culpa erat, quod panem consecratum diuinis honoribus afficere recusabat.

§. XVIIII.

Magnus ille *Beghardorum* aduersarius, HENRICVS, Coloniensis antistes, A. 1331. fato suo fungebatur: ex cuius obitu non tantum secta emolumenti capiebat, quantum fortassis expectauerat. Nam, qui in locum eius sufficiebatur, WALRAMVS, Comes Iuliacensis, in conciliis prouinciae suae non modo leges HENRICI renouabat, et vbique de suggestu promulgari curabat, verum etiam certo homini procurationem et custodiam earum committebat: qui quidem cum diligentissime prouidere, ne quo prouinciae loco *Beghardi* et *Schwestriones*, id est, fratres et sorores libertatem spiritus profitentes, considerent, et, quos repcrisset, comprehendere iussus erat, tum facultate valebat, eos, qui vestimenta sectae deponere, et sacramento erroribus suis renuntiare vellent, improbitatis omnis absoluendi, et in ecclesiae communionem recipiendi. Hic vero aestus animi non poterat impedire, quo minus opinione citius ingens multitudo eiusmodi hominum in vrbem et prouinciam Coloniensem denuo irrueret, magnosque in populo motus cieret. Renascenti ergo malo WALRAMVS A. 1335. minax decretum sibi opponendum esse arbitrabatur, quo sacerdotes in primis, quibus populi credita erat institutio, commonebat, ne quid de legum rigore vlla ratione remitterent, et in desides et molles acriter se animaduersurum esse, significabat. Dabo ipsum edictum ex po-

steriore *Statutorum Coloniensium* editione legendum: in antiquiore enim editione desideratur *):

WALRAMVS, *Dei gratia* **) *sanctae Coloniensis ecclesiae Archiepiscopus, sacri imperii per Italiam Archicancellarius etc.: dilectis Abbatibus, Praepositis, Decanis ecclesiarum collegiatarum, nec non collegiis et conventibus ac Decanis Christianitatum, Plebanis et eorum vices gerentibus, nec non omnibus et singulis Clericis, secularibus et religiosis, ac vniuersis Christi fidelibus nostrarum ciuitatis et dioecesis, salutem in Domino sempiternam!*

Olim bonae memoriae, HENRICVS, *Praedecessor noster, homines, qui* BEGGARDI *et* SCHWESTRIONES [1]) *appellantur, propter vitam et conuersationem eorum suspectam, eorum sectam cupiens extirpare, ne communione eorum periculosa ceterorum Christo* [2]) *fidelium gregem, tamquam oues morbidae, coinquinarent, processus quosdam fecit, in quibus eos, monitione Canonica praemissa, suam praecepit exire dioecesin* [3]), *et si qui manere debeant, sub certis modis et conditionibus fuerant remansuri, ipsosque, qui postmodum remanerent* [4]), *seu ad suam reuerterentur dioecesin* [3]) *et ciuitatem vel venirent, seu mandatis suis salubribus non parerent, monitione legitima praemissa excommunicauit, et excommunicatos mandauit publice denuntiari, et alios diuersos, et eis merito formidandos processus, contra ipsos duxerat emittendos: nosque eius vestigiis inhaerentes, secundum eorumdem processuum continentiam,* contra

*) Statuta Coloniensis Ecclesiae f. 116. ed. Quentelianae.

**) Non *Apostolicae sedis*, vt hodierni Germanorum praesules, dignitatis ecclesiae Germanicae obliti, scribere non dubitant.

Lectionis varietas ex Hartzhem. Concil. Germ. petita.

1) *Suestriones.*

2) *Christi.*

3) *Dioeces.*

4) *ipsosque postmodum si remanen.*

contra eos, et eorum personas, nostros processus duximus faciendos, ac etiam publicandos, sicut haec ad vestram seu vestrum maioris partis notitiam deuenisse, minime dubitamus, prout haec et alia in literis tam Praedecessoris nostri, quam nostris super hoc confectis plenius continetur. Verum quia, prout ad nostram relatum est audientiam, huiusmodi hominum perniciosa de nouo incipit adeo in nostra ciuitate et dioecesi [3]) *inualescere multitudo, vt nisi de nouo eis per competentia contraria resistatur, peiora prioribus pericula subintrabunt: vobis Plebanis, et vices vestras gerentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis districte praecipiendo mandamus, quatenus contra omnes huiusmodi sectarum homines,* BEGGARDOS *et* SWESTRIONES [1]), *secundum praefati Praedecessoris nostri et nostrorum processuum continentiam procedatis, ipsos processus contra eos, et ipsos in domos suas recipientes, communicantes eisdem, seu eis quicquam dantes, nec non eorum fautores, et eis opem, seu operam conferentes, procedatis, Vosque omnes et singuli supradicti ipsos arctius euitetis: et intimamus vobis, quod si in praemissa executione aliqui ex vobis inuenti fuerint desides vel remissi, contra tales per rigorem iustitiae sine dubio procedemus. Dat. crastino Domin. Inuocauit, 1335.* [5]).

Docet nos haec epistola cum alia quaedam non contemnenda, tum hoc maxime, praeter illa, quae memoriae prodita sunt, multa et HENRICVM et WALRAMVM alia in Beghardos egisse, quae in lucem nondum exierunt. In caussam inquirenti antistiti, vnde pestis illa denuo prouinciam suam tantopere affligeret, apertum fiebat, hominem illum, quem venatorem et indicem *Beghardorum* creauerat, officium suum turpiter neglexisse. Siue enim argento, siue aliis victus rationibus, homines eius generis, in quos inciderat, ne-

 que

5) cr. Dominicae Inuocauit A. 1335.

que vestes, quibus delectabantur, neque sententias suas, iureiurando interposito, exuere iusserat, sed, modo sanam mentem verbis professi essent, omnis culpae innocentes pronuntiauerat, et in ecclesiae gratiam restituerat. Quocirca aliud paullo post, eodem anno, WALRAMVS edictum proponebat, in quo indulgentiam istam vehementer sibi displicere indicabat, suosque a praescripto legum vlla ratione diuertere vetabat. Inscribitur illud:

Innouatio statuti D. Henrici Archiepiscopi contra Beggardos et Suestriones,

et ita sese habet *):

In nomine Domini. Amen. WALRAMVS *etc. etc. dilectis in Christo Praepositis, Archidiaconis, Abbatibus, Decanis, Prioribus et Praelatis, ecclesiarum Rectoribus nostrarum ciuitatis et diocesis* [1]) *Coloniensis, ac aliis nostris subditis vniuersis Salutem in Domino* [2])*!*

Cum alias bonae memoriae, Henricus, praedecessor noster, multa diligentia et deliberatione praehabitis, quosdam homines, Beggardos et Suestriones vulgariter nuncupatos, cum suis Receptatoribus, Defensoribus et Fautoribus propter sectam, quam sequuntur, et errores varios fidei catholicae contrarios, exigente iustitia excommunicasset, et excommunicatos per omnes ecclesias ciuitatis et diocesis [1]) *nostrae mandasset publice nuntiari, diuersis nihilominus poenis contra eos in suis processibus promulgatis, quos et nos in pluribus nostris synodalibus conciliis innouari fecimus publice et solenniter publicari, prout haec et alia in ipsius nostri praedecessoris Processibus atque nostris plenius continentur: Nos demum fide dignorum assertionibus inclinati, asseren-*

*) Statutor. Coloniens. p. 119. ed. recentior. In veteri hoc quoque edictum deest.

Lect. var. ex eodem libro Hartzhem. depromta.

1) *Dioeces.*

2) in *Deo sempiternam.*

rentium complures ex his, dictorum Beggardorum et Sueftrionum abiecto habitu, et spretis erroribus, reconciliationis gratiam et absolutionis beneficium affectare, paratos 3) *etiam erroris* 4) *sectam huiusmodi et habitum abiurare, certo nostro Commissario super his inquirendi, eosque vel eas ab ipsis processibus* 5) *absoluendi, dedimus potestatem. Verum quia de nouo nonnullos huiusmodi habitus delatores et sectae professores, non abiuratis secta et habitu huiusmodi, immo ipso habitu non abiecto, a dictis Processibus et poenis in ipsis contentis, per dictum nostrum Commissarium (quod tamen nec speramus, nec credimus) se publice percepimus asserere absolutos: Nos, qui praecipue in votis gerimus, vt negocium Catholicae fidei nostris prosperetur temporibus, et errores huiusmodi a finibus fidelium extirpentur, praesentibus declaramus, nostrae intentionis nec fuisse, nec esse, quod ipse noster Commissarius ipsos Beggardos aut Sueftriones a dictis processibus et poenis eximeret, vel absolueret, aut eos ipsis decerneret non teneri, nisi prius ipsi, ipsorum erroribus, secta etiam et habitu huiusmodi, abiuratis, sub communi vita et habitu Christi fidelium viuerent laudabiliter et deuote. Decernimus etiam et declaramus, absolutiones ipsis Beggardis et Sueftrionibus datas, et decreta super ipsis facta aliter a quouis nostro Commissario, quod tamen non credimus, non tenere. Quocirca vobis et cuilibet vestrum sub poenis in dictis Processibus expressis et prolatis, praecipimus et mandamus, quatenus dictae sectae professores et habitus huiusmodi delatores, Beggardos et Sueftriones, vna cum suis defensoribus, receptatoribus, et fautoribus excommunicatos, et a cunctis Christi fidelibus euitandos publice nuntietis, contra eos, sicut prius, procedentes, secun-*

 dum

3) *paratos*, abest.

4) Hartzhem. in margine adscripsit, *errorum*.

5) *proc. atque poenis in ipsis contentis*; vt et breui post ipse Mosheim. edidit.

dum dicti nostri praedecessoris et nostrorum continentiam mandatorum, ipsa in omni sua forma executioni fideli debite demandando. Datum ipso die B. Remigii confessoris. A. D. MCCCXXXV.

Primi ordinis homo ille sine dubio erat, cui vices suas hoc in negotio antistes commiserat: quamobrem prudens honori eius publice parcit, simulatque se credere nolle, quorum arguebatur: at ipso tamen edicto suo tacite eum accusat, et, quae ab eo gesta erant, improbat.

§. XX.

Vexati tot sententiis et edictis in superioris Germaniae regionibus *Beghardi*, Westphaliamque intrare prohibiti, quod supra iam animaduertimus, in Thuringiam, Hassiam, inferioremque Saxoniam proficiscebantur. Sed in his quoque terris diu illis sine vitae periculo versari per antistitum, et Dominicanorum sodalium, qui tum in Germania strenue *Inquisitorum*, quos nominant, munus obibant, mirificam sagacitatem et diligentiam haud licebat. A. 1336. Otto, qui Magdeburgensem tum ecclesiam regebat, numerum quemdam mulierum eius sectae Magdeburgi detegebat: quas ille omnes in carcerem duci iubebat, at post paucos dies, quoniam ad sanitatem redire videbantur, liberas abire patiebatur. Qua in re antistes hic, a vi et caede, vt videtur, alienus, a communi ecclesiae more desciuisse prorsus ferebatur: nudis enim et bonis mulierculaturum verbis contentus, ne sacramento quidem, quod leges ecclesiae exigebant, eas errores diffiteri, et mutationis constantiam spondere cogebat. *Eo tempore*, 1336. inquit *Chronici Magdeburgensis* scriptor, ab HENR. MEIBOMIO editus *), *in ciuitate Magdeburg deprehensae sunt quaedam* BEGHINAE *de his, quae se* DE ALTO SPIRITU *appellant, circa articulos*

*) Scriptor. rerum Germanicar. Tom. II. p. 340.

ticulos fidei plurimum delirantes, quas Dominus OTTO, *Archiepiscopus, ad se adductas, assumtis aliquibus Praelatis et religiosis diligenter examinatas inuenit, eas nonnullos prophanos et execrandos articulos temere profitentes in blasphemiam Christi et sanctorum, quos etiam articulos ob eorum detestabilitatem dignum non duxi scripto commendare. Quas personas idem Dominus Archiepiscopus fecit carcerali custodiae mancipari. Sed post dies aliquot, quia errorem suum, puto solum verbotenus, reuocauerunt, de custodia sunt ereptae.* Hic eos vides, qui se ipsi *fratres et sorores liberi spiritus* vocabant, ab aliis etiam *de alto spiritu* nominatos esse, ideo sine dubio, quia sublimem sapientiam profitebantur, et mentem supra omnia, quae sensus tangunt, sustulisse videri volebant. Quales errores earum fuerint, CHRISTO et sanctis hominibus adeo iniuriosi, vt historicus ne referre quidem eos audeat, haud difficulter coniiciet disciplinae *Beghardorum* peritus. CHRISTO sese dignitate ac virtute pares, sanctorum etiam plurimis superiores et perfectiores esse dicebant. Sequitur apud eumdem historicum, exemplum *Beghardi* eo ipso anno, quo haec Magdeburgi contigerunt, Erfordiae, quod ad meliorem mentem nullo modo reuocari poterat, combusti, ex quo hoc luculenter cognosci potest. CONSTANTINVS infelix homo dicebatur. Cuius portenta quum ex parte annalium scriptor recitare non vereatur, mirum est, in mulieribus Magdeburgensibus tantam eius fuisse prudentiam, quas CONSTANTINO deteriores fuisse, incredibile est. *Circa*, inquit, *idem tempus quidam Begardus haereticus, nomine Constantinus, inter alias suas vesanias asseruit, se esse filium Dei, sicut Christum, sine aliqua distinctione. Idem dixit, Euangelia Marci et Lucae esse fabulas, Matthaei autem et Iohannis euangelia concessit. Item dixit, Augustinum et omnes doctores nostros esse truphatores et sacrae veritatis peruersores. Item dixit, Papam, episco-*

pos

pos et omnes sacerdotes esse hominum deceptores. Item de Eucharistia et aliis sacramentis ecclesiae, sed talia propter auaritiam a Clericis fore conficta asseruit. Iste examinatus coram vicario Archiepiscopi Mogontini constanter, immo pertinaciter omnes hos articulos et plures alios asseuerauit, cui examinationi praedictus frater Iordanus etiam interfuit, et quia iste ab errore suo resistire noluit, in foro Erfordiae solenniter est crematus. Nullius delicti hic CONSTANTINVS incusatur: quare bonum et pium fuisse virum non dubito, quem sapientia mystica, vnde omnia manabant *Beghardorum* siue flagitia, siue dogmata, eo vsque accenderat, vt cum Christo sesé conferret, et omnem cultum Dei externum contemneret. Hoc tamen non assequor, cur Matthaei et Iohannis historias Iesu Christi probauerit, Marci vero et Lucae fabulis refertas esse contenderit. Forte homo locis nonnullis ex Marco et Luca, quibus iudices eum comprimere volebant, paullo liberius et audacius occurrebat, vt cum specie quadam iniuriae diuinis his scriptoribus illatae postulari posset. Frater ille IORDANVS, qui cum aliis caussam *Beghardi* huius cognouisse dicitur, ex familia erat fratrum Augustinianorum, qui *Eremitae* nominantur, et *Inquisitoris haereticae prauitatis* munus in vtraque Saxonia summa cum fide, id est, sine aequitate et misericordia, administrabat. Cuius rei magnum paullo ante, hoc ipso anno 1336. Angermundae, in Marchia Brandenburgica, specimen ediderat, vbi vna cum sociis, quatuordecim vtriusque sexus homines, qui *Luciferiani* ipsi videbantur, flammis tradiderat *). Quum CONSTANTINVM condemnaret, Lector erat Theologiae Magdeburgensis: quam dignitatem antea Erfordiae ornauerat. Triennio postquam hic CONSTANTINVS, de quo diximus, constantiae suae poe-

*) v. Chronic. Magdeb. ap. MEIBOMIVM, Tom. II. p. 340.

poenas dederat, A. 1339. nimirum, tres alii *Beghardi* Constantiae comprehendebantur, scelestissimi mortalium, et omnis honestatis et pudoris nescii, si vera sunt, quae IOHANNES VITODVRANVS de illis posteris prodidit: huius autem viri testimonio ego quidem multum tribui posse iudico, quoniam et aequalis rei fuit, nec longe a loco, vbi gesta est, vixit, mentis denique ingenuae, verique amantis multa passim in Annalibus suis documenta edidit. Et fuisse inter eos, qui *Beghardorum* disciplinam sequebantur, homines non modo deliros et amentes, verum etiam improbos, et religionem in artem peccandi conuertentes, certissimum est. Constantienses igitur illi *Beghardi*, si quod docuisse et fecisse perhibentur, fecerunt et docuerunt, ignis supplicio multo digniores fuissent, quam ille Erfordiensis: verum non tantum in illis erat fortitudinis, vt mori mallent, quam opinionibus suis vale dicere. Quare, postquam publice scelera sua confessi et execrati erant, quod reliquum erat vitae, in carcere misere consumere iubebantur. Historicus ipse, narrationem ingrediens, lectores sibi monendos arbitratur, rem memoria quidem dignam, verum horribilem et stupendam, se prolaturum esse*): *Ordine retrogrado siue praepostero non longe, sed prope superius praetermissum quiddam valde notabile et in scripturam redegibile referam, legentibus in futuro horrorem et stuporem immittens, loco suo debito ex obliuione transilitum.* Exordium hoc ipsa sequitur fabula: *Est ergo istud: Anno Domini MCCCXXXVIIII. tres Baghardi, haeretici, deprehensi et Diocesano Constantiensi presentati, locoque eminenti cimiterii ecclesiae Kathedralis Constantiensis coram toto Clero et omni populo, haeresium articulos multos abominabilissimarum legitime conuicti, confessi*

*) IO. VITODVRANVS in Chronico ad A. 1344. in IO. GEORG. ECCARDI Corpore Historico medii aeui, Tom. I. p. 1907.

fessi sunt publice. Qui cunctis auditoribus nauseam et admirationem a retroactis annis inauditam incusserunt. Nam dum fuissent rite examinati, ac discussi superatique, errores suos execrabilissimos, in vetustate dierum suorum pessimorum perpetratos, imperterrite coram cuncta plebe ciuitatis Constantiensis illic congregata prodiderunt. Haec ostendunt, miseros illos homines iam senes et prouectae aetatis fuisse, atque de sententiarum, quas in animum admiserant, veritate firmissime persuasos, vt diu superari atque ad agnoscendam earum turpitudinem adduci non potuerint: quorum posterius infra Annalium scriptor clarius significat, quum eos narrat in area templi constitutos sine metu et pertinacissime, audiente tota multitudine, impia dogmata sua defendisse, nec nisi rogo fere iam accenso, ab illis resiliisse: ex quo merito concludit, simulatam tantum fuisse eorum poenitentiam, atque mortis metu vnice expressam. Haec secum expendens, nobiscum sine dubio statuet, bona senes illos fide peccasse, nec dissoluti animi nebulones, aut religionis omnis expertes fuisse, sed per opiniones suas de Deo, de homine, de natura rerum, quas mentibus penitus inscripserant, impulsos fuisse, vt illicita et turpia, quae docuerant et commiserant, pro licitis et diuinae voluntati congruentibus haberent. Libidini enim si ministrare vnice, et simplices capere ac circumuenire voluissent, manus sine mora iudicibus dedissent, quo vitae et saluti consulerent, neque acriter et diu dogmata sua ornando et tuendo in summum sese discrimen et maximam miseriam ipsi coniecissent. Peccare qui tantum volunt et voluptati seruire, nae illi sollicite cauent, ne vitae et fortunae noceant: qui vero suprema subire pericula malunt, quam diffiteri sententias quasdam, illi eas a Deo et recta ratione dictatas sibi esse, arbitrentur necesse est. Ex erroribus *Beghardorum* illorum quattuor tantum, quum plures quam triginta confessi essent, historicus eximit, quos posteris abominandos proponat:

et

et hi sine dubio atrocissimi fuerunt omnium. Primus scelus potius est, quam error, tametsi, quod satis patet, falsi cuiusdam dogmatis de tribus in Deo personis obscoena et tetra est quasi interpretatio aut illustratio. *More autem alicuius hominis, aliquot guttas aquae de gurgite haurientis, paucos ex multis articulos persequar: nam plures, quam XXX. fuerunt: ex quibus tantum istos ceteris relictis promam. Vnus fuit, quod quidam ex eis vna vice a mulieribus tribus interrogatus de Trinitatis essentia* (noli dubitare, *Beguinas* fuisse, seu *Schwestriones*, aut *liberi spiritus sorores*, curiosas illas mulieres, quas CLEMENS V. delectari in notissima *Clementina* scribit disputationibus de Trinitate et essentia diuina) *antequam responsum daret, ad exhortationem sui vestibus detractis se penitus denudantes, ad dorsa sua se in latibulo suo proiecerunt. Quo facto cum funiculo vel cordula pedem vnius mulieris alterius mulieris pedi viciniori alligauit. Quibus taliter colligatis turpiter abvsus fuit: nam eas regirauit, et hinc inde traxit, patula earum pudenda interim visu lubrico contuendo, tandem subnectens: Haec est sancta Trinitas. Nec in hoc sibi suffecit, quin etiam petulantia carnis commercia cum singulis secundum suum bestialem, immo diabolicum libitum, post haec exerceret. Tantum enim eas venenoso potu suae pestiferae doctrinae ac hypocrisis dementauerat, quod suis desideriis nefandissimis totis viribus satisfacere studuerunt.* Si, quod infitiari non prorsus ausim, huiusmodi quid egit perfidus nebulo, credibile est, mulieres illas, aut vnam earum poenitentia ductam, facinus ad antistitem Constantiensem detulisse. Exemplum supra hoc ipso capite attulimus *). Constat, pluribus in locis feminas, quas religionis obtentu pudorem omnem homines illi exstinguere docuerant, accusatrices deinde magistrorum suorum, quum ad se rediissent, fuisse. Secun-

*) §. VI.

Secundus error: *Affirmauit quoque, quod in pediculo tantum Deitatis, vel diuinae bonitatis vigeret, quantum in homine, vel alia qualibet creatura.* Id praecepisse non miror homines, qui Deum per vniuersam rerum naturam pertinere, aut ab hac rerum vniuersitate non differre, statuebant. Taceo, non respuere hoc dogma commodam interpretationem. Tertius error: *Asseruit insuper tertio, quod panis non consecratus, vel hostiae panis consecratae in duobus cophinis positus, sui suae porco aequaliter cibus aptus esset.* Libenter credo, hominibus, qui cultum omnem externum Dei, omnesque cerimonias contemnebant, tamquam commenta humana, aestu disputandi elatis, duram hanc sententiam et aetatis illius auribus intolerabilem, aliquando excidisse. Quartus error: *Astruxit, si viri et mulieris concubitus et consecratio hostiae a sacerdote in distantibus a se aris, vel duobus cornibus vnius altaris fierent, quod vtrumque aequalis ponderis foret actus, nec vnus alteri esset praeponendus.* Tam proterue et stulte loqui potuit homo, cui totus cultus publicus, omnesque ritus eius ludus et iocus videbantur ad fallendam plebem excogitatus. Quum IOHANNES noster vni trium illorum maleficorum in primis hos errores adscribat, et simul tamen omnium eos fuisse diserte testetur; coniicere forsan licebit, vnum ex illis disertiorem verba fecisse in iudicio, ceteros, quae ab ipso dicta erant, tantum approbasse, aut vnum, annis maiorem, patrem et magistrum fuisse, binos reliquos discipulos eius. Nunc exitum tragoediae ipsis historici verbis audiamus: *Hi errores et ceteri istorum heresyarcharum fuerunt certissimis testimoniis probati. Hos autem quatuor ex ceteris multis praesenti tantum inserui opusculo, ne peccatum eorum in eo deleatur, sed memoriae maledictae in perpetuum commendetur. Cum in iis erroribus coram Clero et plebe irreuocabiliter perdurarent, tandem videntes fore se tradendos Curiae, seu iudicio seculari, perterriti simulan-*

simulando poenitentiam errores suos reuocabant, poenam condignam ecclesiae super excessibus suis subire parati fuerunt. Igitur ab ordinario in turrim coniecti, et in ea vsque ad mortem pane arcto et angustiae, aquaque tribulationis pasti. Nihil habet historicus de discipulis horum hominum, neque de progressu disciplinae eorum queritur: quod argumento putem esse, in prouincia Constantiensi, et in Heluetia generatim, in qua scribebat ille, nouam et inauditam tum temporis *Beghardorum* sectam fuisse, multis saltim amicis et fautoribus caruisse.

§. XXI.

Eodem tempore, quo haec, in Germania, in *Beghardos* eorumque sectatores statuebatur, pestis haec prouincias Belgicas affligebat, multosque polluebat: et in his quidem terris minus illi periculi, quam in Germania, imminuisse videtur. Eius rei luculentissima certissimaque testimonia praebet IO. RVYSBROOCKIVS, inclytus ille sapientiae mysticae doctor, quem medio saeculo decimo quarto elapso, sanctitatis nomine, inter Belgas floruisse, et multis scriptis, quibus adhuc eximium a multis pretium ponitur, de mente purganda, et cum Deo coniungenda, praecepisse notum est. Meminit is sectae huius saepius: numquam vero, quin eam vehementer execretur, et inter religionis, humanique generis praecipua mala referat: quin eo vsque homo ceteroquin placidus, mitis et pius efferuescit, vt ignis supplicio dignissimos iudicet, qui eam probarent. Forte tantam ideo indignationem in hanc gentem prae se ferebat et ostendebat, ne socius et amicus eius illis videretur, qui audiebant, iisdem formulis et sententiis eum interdum vti, quibus *Beghardi* vulgo simpliciores capere solebant: quam tamen suspicionem, quod iam videbimus, totam amouere non potuit. Ipsi, quibus ab eo perstringuntur, loci opportunius, quam hic, ibi proferentur, vbi dog-

matum *Beghardorum* indoles et ratio explicanda veniet. Desideratur in illis vocabulum *Beghardorum:* id enim sanctius et honestius ducebat RVYSBROOCKIVS, quam vt in corruptissimis et deliris hominibus poni posset; quod quidem haec eius verba satis indicant *): *Monachus Monialis, cuiuscunque instituti monastici professor,* BEGARDVS, *soror,* BEGVTTA, *aut vtcunque demum vocentur, si bonis actibus externis dent operam, puta, si ieiunent, si vigilent, si orent, si peregrini terras peragrent, si nudi incedant, si concionentur, si abiectum gerant corporis habitum, si multo dediti silentio sint, si soli deserta inhabitent, si varios, eosque raros et insolitos assumant viuendi modos, idque eo tantum, vt sanctitatis opinionem sibi captent, aut quippiam lucrentur temporarium, ficti plane ac hypocritae sunt.* Quibus adde, quae modico spatio interposito monet **): *Foeminas, quas* BEGVTTAS, *siue* BEGINAS *vocant, quocunque in statu degant, si cum Deo simul bona temporaria vltra, quam poscat necessitas, aucupentur et conquirant, duplices sunt et dissimiles Deo, diuincque gratia*

*) in Regno Deum amantium, cap. VIIII. Opp. p. 542.

**) loc. cit. cap. X. p. 543. Opp. edit. Colon. 1609. in 4. Inter scripta *Ruysbroockiana* memoratur etiam a Bibliothecarum Belgicarum scriptoribus: *De XII. Beghinis, seu virginibus Deo deuotis liber,* (v. IO. FRANC. FOPPENS *Bibliotheca Belgica,* Tom. II. p. 721.) additurque, in eo agi *de duplici vita hominis, contemplatiua et actiua.* Talis nominis liber inter Opera eius, vt edita extant, non inuenitur. At is ipse est, qui inscribitur: *De vera contemplatione opus.* Datus est ei titulus ille, quia in eius exordio duodecim virgines inducuntur, quae totidem de amore Christi sententias recitant. At LAVR. SVRIVS, qui Latine *Ruysbroockianos* libros conuertit et edidit, quum sentiret, indicem hunc ei non bene conuenire, illum, quem diximus, Latinum, in locum Belgici, substituit. Id ipse in *praefatione* lectores monet: *Nos iustis de caussis titulum de vera contemplatione praefiximus, cum in Germanico de duodecim religiosis foeminis parum apte inscriberetur.*

tia indigni. Sed, quae de opinionibus et dogmatibus hominum, quos detestatur, tradit, neminem ignorare harum rerum gnarum patiuntur, de illis agi, qui ad spiritus, quam vocabant, libertatem inuitabant homines, et *Beghardorum* nomine toties damnati erant. Igitur acerbis his reprehensionibus in alium locum dilatis, hoc loci id tantum ex historia vitae RVYSBROOCKII commemorabo, studio eius et solertia sectam hanc Bruxellis, foeminae cuiusdam verbis et scriptis grassantem, repressam fuisse. Sic enim vitae eius scriptor, *Canonicus Regularis* *): *Per idem tempus, quo vir Dei sacerdos vixit in seculo, femina quaedam extitit, execrandi dogmatis auctor vel propugnatrix, eaque tantae apud multos existimationis, vt ad Dominici corporis venerabile sacramentum accessura percipiendum, etiam inter duos Seraphim gradi crederetur. Haec multa scriptitabat* DE SPIRITV LIBERTATIS, *et* EXECRANDO AMORE VENEREO: *quem tamen, plena daemone, non est verita Seraphicum dicere: et a suae opinionis sectatoribus, ceu nouae cuiusdam doctrinae inuentrix magno studio colebatur. Cuius errorem vir sanctus miserans, statim nefando dogmati se opposuit, et licet multos sustineret aduersarios, tamen deterrimae huius feminae scripta fallacissima plane detexit. Quod in simplici et parum litterato viro mirum sane videri possit, nisi, quod certum est, sancti Spiritus gratia singulari intus eum fuisse illustratum, adeo vt errorem, qui vix a multum doctis poterat animaduerti, nedum deprehenderet, sed etiam confutaret, nihil veritus insidias partis aduersae, nec fallaci ac fucato dogmate euersus.* Coniiciebam haec

*) Vita *Ruysbroockii* cap. V. p. 3. SVRIVS, qui hanc vitam cum operibus Ruysbroockianis edidit, ignorari nomen auctoris tradit: NATAL. vero ALEXANDER *Hist. Eccles. Nou. Testam. Tom. VII. p. 160.* eum HENR. a POMERIO nominat.

haec legens, mulierem illam MARIAM esse DE VALENCIENNES, cuius librum *de dilectione Dei, incredibili paene subtilitate compositum*, IO. GERSON euoluit, et periculosissimum censuit *). Sed reuocabat me ab hac coniectura AVB. MIRAEVS, qui foeminae, cum qua congressus est IOHANNES noster, *Blomardinae* cognomen fuisse tradit **): *Bruxellae apud Brabantos presbyteris templi maioris adscriptus, nefandam ac veneream mulieris cuiusdam, cognomento Blomardinae, haeresim iugulauit.* Quid si vero suspiceris, duplex vni et eidem mulieri cognomen fuisse, aliud familiae, *Blomard*, quod terram significat floribus consitam, aliud patriae, vrbis *Valencienne?* Certe difficile inducor, vt credam, binas inter *Beghardos* mulieres extitisse, pari subtilitate et ingenio de amore Dei commentantes, tametsi non ignoro, plures huius sectae mulieres scribendo famam acquisiuisse. Quum certamen hoc RVYSBROOCKIVS subierit Bruxellis, antequam in solitudinem se abderet, medio saeculo decimo quarto illud contigisse, certum est. Sexagenarius enim, quod vita eius testatur, hominum consuetudinem reliquit, et 1381. viuere desiit, quum octoginta octo annos natus esset. Viginti ergo octo annos semotus a multitudine vixit: quem numerum si a vitae eius termino detrahas, apparet, eum A. 1353. ex turba migrasse. Eo vero tempore, quod ex vitae eius scriptore cognouimus, dogmata *Beghardorum*, quae mulier illa disseminabat, noua Brabantinis videbantur. Rectene ceterum IOHANNES, vir simplex et litterarum expers, mentem foeminae assequutus sit, an deteriorem eius disciplinam, quam reapse erat, putauerit, dubium videri potest attentius verba historici, quae dedimus, expendenti. Vt enim omit-

*) vid. GERSON de distinctione verarum visionum a falsis, Sign. V. p. 55. Tom. I. Opp.

**) Auctario scriptor. Ecclesiast. cap. CCCCXLVI. p. 82. ed. Fabricii.

omittam, mulierem illam cultum Dei publicum et externum minime spreuisse, sed ad sacram coenam accessisse, quod a sublimiorum *Beghardorum* consuetudine et opinione alienissimum est: vt id, inquam, omittam, quoniam et haec secta simulatores et simulatrices habebat, difficile hoc mihi intellectu videtur, quomodo eadem *de amore venereo* multa scribere, eumque *Seraphicum vocare*, et spurcam tamen sententiam suam ita occultare potuerit, vt *a multum doctis*, vt dicitur, non animaduerteretur, et RVYSBROOCKIVS extraordinarii Spiritus S. luminis ad eam ex tenebris educendam indigeret. Aut ego nihil video, aut hoc manifesto significat scriptor, ingenio et ratiocinatione quadam opus fuisse ad id perspiciendum, quod ex mulieris verbis, ad speciem piis et honestis, aduersarius eius eliciebat. Igitur per consectaria et conclusiones eam IOHANNES oppugnabat: quae disputandi ratio merito bonis et sapientibus viris fallax, et ad innocentes opprimendos aptissima videtur. Si minus prouide hic accusauit Belga mysticus, eamdem ei post fata iniuriam reddiderunt alii, quam ipse imprudens mulieri, vecordi sine dubio, at minime fortassis impiae, intulit. Nempe visus est multis, et in primis celeberrimo IO. GERSONI, ea ipsa mente fouisse praecepta, ex quibus *Beghardorum* portenta nata sunt, atque tertia parte libri sui *de ornatu spiritualium nuptiarum* non minus periculose atque absurde, quam illi, de animarum cum Deo coniunctione disseruisse. Extat huius argumenti GERSONIS ad Bartholomaeum Carthusiensem Epistola *), qua, tametsi pietatis laudem RVYSBROOCKIO demere nolit, vehementer tamen eum obiurgat, et cum *Beghardis* sociat: *Erat autem*, inquit **), *de secta Beghardorum, quae olim per ecclesiastica decreta damnata est. Erat,*

*) In GERSONIS operibus, Tom. I. p. 59. f.
**) l. c. p. 62.

ficut aeftimo, Auctor ifte proximus eorum tempori, potuitque fieri, vt contra fuam imaginationem de beatifica vifione vel contemplatiua, quae forte tunc communis fibi erat cum multis, Decretalis expreffa condita fit, conftituens beatitudinem in duobus actibus. His verbis nixi, plurimi RVYSBROOCKIVM fcribunt inter *Beghardos* aliquando verfatum effe, at fectam hanc, cognita eius improbitate, deferuiffe. Et fi verba haec nihil, vti edita funt, vitii habent, hoc faltim demonftrant, GERSONEM exiftimaffe, *Beghardorum* partes illum, quem reprehendit, fequutum effe. Ego vero quo diutius ea intueor, eo clarius intelligere mihi videor, non id dixiffe GERSONEM, quod eum omnes dixiffe iudicant. Primum fimpliciter pronuntiat GERSON, vt hodie legitur, *Nuptiarum fpiritualium* parentem *de Beghardorum damnata fecta* fuiffe: verum ftatim decretum hoc mutat, et coniicit tantum, *proximum eorum tempori fuiffe,* et fortaffis fententiam eius *Decretali* quadam confixam effe. Haec, obfecro, quomodo inter fe cohaerent? Isne fibi conftat, et fapienter loquitur, qui aliquem primo decernit fectae cuidam deditum, et idcirco cum illa publice damnatum effe, et continuo fubiicit, ex fuo fenfu hominem illum propius remotum fuiffe ab aetate, qua fecta illa floruit, nec improbabile effe, legem quamdam certae eius opinioni oppofitam fuiffe? Ego, vt breui dicam, quod res eft, corrupte GERSONIS verba defcripta effe opinor, et in primo eorum membro in locum *erat*, fubftituo *erant.* Dixerat GERSON, peruerfum quoddam hominum genus ab ipfo RVYSBROOCKIO in fine *fecundi libri de nuptiis fpiritualibus* iufte reprehendi, tamquam infelices a *daemonio meridiano feductos*. His dictis, quales illi effent, adiicit: *Erant autem* (illi nempe, in quos RVYSBROOCKIVS inuehitur) *de fecta Beghardorum.* Tum ad ipfum venit RVYSBROOCKIVM, eumque vicinum aetati eorum fuiffe iudicat. Igitur, nifi multum fallor,

GER-

GERSON non *Beghardorum* sectae RVYSBROOCKIVM adscribit, sed hoc tantum in eo castigandum sibi ducit, quod incautus in vnam, vel alteram gregis istius sententiam delapsus sit. Ab hac eum criminatione omni virium contentione purgare statim conabatur singulari libello, qui hodie inter GERSONIS Opera legitur *), IOH. de SCHOENHAVIA, Germanus: ex quo tamen, si hoc vnum demas, quod GERSONEM queritur Latinae interpretationi libri *Ruysbroockiani* nimis credidisse, parum illi fideli, et a fonte Belgico valde discrepanti, reliqua aut nullam, aut permediocrem vim habent ad peccatum, quod GERSON ei obiecerat, prorsus depellendum. Hinc et GERSON alia epistola, paullo post ad eumdem Carthusianum data **), satisfactum sibi esse negabat, et, quam proposuerat accusationem, modeste licet et sine stomacho, repetebat. At recentiorum doctorum, eorum in primis, quos mystica sapientia delectat, plurimi patronum RVYSBROOCKII audire malunt, quam aduersarium, hic licet illo multo et celebrior et doctior sit, atque sanctum virum egregie sensisse statuunt, duriter licet nonnumquam illis loqui videatur, qui reconditam Theologiam attigerunt ***). Disputent hac de re, quibus disputatione non indigna videtur: ego hoc tantum animadverto, SCHOENHAVIVM, quem dixi, heroi suo hoc in primis laudi ducere, quod acriter *liberis spiritibus*, id est, *Beghardis*, tempore eius late dominantibus, restiterit: nec tamen id GERSON negabat, verum ipse laudauerat. *A fratribus eius*, ait ille ****), *cognosci potest, quod fuit* (Ruysbroockius) *homo missus a Deo, cui, in his nouissimis diebus, haec deuota arcana et pro-*

*) Tom. I. Opp. p. 63—75.

**) loc. cit. p. 78.

***) vid. GODFR. ARNOLDI historia et descriptio Theolog. Mysticae, c. XXI. p. 308.

****) In GERSONIS Opp. Tom. I. p. 67.

funda atque diuina Deus dispensanda largitus est, vt noua admonitio suos melius attraheret auditores, et vt SECTAM *illorum* LIBERORVM SPIRITVVM, *qui tempore vitae suae multum in Brabantia et illis partibus pullulabant, exstirparet, et errores ipsorum denudaret. Vixit enim homo iste Dei, postquam illud lamentabile schisma in ecclesia surrexit; nam a tempore mortis suae 25. anni fluxerunt, vel circiter.* Si tum, quum haec scriberentur, viginti quinque anni a morte RVYSBROOCKII praeterierant, libellum Anno 1405. aut 1406. in litteras relatum esse, manifestum est; nam A. 1381. ille viuis excessit. Id vero his in verbis animaduersionem meretur, quod auctor eorum, cum *Beghardorum* mentione *schismatis in ecclesia* memoriam connectit, illius scilicet, quod *magnum Occidentis schisma* nominatur, et A. 1378. natum est. Ex hoc enim, vt opinor, intelligitur, censuisse SCHOENHAVIVM, *Schisma* istud *lamentabile*, quod vniuersam rem publicam Christianam turbabat, *liberis spiritibus* potestatem dedisse sectam suam diuulgandi et amplificandi: qua libertate sine dubio caruissent, si tranquilla sub vno capite fuisset ecclesia. Non male sic iudicauit homo: at in eo tamen fallitur, nisi ipse totus fallor, quod arbitratur, RVYSBROOCKIVM suum, orto iam *schismate*, et auctis ex eius occasione *liberis spiritibus*, consilium demum cepisse sectam hanc oppugnandi, et libros in eam emittendi. Triennium tantum superstes fuit vir bonus discidio illi, et, quicumque eius extant libri, non illo triennio, sed omnes diu ante, ab eo exarati sunt.

§. XXII.

Tanto autem vberior erat eiusdem sectae messis in variis Germaniae prouinciis, quum plerique conniuerent, immo dormirent, quibus legum cura, et haereticorum inuestigatio, mandata erat. Quam calamitatem videns et dolens, CONRADVS de MONTE PVELLARVM,

LARVM, Ratisbonensis Canonicus, eruditorum Germaniae virorum hoc saeculo non postremus, singulari libro, quem circa haec tempora scriptum esse opinor, congrediendum sibi esse cum improba hac gente arbitrabatur. Perieritne libri huius maxima pars, an alicubi veteres inter chartas lateat, non habeo dicere: hoc certum, minimam tantum eius portionem adhuc, ope IACOBI GRETSERI, in lucem prolatam esse *); qua quidem viam sibi scriptor quodammodo munire videtur ad disputationem, quam totam adhuc desideramus. Vtilissima est tamen particula haec ad intelligendum, quale genus mortalium fuerint illi *Beghardi*, cum quibus maiores nostri tam diu colluctati sunt, et quo res eorum loco, medio saeculo decimo quarto, fuerint. Principio CONRADVS queritur, sectam illam, Viennensis licet concilii decretis dudum confixam, creuisse magis ab eo tempore inter Germanos, quam decreuisse, et indies amplificari: cuius mali caussam in antistitum inertia et negligentia non obscure collocat. *Licet iamdudum in Viennensi concilio, status eorum hominum, qui vulgariter Begehardi, quoad viros, et Beginae, quoad feminas, nominantur, fuerit prohibitus, nihilo minus hi homines nequaquam minorati sunt, sed tam in statu suo, quam in erroribus, quotidianum hactenus acceperunt, et accipiunt incrementum. Nec est, qui inter Praelatos notabilem obicem opponat.* Aut ignorauit scriptor, quae ab HENRICO et WALRAMO, Coloniensibus, a IOHANNE, Argentoratensi, a Moguntinis, Treuirensibus, Westphalis, Magdeburgensibus, et aliis, satis feruide et constanter acta et decreta erant, aut haec eius querimonia ad earum tantum terrarum praesules, in qui-

 bus

*) Ingolst. 1613. 4. cum Rainerio contra Waldenses. Extat idem fragmentum in Operibus GRETSERI, Ratisbonae iunctim editis, Tom. XII. p. 98. et in Bibliotheca Patr. maxima, Tom. XXV. p. 310.

bus ipse morabatur, pertinet. Si legibus et suppliciis deleri et expugnari potuissent *Beghardi*, cum sororibus suis, eo iam tempore, quo haec scribebat CONRADVS, prostrati iacuissent. Videntur vero, quum in media et inferiori Germania, nusquam fere tutis ipsis esse liceret, ad superioris Germaniae prouinciam magno numero confluxisse, in quibus, si Viennense decretum excipias, nullae leges antistitum et conciliorum in eos extabant. Pergit CONRADVS ad conditionem et viuendi formam, quae *Beghardis* propria erat. Plerique, ipso auctore, infimi ordinis, plebeii et illiterati erant homines, qui, contemtis laboribus et opificiis suis, per Germaniam discurrebant, in *Beguinarum* potissimum collegia sese insinuabant, clandestinos conuentus agebant, et in his sublimem quamdam pietatem, viamque secretiorem ad vltimum perfectionis gradum perueniendi demonstrabant. *Sunt enim huiusmodi viri rusticani, et plerique mechanici, corpore robusti, et litterarum omnino inexperti ac penitus idiotae, aut, si literas aliqualiter norunt, tenuissimum tamen est, quod sciunt.* Plerosque fuisse tales, quos ipse quidem CONRADVS audiuerat et viderat, crediderim: multos vero plus, quam volebant rerum sacrarum et religionis custodes, et subtilitatis et eloquentiae habuisse, magnis etiam auctoritatibus edocemur: vt omittam, fuisse illis in vtraque re publica patronos et amicos non vltimi ordinis et numeri. Sed pergat loqui noster, aut potius lamentari: *Hi opera manualia suorum postponentes artificiorum, cucullati gyrouagando prouincias per diuersas incedunt, et latebras quaerunt occultas, praecipue hospitiis Beginarum inhiantes, eo quod simile suo simili complaudat. Quibus pro nocturno receptaculo, in prima congressione malitiae suae, coloratis verbis, insanas et vt plurimum infectiuas seminant doctrinas. At illae illorum in crastino promotrices, seu, vt verius dicam, copulatrices, ostiatim per domos cursitant mulierum, intimando sub arcani*

cani sigillo, asserentes, angelum verbi diuini adesse occultum, quoadusque conuenticula eisdem hypocritis placita congregentur. Quibus secretissime conuenientibus in vnum, labia suae malitiae resoluunt, de attributis in diuinis atque de proprietatibus diuinae bonitatis disserendo. Et sic paullatim descendendo affirmant, qualiter ex pietate diuina homo ad Dei imaginem creatus existat, et tantum mereri valeat per exercitium bonorum operum, vt Christo, Domino nostro, in humana anima sua aeque perfectus quis efficiatur. Talium etenim vnum, de Suenia natum, ego in Ratispona reperi, qui iam praedictum, et articulos alios in Clementinis prohibitos, sub titulo de haereticis: Ad nostrum, *diligenter affirmabat.* In his omnibus nihil est, quod aegre admittat harum rerum non ignarus; neque id, quod sequitur, aliquid dubitationis habet: *Nec veretur quorumdam illorum temeritas maledicta de sacramentis Ecclesiasticis iudicare, blasphemantes in perniciosum ecclesiae Christi scandalum — — — beatissimum Eucharistiae sacramentum, asserentes, nequaquam corpus Christi verum sub panis tam succincti quantitate posse latere, siue comprehendi. Pro cuius assertionis pertinaci perseuerantia quidam illorum in carcere Reuerendi Patris Domini Ratisponensis episcopi iam praeteritis temporibus fuerat extinctus. Blasphemant insuper sacerdotium Christi, presbyteros in ecclesia Dei Deifices — — — illusiue, seu derisorie nominando.* Horrenda haec non poterant non bono CONRADO videri, at verissima videri debebant hominibus, vniuersam religionem ad animorum cum Deo coniunctionem reuocantibus. His erroribus vnus eorum, ex Brabantia oriundus, quem noster ipse cognouerat et audiuerat, magnus orator et multitudini praeter modum carus, verum, CONRADI iudicio, indoctus prorsus et sacrarum litterarum imperitus, singularem sententiam addebat de Christi ad inferos descensu. Totum enim Christum, Deum et hominem, ad inferos descendisse

opi-

opinabatur: quod tamen dogma hominem istum a gravissimis errorum illorum purgat, qui alioquin *Beghardis* exprobrantur. *Vidi et ego vnum illorum, nomine Ioannem de Mechelinia, qui se sacerdotem confitens, publice verbum Dei in superioribus Alamanniae partibus diuulgabat, habens crebrum populi concursum, imo etiam simplicis Cleri nobiles sequelos, qui eundem propter subtilitatem verborum, et dulcedinem eloquii sui, libentissime audiebant, ac ipsum Magistrum nominabant. Cui quum me, caussa experientiae, aliqualiter applicuissem, reperi eum sacrae Scripturae omnino ignarum et penitus idiotam. Hic inter cetera affirmauit, corpus Christi infra triduum mortuum in limbo paterno inferni sepultum fuisse, eo quod diuinitas animae rationali Christi vnita descenderit tunc ad inferna. Et quia diuinitas Christi nunquam separata fuit a corpore ipsius etiam mortuo: igitur et tunc oportuit corpus Christi mortuum simul cum diuinitate in inferno fuisse.* Ab erroribus ad fallacias, dolos et scelera *Beghardorum* progreditur: et primo quidem ficta quaedam eorum miracula, quibus plebem decipiant, commemorat: *Tantis talibusque seminariis tam contagiosi morbi non contenti, signis, licet sophisticis, et miraculis, quamuis fictis, clarescere quidam* (bene est, quod non omnium hanc esse culpam, ipse confitetur) *eorum laborant. Faciunt enim paria vasculorum omnino aequalium et similium in colore et figura: quorum vnum Bacho, id est, vino delicatissimo farciunt, et caute sub hiatu suarum vestium occultant: reliquum vero vacuum liquore ancillae domus porrigunt, pro aqua bibili afferenda: qua siquidem allata, subtili praestigio oculos praesentium praestringunt, vnum pro reliquo commutando, affirmantes, tunc Spiritum sanctum aquam in vinum sua misericordia conuertisse. Quanta etiam mala in mulierculis quorundam illorum recipiant latibula, facundissima, vt dicam, vix congrue exprimeret facundia. Quarum quasdam ipsi per cau-*

sas

nas trans parietes cubilium susurrando ad lectos earum, tamquam vox angelica nocturno sub silentio loquatur puellis, vt commisceantur eis ad sanctae prolis prolificationem beatam, decipere laborant. Et Deus scit, quia non mentior, quod ego vni talium, quem deuotum et synecerae fidei aestimabam, frequentem eleemosynam porrexeram, qui vnam ex filiabus meis confessionalibus accedens, cum fictis suspiriis asserebat, sibi Spiritum sanctum locutum, quod ex commistione ipsius cum ea nasciturus esset filius, qui B. Iohanni Baptistae in sanctitatis puritate penitus aequiualeret. Et cum illa secreto me consuleret, alloquio repagula mox opposui opportuna. Haec et alia exempla in dubium vt vocemus, necesse non est: verum turpitudinem ea totius sectae, et spurcitiem disciplinae, non demonstrant. Hoc vnum ostendunt, vti inter Monachos, ita etiam inter *Beghardos*, homines fuisse sceleratos, et simplicitatem populi nefariis artibus et fraudibus illudentes. Restat quaerendum, vtrum in haec eos crimina et flagitia, religionis forma quaedam impulerit, an naturae vitiositas et libidinum potentia? Monet postremo CONRADVS, *vestimentis Beghardorum aliarum sectarum discipulos, Waldensium nominatim, seu pauperum de Lugduno, tectos interdum incedere solere:* quod quidem animaduersione non indignum est, vt ratio appareat, quae efficere potuit, vt multi *Beghardos* inter et *Waldenses* nihil interesse putarent. *Beghardorum* multis in regionibus insignis erat apud populum existimatio et gratia: non item *Waldensium*, a quibus sibi plerique valde cauebant, ne in ecclesiae indignationem et poenas incurrerent. Quare hi nonnumquam, quo commodius et securius dogmata sua propagarent, *Beghardi*, amictum sumere non dubitabant, quum alioquin a *Beghardorum* sententiis et institutis auersi prorsus essent. *Waldenses* societatis et amicitiae aliquid sibi cum *Beghardis* esse noluisse, vehemens alioquin Waldensium hostis, PETRVS de PILICH-

DORF,

DORF, disertissime scriptum reliquit *): *Haeretici quidam alios reprobant, et condemnant, sicut Waldenses reprobant, immo nauseant Runcaros, et* BEGHARDOS, *et alios diuersos.* Quod Waldensium in *Beghardos* odium cum aliis multis confirmari possit testimoniis, atque haereticorum cognitores et iudices binas hasce sectas caute semper distinxerint; deserendam esse manifestum est eorum opinionem, qui *Beghardos* censent a *Waldensibus* non differre, et hinc *Beghardos* excusandi et defendendi occasionem capiunt.

§. XXIIII.

Quantum CONRADI libellus, de quo diximus, valuerit ad depellendum eorum veternum, qui excubias pro salute ecclesiae agere iussi erant, compertum non habemus: ad sectam *Beghardorum* exstinguendam, aut Germaniae saltim finibus eiiciendam, parum aut nihil valuit. Vera autem ratio secundae fortunae, qua *Beghardi*, tot licet legibus et decretis percussi, in multis Germaniae partibus vtebantur, non tam in antistitum neglegentia et ignauia, quam in publica imperii Romano-Germanici calamitate, et LVDOVICI BAVARI, Imperatoris, diuturno cum Romanis Pontificibus bello collocari, meo quidem iudicio, debet. IOHANNES XXII. nulli Pontificum arrogantia et audacia secundus, LVDOVICVM, a maiore procerum Germanicorum parte Imperatorem creatum, caussam aduersus competitorem imperatoriae dignitatis, FRIDERICVM Austriacum, in foro suo dicere iubebat. Id indignum maiestate sua reputans LVDOVICVS, inuito Pontifice imperii fasces capiebat. Longa hinc et vehementissima inter ipsum et Pontificem contentio exardescebat, quae paullatim eo vsque progrediebatur, vt alter alterum publice

*) Libro contra Waldenses c. XII. in IAC. GRETSERI Opp. Tom. XII. p. 54.

blice diris deuoueret, et a rei publicae, cui praeerat, gubernatione amouendum esse decerneret. Pontifex Imperatori Imperatorem, hic Pontifici Pontificem opponebat. In his turbis omnes, quos Pontifex vexabat et premebat, ad LVDOVICVM confugiebant, ab eoque libenter et cupide recipiebantur, vt haberet, per quos hostem suum, IOHANNEM, eiusque clientes, oppugnare et lacerare posset. Acris autem eo tempore dimicatio erat Pontifici non modo cum illis, qui *Fratricelli*, aut *fratres de paupere vita*, dicebantur, quia supremam hominis Christiani perfectionem in voluntaria paupertate, aut summa potius mendicitate, ponebant, verum etiam cum seuerioribus *Franciscanis*, *Fratricellorum* amicis et familiaribus, qui molestissime ferebant, rigorem regulae S. FRANCISCI a Pontifice temperatum esse, atque IESVM CHRISTVM eiusque legatos, omni prorsus rerum dominio caruisse disputabant. Igitur ad horum partes qui propendebant, quotquot poterant, ad Imperatorem proficiscebantur, et in prouinciis ei subiectis tutas sibi sedes quaerebant: ad ignem enim rapiebantur ab Inquisitoribus et satellitibus Pontificiis, nisi a sententiis, quas sacrosanctas ducebant, recedere vellent: quod plerique a se impetrare non poterant. Hos transfugas LVDOVICVS non modo secure inter ciues suos viuere patiebatur, non commodis tantum, honoribus et beneficiis ornabat, verum etiam, quod mireris, eo vsque probabat et amplectebatur, vt siue vere, siue simulate, ad eorum opiniones accederet, easdemque publice, tamquam vnice veras, et diuinis oraculis consentaneas, profiteretur. Videbunt, quibus celeberrimam hanc caussam cognoscere placebit, ideo Imperatorem aduersarium suum potissimum de cathedra S. PETRI deturbasse, quod is *Beghardis* (nam et hoc amplissimae significationis nomine appellabantur, qui mendicorum principem fuisse IESVM CHRISTVM, seque mendicando exemplum eius imitari, contendebant)

in-

insectaretur, et de paupertatis ab ipso generis humani Seruatore consecratae dignitate et gloria detraheret *). Et ipse miser ille PETRVS CORBARIVS, sodalis Franciscanus, quem deiecti IOHANNIS in locum sufficiebat, Pontificemque maximum Romae creabat, non postremus eorum erat, qui bonorum possessionem germanum CHRISTI imitatorem dedecere, et veram paupertatem omne rerum dominium excludere, contra Pontificem adseuerabant. IOHANNES e contrario Imperatorem ea maxime de caussa inter primi ordinis haereticos ponebat, quod prauam paupertatis a CHRISTO commendatae notionem in animo aleret, atque Seruatorem cum amicis suis nihil habuisse proprii, cum *Fratricellis*, siue Beghardis et morosioribus Franciscanis statueret **). Breuiter attingo longam litem, vnde plurima in vtramque rem publicam et commoda fluxerunt, et incommoda, magnarumque inter Germanos mutationum initia deriuari debent: orietur forsan alius, qui eam vberius explicet et illustret: digna enim est, in qua vir eruditus et laboriosus otii sui partem consumat. Ergo LVDOVICO regnante, in omnibus, quae ipsi parebant, terris illi vtriusque sexus homines, qui rerum omnium inopiam sibi gloriae ducebant, impune collegia condebant, domos sibi comparabant, gregatim importuno clamore stipem petebant, immo ecclesiae capiti, Romano Pontifici, iram diuinam et maxima mala portendebant. Vidit harum rerum nonnihil LVCAS WADDINGVS, cuius haec verba sunt ***): *Schismaticorum horum ad speciosos dignitatum titulos* (a Ludovico)

*) vid. libelli LVDOVICI Pontifici oppositi, quos STEPH. BALVZIVS vulgauit *Vitis Pontificum Auenionensium*, *Tom. II. p.* 494. 495. 522. etc.

**) vid. *Processus Iohannis XXII. contra Ludou. Bauarum* in EDM. MARTENE *Thesauro Anecdotor. Tom. II. p.* 641. *sequ.*

***) Annalibus Minorum, Tom. VII. ad A. 1328. §. XI. p. 81. ed. nouae.

vico) *euectio, et scelerum impunitas audaciam et contumaciam fouit aliorum, qui ex omnibus religionibus, minima illata, vel arrepta occasione, recedebant a Iohanne Pontifice*, FRATRICELLORVM*que sectam e latebris impudenter prodeuntem, et Corbarii ac Ludouici facta probantem, magno rei Catholicae detrimento multiplicabant. Hinc magna dissolutio disciplinae ecclesiasticae et regularis: si quos enim Praelati coercere, vel ob culpas punire intentabant, statim ad acies transuolabant aduersas, in quibus solum esse, mereri dicebatur.* (Haec obscuriora sunt.) *Illic scelerum impunitas, illic inobedientiae flagitium in praemium vertebatur.* Atque hinc sine vlla controuersia innumerabiles illae publicorum mendicorum societates extiterunt, quibuscum maioribus nostris ad id vsque tempus, quo religionem B. LVTHERVS purgauit, colluctandum fuit: quae semel admissae indies augebantur, legumque aduersus eas latarum vim variis artibus eludebant. Dixi iam, ignauam hanc et vana pietatis specie plebis animos capientem turbam *Beghardorum* etiam et *Beguinarum* vocabulis nuncupatam fuisse: num eodem sensu, quo alii, quibus idem nomen imponebatur, dubium est. Ambiguae enim potestatis quum haec vocabula sint, et tam *homines Deum assidue precantes*, quam *mendicos*, significare possint, fieri potuit, vt priorem notionem mutarent, aut latiorem notionem acquirerent, quum ad illos LVDOVICI, Imperatoris, pauperes transferrentur. Ab his autem *Beghardis* differebant illi, qui et *liberi spiritus fratres et sorores* dicebantur: quorum conuentus et progressus concilia et antistites tot decretis et legibus adhuc cohibere conati erant. Hi enim arcem pietatis et sanctimoniae in recondita quadam et abstrusa disciplina ponebant, cuius vim plerique eorum, qui paupertatem summi boni loco habebant, ne assequebantur quidem, rudes nimirum et obtusae mentis homines, plurimi certe eorum ignorabant. At nec difficilis erat ab illis *liberi spiritus*

X defen-

defensoribus ad hos simpliciores *Beghardos* transitus, quoniam vtrique mendicitati studebant, et quod reliquum erat temporis, pietatis officiis, precibus et contemplationi dicabant. Itaque damnatorum *Beghardorum* maxima pars, quo se iudicum et Inquisitorum manibus subduceret, ad familiaritatem eorum, quibus Imperator fauebat, sese insinuabat, et in vnum cum his corpus quodammodo sensim coalescebat. Dolebant hunc ecclesiae casum Inquisitores, qui mandatis Pontificum armati Germaniam, aliasque regiones peragrabant, et ecclesiae hostibus insidiabantur: sed nec legum Pontificiarum in illis regionibus, quae LVDOVICVM reuerebantur, magna erat auctoritas, nec Inquisitorum insignis potentia. Qui quum Pontificum tantum litteris instructi venirent, Caesareaque commendatione destituti essent, magistratus difficiles plerumque inueniebant, quia iuribus et more Germanorum ita comparatum erat, vt pro legitimis nulli haberentur Inquisitoribus, nisi quos Caesar approbasset, et imperatorio diplomate muniuisset. Post consociationem illam, quam diximus, *fratrum liberi spiritus* et paupertatis amatorum, *Beghardi* mistum et confusum quoddam agmen erant, quod ex hominibus partim constabat minime malis, et nulla re alia, quam mendicitate sua, ecclesiae et rei publicae molestis, partim aliis occulte fundamenta publicarum religionum conuellentibus, et insipientem quamdam et periculosam pietatem in bonas et imbecilles mentes introducentibus. Eius rei qui nescii sunt, rationem eorum, quae CAROLI IIII. tempore, et deinceps, in *Beghardos* sancita et decreta sunt, reddere, et vicissitudinum, quas subierunt, caussas explicare nullo modo poterunt. Videbimus, Imperatorem et Pontifices graues poenas in omnes *Beghardos* sine exceptione statuere, et domos bonaque eorum publicari velle: at videbimus paullo post, Pontificem ad cognoscendam *Beghardorum* caussam episcopos excitare, probosque *Beghardos* sine vlla iniuria fouere et tolerare,

malos

malos vero tantum et improbos coercere, iubere; videbimus, episcopos, post inquisitionem institutam, *Beghardos* puros et insontes pronuntiare: at videbimus etiam, alios episcopos et Inquisitores *Beghardos* flammis addicere, tamquam perfidos et ecclesiae hostes: videbimus, alium idcirco Pontificem denuo omnes *Beghardos* aggredi, et leges in eos latas pristinae dignitati suae restituere: at videbimus quoque, eumdem post annos aliquot molliorem sententiam ferre: videbimus, aduersarios *Beghardorum* infensissimos ignauiam illis potius et mendicandi consuetudinem, quam haeresin et alia crimina exprobrare: at videbimus quoque, eosdem confidenter tradere, seminarium haereticorum *Beghardorum* esse sectam, et ex ea omnes prodiisse, qui ecclesiam et rempublicam prauis opinionibus et dogmatibus conturbassent. Haec et alia nemo inter se componet et conciliabit, nisi animaduertat id, quod dixi, *Beghardos*, qui per praecepta sua libertatem spiritus pollicebantur, vagos antea homines et sine lege errantes, in vnam quodammodo ciuitatem cum illis *Beghardis* coiuisse, qui voluntariam paupertatem supremae virtutis loco habebant, et LVDOVICI, Imperatoris, beneuolentia fulti, per magnam Germaniae partem collegia condiderant. Quaedam horum collegiorum cauisse sibi videntur a contagione noxiorum illorum, quos Viennense concilium damnauerat, *Beghardorum*, eaque re legatis episcoporum et Inquisitoribus, ad rationes eorum indagandas missis, innocentiam suam probabant: at in plerisque lupi latebant inter oues, et peruersae illae de adscensu ad ipsum Deum, animorumque per illum adscensum redemtione sententiae occulte regnabant. Lucem his omnibus et fidem dabunt ea, quae de fatis *Beghardorum* commemoranda nobis restant, et vicissim fidem et lucem ab his recipient.

§. XXIIII.

Mortuo LVDOVICO, Bauaro, noua plane rerum facies in imperio Romano Germanico nascebatur, et aurea *Beghardorum* aetas occidebat. CAROLVS IIII. fauore et auxilio Romani Pontificis, Romanorum Rex A. 1345. creatus, votis et desideriis ecclesiae, quibus poterat modis, obsecundabat, quosque ea hostes suos iudicauerat, eosdem et ipse non oppugnari tantum patiebatur, verum etiam oppugnari *) iubebat. Quorum hostium principes fere quum *Beghardi* essent, non illi modo, qui se mentes hominum per disciplinam suam liberare velle, praedicabant, verum etiam, qui contra voluntatem et decreta Pontificis, pauperrimi CHRISTI imitatores se dicebant, immanis in hanc gentem tempestas sub CAROLO IIII. surgebat. Princeps eam commouebat INNOCENTIVS VI. qui, sub ipsum Pontificatus sui exordium, A. 1353. IOHANNEM de SCHANDELAND, Dominicanae familiae sodalem, in Germaniam mittebat, vt *Beghardos*, seu *Beckardos*, vt enuntiat hoc nomen Pontifex, reprimeret et exstirparet. Extat apud ODOR. RAYNALDVM **) epistola eius, *Villaenouae Auenionensis dioecesis Id. Iulii anno primo Pontif.* data, qua Archiepiscopis, episcopis, Principibus, Comitibus et magistratibus Germaniae legatum hunc suum commendat. Scribit vero, *accepisse se, pestiferam rabiem illorum, qui Beckardi vocantur, in Alemanniae partibus, procurante humani generis inimico, exarsisse*, postulatque satis imperiose a Germanis, vt, *quum ad pestem hanc de caulis fidelium propellendam* IOHANNES ille, iussu et auctoritate sua veniat, patrocinium et auxilium ei praestent, carceresque in

*) Ita scripsit ipsa Moshemiana dextra: sed haud dubie *expugnari* scribere voluit ac debuit.

**) Annal. Eccles. ad A. 1353. n. 26. Tom. XVI. p. 349.

in primis suos praebeant, quod propriis carceribus *Inquisitio* in Germania careat. Non puto, rogatum fuisse ab INNOCENTIO CAROLVM, vt sua quoque commendatione hominem honestaret, quod iuris alioquin et moris erat Germanici, quia Romae nondum coronatus erat imperator, et titulo idcirco tantum *Regis Romanorum* gaudebat. In qua me sententia non mediocriter confirmari sentio, quod intelligo, primam hanc in *Beghardos* excursionem parum fructuosam fuisse. RAYNALDVS quidem credere nos iubet, *Pontificiis imperiis paruisse Germanos* *); verum nihil, vt id persuadeat, affert, praeter vnum exemplum BERTHOLDI illius, de quo mox dicemus. Contra ea, quae de legibus et edictis Imperatoris et Pontificum diu post hoc tempus latis, in sequentibus copiose narrabimus, neminem dubitare finent, parum detrimenti rebus *Beghardorum* primum illum INNOCENTII Inquisitorem intulisse: vnde suspicor, Germanos, quoniam Pontificis tantum mandatum monstrare poterat, non Imperatoris approbationem, segnes ad ei obsequendum extitisse. At episcoporum tamen aliqui, quorum maior erat, quam reliquorum Principum, erga Pontificem voluntas, promtos sese ostendebant ad iussa eius exsequenda. Id triennio post, magno suo malo, experiebatur BERTHOLDVS quidam, *celebris Beghardorum liberi spiritus doctor*, qui plurimis Herbipoli desipiendi auctor fuerat. Is A. 1356. ab Inquisitoribus detectus et captus, quum mortem sibi cerneret imminere, errores, quos disseminauerat, publice detestabatur. Verum ex carcere dimissus, Franconia clam relicta, Spiram migrabat, tutius ibi populum a se corrumpi posse sperans. Ea spes infelicem hominem fallebat: proditus enim, in custodiam denuo mittebatur, et paullo post rogo impositus temeritatis suae poenas dabat. Moriebatur constans in sententiis, quas docue-

*) l. c. §. 27. p. 349.

docuerat: neque si poenitentiam iterum simulare voluisset, docilitatis suae fructum quemdam cepisset, quum veniam illis dare ecclesia non soleat, qui relabuntur in errores, quos dimisisse visi sunt. Sed audiemus IOH. TRITHEMIVM, quae breuiter diximus, copiosius explicantem. *Anno*, inquit ille *), *item praenotato* (1356) *quidam haeresiarcha ex eorum secta, quos Germani Beggardos appellant, nomine* BERTHOLDVS, *in ciuitate Spirensi occulte circuiens, et in secreto simplices docens, varios et abominabiles seminauit errores: qui postremo detectus et captus, per Inquisitores haereticae prauitatis, et complures alios viros doctos, examini publice fuit expositus, et multis erroribus infectus, pluresque seduxisse simplices miserabiliter, inuentus.* Sequuntur errores BERTHOLDI huius: quibus sepositis, clausulam narrationis, qua exitus eius exponitur, ad exordium, quod dedimus, attexemus: *Praescriptos et plures alios errores memoratus Lollhardus ante in ciuitate Francorum Orientalium Wirzburg, in occulto dogmatizando seminauerat, qui tandem publicatus et ad rationem positus, vt incendium haereticis debitum posset euadere, simulata corde consensit reuocare. Qui non ferens confusionem, quam ex tali reuocatione se incurrisse putabat, Franciam nostram occulte fugiens deseruit, et ad Spiram veniens, falsam doctrinam et errores, quos prius abnegauerat, iterum praedicauit. Comprehensus igitur in memorata ciuitate Spirensi, atque de praescriptis erroribus conuictus, et publice confessus, cum interrogaretur, si vellet tam perniciosae haeresi abrenuntiare, et in fide S. matris ecclesiae fideliter permanere usque ad mortem, respondit:* Fides mea donum Dei est, et ob id gratiam eius mihi donatam abnegare sicut non debeo, ita nec possum, nec volo. *Vnde in suis erroribus pertinaciter obstinatus iudicio traditus est, et per sententiam in*

*) Annalib. Hirsaugiensibus, Tom. II. p. 231.

in ignem miſſus et combuſtus *). Vltima verba viri pietatem eius aduerſus Deum, et animum doli mali et improbitatis neſcium, declarare videntur: quare meliori eum fato dignum, et iudicibus ſuis haud paullo ſanctiorem fuiſſe iudico. Etſi vero magna erat in eo perſuadendi, mentesque alliciendi facultas, litterarum tamen expers et ruſticus erat: quod mihi quidem TRITHEMII praefatiuncula, quam errorum eius indici praemittit, non obſcure ſignificare videtur: *Cuius errores per ordinem deſtinauimus exprimere, vt liqueat omnibus, quam ſit periculoſum idiotis indoctis et ruſticis magiſterium ſine praeceptoribus legitimis vſurpare docendi, et ſine obedientia religionem habitu prae ſe ferre mendacem.* Videamus iam errores, quos horribili morte expiare oportuit virum, parum quidem caſte atque ſapienter de multis rebus ſentientem, verum ſimplicis animi et malitia vacuum. Octo ſunt: quorum tres priores tangunt ſanctiſſimum Seruatorem, eiusque in poſtremis cruciatibus ſuſtinendis conſtantiam. *Dixit primum, quod Chriſtus Ieſus in ſua paſſione vsque adeo derelictum ſe*

ſen-

*) Meminit et huius hominis MICHAEL EYSENHART in *Continuatione Chronici vniuerſalis Hermanni Gigantis*, quod IO. GERH. MEVSCHENIVS ante annos aliquot edidit *Lugd. Batauor. 1713. in 4. p. 140. Eodem tempore condemnatus eſt Spyra Berchardus Bertholdus haereticus, qui multa mala ſeminauerat.* In his autem verbis *Rerebardus* mutari debet, quod apertum eſt, in *Begbardus*. His ſcriptis, incido in IO. NAVCLERI *Chronicon*, videoque et hunc triſtia *Begbardi* huius fata poſterorum memoriae mandaſſe. Is vero in nonnullis TRITHEMII narrationem et auget, et corrigit. Primum memorat, cognomen ei fuiſſe *de Rorbach. Poſt haec tempora*, ait, *indicabatur Spirae Begbardus Bertholdus de Rorbach.* Hoc patriae vocabulum eſſe, non dubito. Deinde tres priores errores eum tradit Wirzburgi tantum eiuraſſe, reliquos vero Spirae demum illis addidiſſe. Et ex his quinque erroribus illum, quem TRITHEMIVS quinto loco ponit, prorſus omittit: ſextum vero et ſeptimum contrahit in vnum.

senserit a patre, quod dubitauerit vehementer, vtrum anima eius saluanda esset, vel damnanda. Secundo dixit, quod Iesus Christus in passione sua prae nimio dolore maledixerit castissimae genitrici suae, virgini Mariae. Tertio dixit, quod Christus in passione sua maledixerit terrae, quod fusum illius susceperat sanguinem. De his quid mihi statuendum sit sententiis, haereo. Affictas esse homini ab illis, qui male ipsi volebant, non audeo dicere: longe enim maioribus eum probris et opinionum portentis onerassent, si qui populo eum exosum reddere, atque supplicii de eo sumti iustitiam demonstrare, ex delictorum magnitudine voluissent. At in *Beghardorum* disciplina, quatenus nota nobis est, nihil reperio, per quod cogi potuerit ad tam humiliter de Servatore nostro sentiendum. Consectaria itaque haec esse iudico arcani dogmatis cuiusdam de Christo, quod ipse animo pressit, iudicesque parum perspicaces et periti praetermiserunt. Hoc enim, quod infinitis constat exemplis, vitium inter alia multa veteres illi Inquisitores admittere solebant, vt errores quidem ipsos auide colligerent, verum fontes errorum nec cernerent, quo erant animi stupore, nec, qua erant ignauia, inuestigarent. Quamobrem quae vis, quae ratio, quae vera sententia sit multorum dogmatum, quibus infamiae notam impresserunt, hodie constituere nullo modo licet. Reliqui errores quinque miseri BERTHOLDI nihil habent obscuritatis, et insigne sapientiae Beghardicae tam aperte prae se ferunt, vt agnosci facile queant. *Quartus error: quod homo vita mortali adhuc passibilis et corruptibilis ad tantam spiritualis vitae perfectionem possit peruenire, quod ei postea neque orare, neque ieiunare sit amplius necessarium, et nihil deinceps sit ei peccatum.* Hoc caput est totius disciplinae *Beghardorum*: haec illa est, quam sibi arrogabant, et aliis promittebant, celeberrima *spiritus libertas. Quintus error: quod oratio vocalis non sit homini vtilis, vel necessaria, et nihil conferat ad*

salu-

salutem, sed mente orare sufficiat, sine voce vel motu labiorum. Communis haec est eorum, qui *Mystici* nominari volunt, sententia. *Sextus error: quod Laicus indoctus et idiota, sine notitia scripturarum, sed illuminatus diuino instinctu, plus aliis et sibi docendo queat proficere, quam sacerdos quicunque etiam doctissimus, per quamlibet scientiam scripturarum.* Recte ceperunt mentem hominis iudices. Hoc enim qui hodie vbique viuunt eius similes contendere non desinunt, interius verbum, quod in omnium mentibus latere opinantur, et contemplando excitari posse confidunt, multo maiorem et certiorem magistrum esse verbo externo, seu diuinis libris. *Septimus error: quod tali Laico illuminato in suis praedicationibus atque doctrinis sit plus credendum atque obediendum, quam sancto Euangelio, et quibuscunque scripturis, vel dictis omnium doctorum.* Necessarium hoc est consequens praecedentis proxime dogmatis. *Octauus error: quod homo deuotus in sumendo cibo et potu pro sustentatione corporis tantam possit acquirere gratiam, quod aequiualebit ei, acsi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi sacramenta sumpsisset.* In vniuersum hoc etiam verissimum est *Beghardorum* dogma, in explicatione licet forte emendari quaedam possint. Nimirum omnem cultum externum, quod Quakeri hodie, spernebant *Beghardi*, ideoque et sacram coenam perfecto homini et ad Deum euecto, nullum fructum afferre censebant.

§. XXV.

Sequenti anno 1357. GVILIELMVS de GENNEP, qui, WALRAMO A. 1349. mortuo, Coloniensem ecclesiam gubernabat, vt suam erga Pontificem obedientiam testaretur, nouum sibi ducebat edictum in *Beghardos* promulgandum esse, quo et antiquis legibus vigorem, quem amiserant, restituebat, et poenarum comminatione ad officium reuocabat, qui eas oblitterari

passi erant. Tot enim leges Coloniae aduersus hanc sectam publicatae impedire non potuerant, ne inter intestinas Germanorum dissensiones, in vrbe et prouincia Coloniensi, vehementer multiplicarentur. Praestat, puto, integrum mandatum, quam summam eius, exhibere. Ipse igitur loquatur Archiepiscopus *):

WILHELMVS, *Dei gratia sanctae Coloniensis ecclesiae Archiepiscopus, sacri imperii per Italiam Archicancellarius, vniuersis Praelatis, ceterisque Clericis et personis ecclesiasticis, salutem in Domino sempiternam.*

Ad eliminandam pestiferam hominum quorundam, qui Beggardi et Schwestriones appellantur [1]), *sectam, propter vitam et conuersationem eorundem suspectam, ac propter varios Christianaeque fidei contrarios, quos hi homines profitentur* [2]), *errores, olim bonae memoriae venerendi patres, Henricus et Walramus, praedecessores nostri, contra homines praescriptos, ne communione sua contagiosa ceterorum Christi fidelium gregem tanquam oues morbidae coinquinarent, in pluribus synodalibus conciliis, auctoritate eorundem praedecessorum nostrorum celebratis, varios fecerunt processus, in quibus inter cetera homines praedictos et eis communicantes, ipsosque hospitantes, domos et hospitia eis, aut alicui, seu aliquibus ex eis, locantes, concedentes aliquid vel dantes, seu aliquo humanitatis solacio subuenientes eisdem, monicionibus legitimis praemissis excommunicarunt, excommunicatosque mandauerunt publice nuntiari, aliosque multiplices, formidabilesque processus duxerant* 3) *emittendos, prout in literis et processibus eorundem*

*) Extat hoc edictum in *Statutis ecclesiae Coloniensis*, edit. antiquae f. 66. recentioris, p. 167. Vtramque editionem contuli, vt quam emendatissimum hic extaret. Lect. varietas ex Hartzhem. libro depromta.

1) (*qui B. et Suestrion. appellantur*).

2) (*quos ii hom. prof.*).

3) *duxerunt*.

dem praedecessorum nostrorum super his confectis, et in publicam notitiam deductis, plenius continetur. Verum quia prout ad nostram nouiter non absque displicentia graui, relatum est audienciam, huiusmodi hominum perniciosa denuo incepit adeo in nostra ciuitate et dioces 4) *inualescere multitudo, quod* 5), *nisi denuo eis per competentia contraria resistatur, verendum est, quod finaliter sua contagione execranda totum commaculent ipsum gregem, aliaque peiora prioribus pericula subintrabunt. Vobis igitur ecclesiarum parochialium Rectoribus et vices vestras gerentibus, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena, districte praecipiendo statuimus et mandamus, quatenus contra omnes et singulos huiusmodi sectae homines* BEGGARDOS *et* SCHWESTRIONES 6), *secundum eorundem praedecessorum nostrorum processuum continentiam (quos tenore praesentium in omnibus suis punctis et clausulis ratificamus, confirmamus et praesentibus innouamus) procedatis, Ipsosque processus contra homines praescriptos, ac ipsos in domibus suis recipientes, aut alias* 7) *communicantes eisdem, seu eis quicquam dantes, nec non eorum fautores, et eis opem seu operam conferentes, fideliter et frequenter publicetis ac* 8) *executioni debitae demandetis* 9); *vosque omnes et singulos supradictos homines ipsos arctius euitetis. Intimamus etiam vobis, quod si aliqui ex vobis in executione praemissa inuenti fueritis desides vel remissi, contra tales per rigorem iusticiae sine dolo procedemus. Datum sub sigillo nostro anno Dom. MCCCLVII. XXV. die Februarii.*

Hic *Guilielmus* praesulum Coloniensium postremus est, qui progredienti *Beghardorum* superstitioni sese obiece-

4) *dioeces.*

5) *quae.*

6) *Suestr.*

7) *alios*, sed in margine adscripsit, *alias.*

8) *et.*

9) *demandetis debitae.*

iecerunt: quare ab hoc tempore ſenſim contabuiſſe et defeciſſe in prouincia Colonienſi haec ſecta videtur. Magis autem hoc deberi CAROLI IIII. et *Inquiſitorum* ab eo ablegatorum curae et prouidentiae, de qua iam dicendum nobis erit, arbitror, quam Guilielmi, quod attulimus, mandato et ſacerdotum Colonienſium feruori. Quum ſequenti ſaeculo celeberrimus ille NICOLAVS CVSANVS, vices Pontificis maximi per Germaniam obiens, vna cum THEODORICO, Archiepiſcopo, A. 1452. concilium Coloniae celebraret, nullum ſupererat *Beghardorum* in prouincia illa veſtigium. Extant decreta huius concilii *): in quibus, tametſi multa in varii generis vitia, quae publicam diſciplinam contaminauerant, ſtatuantur, nulla tamen vel *Beghardorum*, vel hominum illis ſimilium, mentio legitur. Vetat concilium nouas familias vtriusque ſexus colligi, niſi ex regulis a Pontifice probatis vnam ſequi velint; et ſi quae *forſan* exiſtant familiae, legibus vtentes Pontificis aſſenſu deſtitutis, eas iure omni et exiſtimatione priuare iubet: hoc vero ipſum ſcitum ſatis declarat, *Beghardorum* eo tempore ſectam et memoriam, multis licet in aliis Germaniae prouinciis adhuc permaneret, apud Colonienſes prorſus deletam fuiſſe.

§. XXVI.

In Argentinenſi prouincia bellum in *Beghardos* poſt obitum antiſtitis, IOHANNIS de OCHSENSTAIN, cuius inclementiam ſupra ex ineditis chartis illuſtrauimus, quieuerat: recrudeſcebat vero id IOHANNE, Luxemburgenſi, CAROLI IIII. Imperatoris nepote, A. 1365. in cathedram Argentinenſem euecto. Inquiſitoris munus per Moguntinam, Bambergenſem et Baſileenſem prouincias tum adminiſtrabat HENRICVS de

*) in *Statutis Colonienſibus*, f. 111. antiquae, et p. 248. recentioris editionis.

de AGRO, ex S. Dominici familia: ei praesul IOHANNES vicarium suum, TRISTRAMNVM quemdam adiungebat: qui duo tam strenue ac fideliter partes sibi creditas obibant, vt *Beguinas* et *Beghardos* haud paucos ex latebris suis protraherent; quorum aliqui vltimo supplicio afficiebantur. Inter mulieres vna erat, anus sine dubio, METZA de WESTHOVEN, quae, seueri illius IOHANNIS tempore, iureiurando opiniones suas detestata erat, postea vero ad eas redierat. Ea omni misericordia indigna ducebatur, et magistratui puniendo tradebatur. Extat in antiquo codice manu exarato, ex quo haec hausta sunt, ipsa, quam Inquisitores in eam tulerunt, sententia, quam quidem huc transferam, vt Germanicae Inquisitionis historia et ratio, valde adhuc obscura, non nihil inde lucis accipiat.

Sententia diffinitiua contra Metzam de Westhoven, Beguinam.

In nomine Domini! Amen. Inter sollicitudines nostras, quas in domo Dei ex iniuncto nobis officio gerimus, illa debet esse praecipua, vt vulpeculas capiamus, quae vineam Domini Sabaoth suis venenosis documentis et erroribus, sauciatis dentibus et faucibus cruentatis subfodere moliuntur, attestante verbo veritatis Ioh. XV. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescent vt colligent eum, et in ignem mittent, vt ardeat *). *Hinc est, quod nos Frat. Henricus de Agro, Ord. Fratrum Praedicator. Inquisitor haereticae prauitatis per prouinciam Moguntinam ac dioeceses Bambergensem et Basileensem auctoritate Apostolica deputatus, ac Tristramnus, vtriusque Iuris Baccalaureus, vicarius Dom. Iohannis, episcopi Argentin. volentes Inquisitionis officium fideliter et efficaciter contra haereti-*

*) Ex hoc Seruatoris nostri oraculo vecordes et indocti aetatis huius Inquisitores probare plerumque solebant, haereticos comburendos esse.

reticos et diffamatos atque suspectos de haeresi exercere, ne de negligentia arguamur, per Inquisitionem factam cum publico Notario ac testibus fide dignis, et per propriam confessionem inceptam in iudicio coram nobis, euidenter inuenimus, quod tu, Metza de Westhouen, post sententiam latam contra te per Venerab. in Christo patrem et Dominum, Iohannem, bonae memoriae episcopum Argentinensem, et post abiurationem omnis haeresis, in iudicio per te penitus abiuratae, in pristinos errores es relapsa, sicut canis ad vomitum rediens miserabiliter deliquisti, vt in Actis tuis plenius habetur expressum, sicut tibi factum est hic intelligibiliter in collegio recitatum. Idcirco nos attendentes quod secundum iura Canonica talibus in haeresin in iudicio abiuratam relabentibus, non est gratia vlterius facienda, de multorum religiosorum virorum, Magistrorum S. Theologiae, Priorum, Clericorum et Iurisperitorum maturo consilio super his praehabito et obtento, habentes solum Deum prae oculis et orthodoxae fidei puritatem, sedentes pro tribunali hac die et loco, praesentibus praedictis, Dei nomine inuocato, per nostram sententiam diffinitiuam in his et cum his scriptis praesentibus pronuntiamus et dicimus, te Metzam de Westhouen esse relapsam in haeresin a te in iudicio primitus abiuratam, et te tanquam relapsam condemnamus, cum ecclesia vltra non habeat, quod faciat, te relinquimus iudicio seculari, ipsum iudicem affectuose rogantes, prout suadent canonicae sanctiones, vt tibi vitam et membra citra mortis periculum illibata conseruet. Lata est haec sententia Argentinae, in curia episcopali, A. D. MCCCLXVI. die VI. mensis Iunii.

§. XXVII.

Haec vero omnia et alia, quorum tempus forte notitiam abstulit, praelusio tantum quaedam, aut praecursio erat atrocis et magni certaminis, quod sub CAROLO IIII. *Beghardis* sustinendum fuit. Eius initium, si fides

fides haberi poteſt, quod minime dubito, documentis, quibus vtimur, in A. 1367. cadit. Eo enim anno VRBANVS QVINTVS duos ex Dominicana familia fratres, haereticorum odio, fide erga Romanam eccleſiam, ſagacitate et inhumanitate ſupra multos alios eminentes, in Germaniam ablegabat, vt *Beghardos* omni virium contentione inuaderent et funditus exſtirparent. Alter eorum WALTHERVS KERLING in Imperatoris aula vixiſſe, nec mediocri auctoritate praeditus fuiſſe videtur, quum ipſe CAROLVS IIII. perhonorifice de eo loquatur, et eum non modo *Capellanum*, verum etiam *commenſalem*, *domeſticum* et *familiarem ſuum dilectum et fidelem* nominet. Alter, multo ignobilior, LVDOVICVS de CALIGA dicebatur. Ille, WALTHERVS, dux et princeps ſacrae huius expeditionis erat: nec modo facultatem habebat duos alios ordinis ſui fratres, quos tanti momenti negotio pares duceret, ſibi adſciſcendi, verum etiam, quae opportuna et neceſſaria viderentur, ſtatuendi, ordinandi, Pontifici et Caeſari ſubiiciendi, ſodalibus denique imperandi et mandandi. Qua ille poteſtate mirabili diligentia et incredibili ardore vtebatur, vt ad eum ſolum, quod mox videbimus, aetatis huius hiſtorici fauſtum negotii totius exordium et ſucceſſum referant. VRBANVS V. vtrumque litteris accurate ſcriptis, Germanis commendabat: in quibus id in primis a Principibus et magiſtratibus petebat, vt iſtis haereticorum exploratoribus carcerum ſuorum vſum ad tempus concederent, quoniam proprios ſibi carceres et domicilia inter Germanos conſtruere Inquiſitoribus nondum licuerat. Litteras autographas, quibus Pontifex LVDOVICVM de CALIGA honeſtauit, ipſe tractaui: quarum exemplar ante oculos ſibi poni non moleſte ferent lectores. Similes, forte etiam honorificentiores, WALTHERO, ſacri belli duci, traditas eſſe, nemo vnus dubitabit.

VRBA-

VRBANVS *episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis, aliis Praelatis et personis ecclesiasticis, nec non nobilibus viris Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, aliisque terrarum Dominis ac vniuersitatibus et Rectoribus ciuitatum, oppidorum* [1]*, castrorum et villarum per Allemanniam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem!*

Imminente nobis cum gregis Dominici ex officio pastorali sollerter vigilare nos conuenit, ne lupina rabies haereticae [2] *prauitatis sub ouino vellere latitans, maculet* [3] *crudeliter ac* [4] *disperdat, quos fidei viuificat sacramentum. Cum itaque, sicut accepimus, pestis illorum haereticorum* [5]*, qui* BEGHARDI *vocantur, in nonnullis Allemanniae* [6] *partibus, procurante humani generis inimico, dicatur exorta: nos cupientes, quod pestis ipsa, quae multum posset esse periculosa fidelibus, si non exstirpetur celeriter de caulis fidelium, propellatur, et quod officium Inquisitionis dilecto filio,* LVDOVICO [7] DE CALIGA, *Ordinis FF. Praedicatorum* [8] *in nonnullis ciuitatibus et diocesibus partium praedictarum Inquisitori dictae prauitatis, et aliis Inquisitoribus prauitatis eiusdem Apostolica auctoritate commissum, ad profectum fidei et animarum salutem, auctore Domino prosperetur: vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandantes: quatenus ob reuerentiam Dominicam et Apostolicae* [9] *sedis vestram* [10] *ac*

Lectionis varietas ex Cod. MSC. Helmstad. desumta.

1) *opidorum.*
2) *heretice.*
3) *mactet*, sic certe legi potest.
4) *et.*
5) *hereticor.*
6) *Alemanie.*
7) *Ludowico.*
8) *fratrum Predicat.*
9) *ac Apostolice.*
10) *sedis et nostram*, omissum et adscriptum est.

ac amorem fidei praelibatas [11]) *ipsos Inquisitores et suos vicarios benigne recipientes, et honeste tractantes, ac eis in prosequutione negotii dictae fidei, in capiendo et custodiendo huiusmodi haereticos, seu suspectos de haeresi vtriusque sexus, contra quos ipsi Inquisitores et eorum vicarii procedent pro tempore et alias, prout expedierit* [12]), *consilium, auxilium et fauorem totis viribus, deuotisque mentibus efficaciter impendatis, vestros carceres, quibus in eisdem partibus carere dicitur officium Inquisitionis huiusmodi, praestantes eisdem, donec officio praedicto de certis carceribus sit prouisum, ac in eundo, stando et redeundo securum conductum liberaliter tribuatis, quotiens fuerit oportunum, potestates et mandata nostra huiusmodi taliter impleturi, vt causam fidei videamini cordialiter assumere et fouere, ac apud Deum et sedem praedictam possitis exinde merito commendari. Datum Romae* [13]) *apud S. Petrum XVII. Kalend. Maii, Pontificatus nostri anno sexto.*

Quod Pontifex, id ipsum quoque Caesar, suis verbis, *Inquisitoribus* illis in mandatis dabat, ne vnius Pontificis, verum Imperatoris etiam legati, remque non ecclesiae solius, sed et rei publicae gerere, Germanis viderentur. Id ipso CAROLO IIII. auctore tradimus, qui alio in diplomate, quod paullo post afferemus, A. 1369. dato, diserte scribit, se dudum Walthero, Ludouico, ceterisque Inquisitoribus, litteris ad eos datis, potestatem contulisse *Beghardos* inuestigandi, et si fieri posset, debellandi. Excitatum vero fuisse Imperatorem ab VRBANO ad id faciendum, ODOR. RAYNALDO, alieno licet loco et obiter tantum referenti *), facile credimus. Annum commendationis Caesareae eumdem esse,

11) *prelibate*, sic vbique per errorem. simplex *e* est loco diphthongi *ae* et *oe*.

12) *expidierit*, haud dubie per errorem.

13) *Rome*.

*) Annal. Eccles. ad A. 1372. n. 34. p. 515.

esse, quem Pontificiae, nempe A. 1367. per se credibile est; et vel hinc liquet, quod Inquisitores illi, et hoc iam anno, et magis consequenti, nomen suum *Beghardis* vexandis et comburendis valde nobilitarunt, resque egerunt, Imperatoris suffragio et laude dignissimas. CAROLVS nempe A. 1369. in eodem, quod iam testati sumus, diplomate, *laete* sese *accepisse* significat, egregii illius et strenui *Waltheri Kerling* ductu et consilio *maledictas sectas Beghardorum et Beguinarum de prouinciis Magdeburgensi et Bremensi, terris Thuringiae, Saxoniae et Hassoniae, et aliis certis partibus Alemanniae, penitus esse destructas.* Quod Imperatoris exceptione maius testimonium et quibus in Germaniae prouinciis potissimum secta haec tum temporis habitauerit, declarat, et quanta fide Inquisitores, maxime caput eorum, illustris *Kerlingius*, munus suum obierint, demonstrat. Neque desunt aliae, quibus id firmari potest, auctoritates: inter quas eminet luculentissimus locus *Chronici Magdeburgensis* ab HENR. MEIBOMIO inter *rerum Germanicarum scriptores* nec plene, nec emendate satis editi, a GEORG. GVIL. LEIBNITIO vero primum, postea a IO. BVRCKARDO MENCKENIO restituti et emendati. *Sub eiusdem*, aiunt hi Annales *), *decursu temporis*, (A. 1367.) *secta Beghardorum et Beghinarum, quae licet dudum in Viennensi concilio a Clemente Papa quinto damnata et reprobata fuerit, adhuc tamen sectae reliquiae, sub quodam fuco religiositatis, in quibusdam partibus Alemaniae remanserant. Nunc per Inquisitorem haereticae prauitatis, videlicet Magistrum Waltherum Kerlingher* **), *Ordinis Prædica-*

*) GEORG. GVIL. LEIBNITII Scriptor. rerum Brunsuic. Tom. III. p. 749. et IO. BVRCK. MENCKENII Scriptor. rerum Germanicar. Tom. III. p. 370. 371.

**) Apud LEIBNITIVM male legitur: *Keslingen*. CAROLO IIII. et Pontificibus semper vir hic vocatur: *Kerling*, non vti hic *Kerlinger*. At video tamen in epistola, quam

dicatorum, Sacrae Theologiae Doctorem, ad huiusmodi Inquiſitionis officium, auctoritate Apoſtolica in certis partibus Alamanie deputatum, iſto tempore in Magdeburg et in Erfordia et partibus conuicinis eſt abolita et deleta, propter articulos nefandos et haereticales, in Conſtitutionibus Clementis titulo de haereticis, Capitulo: Ad noſtrum, dudum damnatos, quos quidem Articulos plurimae perſonae de ſecta memorata adhuc Inquiſitionis tempore ſapere et tenere damnabiliter ſunt inventae. Inter huiusmodi autem vtriusque ſexus perſonas, quaedam licet ſtatui quidem illius ſectae exteriori habitu et conuerſatione viderentur conformes, ab erroribus tamen inſontes extiterunt: quaedam vero ab erroribus ſuae ſectae corruptae, tamen reſilierunt, fidem Catholicam profitentes: et hae vtraeque in ſtatu ſimplici Chriſtianae religionis ſunt dimiſſae: nonnullae vero in ſua veſania pertinaciter perdurantes, maxime in Erfordia et partibus ibi vicinis, ignibus ſunt crematae. Haec narratio et verbis Imperatoris, quibus ſibi de felici progreſſu expeditionis a *Kerlingio* ſuſceptae gratulatur, plurimum lucis affert, et qua ratione ſacrum illud bellum geſſum fuerit, luculenter oſtendit. Plures erant eo tempore religioſae ſodalitates vtriusque ſexus, quae communi *Beghardorum* et *Beguinarum* nomine appellabantur: id quod primo libri huius capite copioſe docuimus: omnes illae quidem multis rebus inter ſe ſimiles, verum aliis quoque diſſimiles: et earum nonnullas

 tole-

quam GREGORIVS XI. ad eum A. 1372. Idib. Martii dedit, et ODOR. RAYNALDVS *Continuat. Annal. Baronii ad A.* 1372. *n.* 33. *p.* 512. in vulgus edidit, *Kerlingeri* nomen ei tribuit. — In Cod. MS. Helmſtad. nomen huius quaeſitoris religioſi, quotiescunque occurrit, ſcriptum eſt *Kerlingi* i. e. *Kerlinger*: vti etiam in litteris Pontificiis, quas in Grashofii, V. Cel. Comment. de Origg. et Antiqq. Muhlhuſae, promulgatas videmus. Haec igitur ſcribendi ratio editori verior eſſe videtur.

tolerabantur, aliae propter morum probitatem et officia, quae ciuibus praestabant, etiam diligebantur et laudabantur. Haec in collegia, quod supra iam animaduertimus, callide sese insinuabant veri illi *Beghardi*, quos Pontificum leges et conciliorum decreta ferri nolebant, verbo, *fratres et sorores liberi spiritus*, partim vt antistitum et Inquisitorum oculis et manibus sese subducerent, partim vt gregem suum amplificarent commodius, et sententias propagarent: quod consilium et saluti ipsis erat multis in locis, et tam prospere cedebat, vt non paucas illarum societatum totas peruerterent, et in suos sensus paullatim pertraherent. Id quum mature intelligeret *Kerlingius*, luposque ouibus missos esse sentiret, caute sibi dimicandum esse cernebat, nec in omnes promiscue saeuiendum, qui *Beghardorum* nomine, vestibus et institutis, a reliquo populo secernebantur. Itaque instituta cognitione, quos animaduertebat expertes esse errorum, qui *fratres liberi spiritus* deformabant, eos nulla iniuria afficiebat, sed *in statu simplici Christianae religionis*, vt ait historicus, *dimittebat*: quorum verborum haec, nisi me omnia fallunt, est sententia: iubebat eos vestimenta sua exuere, domibus, in quibus habitauerant, egredi, sodalitates dissoluere adhuc cultas, denique communi ceterorum Christianorum more viuere. Qui vero prauis opinionibus illis imbuti reperiebantur, quas in *Beghardis* damnauerant Pontifices, illi aut, interposito iureiurando, eas abiicere cogebantur, aut, si hoc nollent, magistratui comburendi tradebantur. Exempla quaedam seueritatis huius *Kerlingianae* posterorum memoriae prodidit HERMANNVS COERNERVS, quae huc transferre non alienum erit. A. 1368. *Beghardus* quidam Erfordiae in rogo peribat: cuius supplicii *Waltherum* illum auctorem fuisse, tametsi haud nominetur, nullum fere dubium est, quoniam hoc eum anno Erfordiae versatum esse constat. Miser ille vim cuidam puellae inferre voluerat, et ideirco poe-

na

na dignus erat: at supplicii genus, quod sustinuit, satis docet, non hoc crimen in eo iudicem vltum esse, sed haeresin, et pertinaciam in haeresi tuenda. Itaque inter illos, si bene iudico, recte collocatur, quos mortis metus permouere non potuit, vt a sententiis suis desisterent *). *Quidam Begghardus in vrbe Erphordensi terrae Thuringorum crematus est, secundum Chronicam Saxonum, eo quod quandam puellam nudatam et procumbentem ad iussum suum, sub spe promissae sanitatis,* (forte legendum est: *sanctitatis*) *a retro more canis voluisset cognoscere, cuius clamore dictus nequam comprehensus est.* Consequenti anno 1369. idem KERLING Northusae de quadraginta vtriusque sexus hominibus, quos ceperat, septem ad ignem proficisci iubebat, quibus frustra reditum ad ecclesiam suaserat **). *In Northusensi vrbe Thuringorum deprehensi sunt vltra XL. homines, vtriusque sexus, in haeretica prauitate infectae* ***), *secundum Chronicam Saxonum, de quibus septem impoenitentes cremati sunt, alii vero ab erroribus resilientes, poenitentiam susceperunt ab Inquisitore haereticorum Magistro Walthero, Ordinis Praedicatorum fratre.* Etsi nomen sectae, quam homines hi probarunt, non exprimatur, *Beghardos* tamen fuisse non dubito, quum *Kerlingerum* eos insectatum esse videam, cui laudem purgatae ab hac faece Thuringiae CAROLVS IIII. tribuit, quique contra hos ecclesiae hostes vnice missus erat. COERNERVS quidem, postquam exemplum hoc attulerat, adiicit, eodem fere tempore, et hoc ipso anno, bellum in *Beghardos* a KERLINGERO inchoatum, et binos eius factionis homi-

*) COERNERI Chronicon in ECCARDI Corpore Histor. medii aeui. Tom. II. p. 1113.

**) COERNER. l. c.

***) Ita scripsit quidem auctor perillustris: sed *infecti* postulare orationem, quisque per se videt.

nes Erfordiae ab eo exustos, multos alios ecclesiae reconciliatos esse. *Pro eodem tempore circa festum Purificationis, praecipiente Domino Vrbano Papa, et cooperante Karolo Imperatore, secta Beggardorum et Beguinarum ac Swestrionum persecuta est, et damnata, et valide impugnata vbique in Alemannia, de quibus quidem duo in Erphordia in pertinacia sua obdurati, per praedictum Inquisitorem Magistrum Waltherum Kerlinger sunt combusti, alii vero et aliae quamplures publicam peregerunt poenitentiam, sectam cum erroribus eiurantes.* Verum in hoc aut diligentia destituit hominum, et quae narrat, ad praecedentem annum referenda sunt, aut hoc tantum dicere voluisse putandus est, coeptum iam antea bellum hoc anno instauratum, et acriori studio gestum fuisse. Id quidem vt credamus, numquam testimonium eius a nobis impetrabit, mense demum Februario A. 1369. Inquisitorem manus inicere *Beghardis* coepisse, quum mense Maio eiusdem anni, CAROLVS IIII. Luccae in Italia scribat, se laetum accepisse, industria et labore KERLINGII, in plurimis Germaniae prouinciis, hoc hominum genus prorsus sublatum et deletum esse. Tantae molis opus quomodo tribus mensibus feliciter perfici potuisset? Statuamus igitur, superiori anno 1368. contigisse, quae et Nordhusae, et Erfordiae gesta esse, COERNERVS memorat.

§. XXVIII.

CAROLVS inter haec in Italiam cum exercitu proficiscebatur, ad turbulentos prouinciae huius motus componendos: vbi quum sequente anno 1369. cognouisset, quam praeclare rem in Germania KERLINGIVS gessisset, moneretur que vel a Pontifice, vel a Germaniae, qui eum comitabantur, Principibus, vrgendum opus esse tam faustis ominibus inchoatum, nouaque auxilia illis, quorum in manibus erant, suppeditanda,

tanda, quo feliciter absolui posset, facilem sese praebebat ad omnia praestanda, quae necessaria et vtilia tantae rei videbantur. Itaque primum, mense Iunio, KERLINGIVM suum vna cum sociis, quos habebat, amplissima potestate donabat munere *Inquisitionis* in Germania fungendi, omniumque iurium et honorum liberalissime participem faciebat, quos Imperatores, Regesque Inquisitoribus olim concesserant: magnos porro et potentes eisdem patronos et tutores ex Ducibus, Comitibus, et Equitibus Germaniae dabat; ex Ducibus, Saxonicorum vnum, quem Dominum de Wittenberg vocat, et Brunswicensium vnum, quem Dominum de Eymbecke appellat: ex Comitibus Schwarzenburgensem, Dominum de Arnstede, et Nassouicorum principem, siue Seniorem; ex Equitibus, capita familiarum de *Hansteyn* et *de Witzeleyuen:* quae quidem familiae ad nostram vsque aetatem florent, ea vero aetate sine dubio inter nobiles patriae nostrae gentes dignitate et opibus eminebant. Hos omnes Imperator Inquisitoribus, *Beghardos* inuadentibus, fortiter auxilio et ope adesse iubet, quo militiam, quam susceperat, cum fructu exercere possent: denique grauissimas poenas dictabat illis, qui viris, in re tam sancta et praeclara occupatis, vel molestias exhibere, vel iniurias inferre auderent. Sed ipsum diploma, quod non vno nomine rerum Germanicarum scrutatoribus gratum erit, oculis lectorum subiiciam.

In nomine sanctae et indiuiduae [1]) *Trinitatis feliciter! Amen.*

KAROLVS QVARTVS, *diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, et Bohemiae* [2]) *Rex ad perpetuam rei memoriam!*

Commissi [3]) *nobis coelitus* [4]) *cura regiminis Imperialis maiestatis, cui dante Domino feliciter praesidemus,*

Lect. varietas e Cod. MS. Helmstad.

1) *sancte et indiuidue.* 3) *Comissi.*
2) *Bohemie.* 4) *celitus.*

tius, materialem, quo diuisim a sacerdotio fungimur, gladium aduersus hostes fidei in exterminium haereticae [5]) *prauitatis exigit exercendum, vt viperinos fidei filios* [6]) *contra Deum et ecclesiam insultantes, tanquam* [7]) *materni vteri corrosores in iudicio et iustitia persequamur, maleficos viuere non passuri, per quorum scientiam seductricem mundus inficitur, et gregi fidelium per greges* [8]) (forte, *oues*) *has morbidas grauior infligitur corruptela.*

Cum igitur [9]) *ad succurrendum animarum periculis sanctissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus noster Vrbanus Papa quintus, Venerabilem et religiosum virum, Fratrem* WALTHERVM KERLING [10]), *Sacrae Theologiae Professorem, Capellanum nostrum, commensalem, deuotum, dilectum fecerit Inquisitorem haereticae* [5]) *prauitatis in Alemanniae* [11]) *partibus, vna cum quibusdam aliis fratribus Ordinis Praedicatorum ad exstirpandos quoslibet haereticos in partibus eisdem, et specialiter ad eliminandas et destruendas de memoria* [12]) *fidelium periculosas sectas* BEGHARDORVM *atque* BEGHINARVM [13]), *quae plurimum in Alemanniae* [11]) *partibus, procurante humani generis inimico, pullularunt; quocirca vt validius, praestantius et efficacius praedictus Magister,* WALTHERVS, *Inquisitor, cum suis collegis, in locis memoratis, ipsorumque Vicarii ac successores Apostolica auctoritate instituendi, in tam sancto, quam salubri officio, possint melius procedere, ac ipsorum officium vna cum suis Officialibus liberius exercere; et*

5) *heretice.*

6) *vippos pfidei fil.* litterarum compendium lectionem reddit dubiam.

7) *tamquam.*

8) *per greges*, quae lectio non fauet coniecturae Moshemii, qui in margine adscripsit: forte *oues.*

9) *itaque.*

10) *Walth. Kerlinger.*

11) *Alemanie.*

12) *de me°*, quod legendum videtur, *de medio.*

13) *Beguinarum.*

ut quo fraudulentius et secretius fides impugnatur, eo amplius maioribus decet priuilegiis et gratiis imperialis maiestatis officium Inquisitionis, Inquisitores ac eorum vicarios et officiales confoueri.

Idcirco in fauorem fidei orthodoxae [14]*, animo deliberato, et ex certa nostra scientia ac Principum nostrorum accedente consilio, auctoritate maiestatis Imperialis omnia priuilegia, statuta, gratias, indulgentias, exemptiones, immunitates, libertates per sacrum Romanum imperium, per nos prius ac per diuos praedecessores nostros Imperatores, illustres quoque Reges Romanorum, Franciae* [15]*, Bohemiae* [16]*, Angliae, Siciliae* [17]*, Hispaniae, Hungariae* [18]*, Normandiae, Poloniae, ac Principes, Duces, Nobiles, Potestates, ac per quoscunque, cuiuscunque conditionis extiterint, concessas seu datas officio Inquisitionis, seu Inquisitoribus haereticae prauitatis quibuscunque* [19]*, quandocunque* [20]*, ubicunque, quomodocunque in Italia* [21]*, Gallia, Germania, vel quibuscumque aliis locis, seu mundi partibus, coniunctim vel diuisim, praedicto Magistro* WALTHERO*, Inquisitori et aliis Inquisitoribus in Alemannia* [22]*, qui sunt, vel auctoritate Apostolica proxime erunt, innouamus, approbamus, et confirmamus, ac in suo robore volumus permanere, ipsosque Inquisitores priuilegiis, statutis, gratiis, indulgentiis, immunitatibus et libertatibus omnibus et singulis quibuscunque Inquisitoribus eiusdem labis haereticae prauitatis, siue in Lombardia, Francia, Tholosa* [23]*, Carcassona, Italia, Gallia, Almannia* [24]*,*

Y 5 *seu*

14) *orthodoxae.*
15) *Francie.*
16) *Boemie*, ita et in seqq.
17) *Cilicie.*
18) *Vngarie.*
19) *Inquis. hereticarum quibusc.*
20) *quandocunque*, ita fal-tem legere possis litterarum compendium.
21) *Ytalia.*
22) *Alamania.*
23) *Tholosa.*
24) *Almania*, haud dubie per errorem.

seu quibuscunque aliis partibus mundi concessis per quemcunque seu quoscunque, in partibus Alemanniae [11]) *Inquisitores gaudere volumus, perpetuis temporibus pleno iure.*

Insuper praedicta priuilegia [25]) *omnia et singula ipsis Inquisitoribus Alemanniae* [11]) *nostra imperiali maiestate innouata, approbata, confirmata et concessa pro insertis* [26]) *habemus, et haberi* [27]) *volumus, acsi deinceps de ipsis et ipsorum continentia, ipsorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in praesentibus deberet fieri mentio specialis: non obstantibus quibuscunque legibus, iuribus, consuetudinibus, seu statutis contrariis nostro praesenti statuto et* [28]) *edicto.*

Verum prae cunctis mentis nostrae desiderabilibus cupientes fidei incrementa, ipsumque sanctum officium Inquisitionis et omnes [29]) *Inquisitores pugiles fidei et conseruatores ac ipsorum Officiales Caesareo* [30]) *clementia benigne amplexantes, considerantes quod modicum vtilitatis importet* [31]), *quod leges condantur, nisi sint, qui exequantur* [32]): *et ne fraudulenter ipsi haeretici, fautores, receptatores, seu defensores ipsorum, seu quicunque alius, seu alii, in fauorem ipsorum quouis modo* [33]) *huiusmodi priuilegiis et gratiis nostris possint contraire: ideo imperiali maiestate committimus et imponimus illustribus et magnificis Ducibus, Saxoniae, Domino in Wittenberch, Brunsuicensi* [34]), *Domino in Eymbeke* [35]), *Comitibus, de Swarzenborch* [36]), *Domino in Arnstede, de Nassow Seniori, ac nobilibus viris de Han-*

25) verba: *Insuper praedicta priuileg.* bis adsunt, errore non notato.

26) *incertis*; manifestus librarii error.

27) *habere.*

28) *ac.*

29) *ipsos*, quod magis placet, quam omnes.

30) *Cesarea.*

31) *importet.*

32) *exsequantur.*

33) *quouismodo.*

34) *Brunswicensi.*

35) *Eynbeke.*

36) *Swarzeborch.*

Hausteyn, Seniori, de Witzilegiin, Seniori, in solidum ac ipsis omnibus et singulis, sub obtentu gratiae Imperialis Maiestatis mandamus, quod ipsi sint ipsorum Inquisitorum ac iurium, priuilegiorum ac [37] *libertatum ipsorum tutores ac efficaces conseruatores ac defensores, dum et quotiens, et vbi per praedictos Inquisitores, vel aliquem ipsorum vicariorum et Officialium, vel nomine eorundem coniunctim, vel diuisim, fuerint requisiti, Quod contra omnes et singulos infringentes vel impedientes gratias, seu priuilegia ipsis Inquisitoribus, vt praefertur, innouata, approbata, confirmata; applicata; seu etiam priuilegia et gratias per quoscunque Romanos Pontifices, legatos, Archiepiscopos, episcopos, seu quoscunque alios Praelatos Ecclesiasticos, aut per quamcumque potestatem regularem aut secularem ipsis concessa impedierint, vel executioni* [38]*, in quantum in ipsis est, non mandauerint, immo* [39]*, qui ipsa priuilegia, in quantum in ipsis est, et per eos fieri dinoscitur, debite et exacte non prosequuntur* [40]*, seu ipsis Inquisitoribus, coniunctim vel diuisim, non praestiterint consilium, auxilium et fauorem, dum et quotiens et vbi fuerit opportunum, ac contra omnes et singulos molestatores Inquisitorum ac eorum officii, et eorum, quae ad officium Inquisitionis spectare dinoscuntur, seu quae ad ipsos Inquisitores spectant, vtpote tertia pars omnium bonorum mobilium et immobilium omnium haereticorum Beghardorum et Beghinarum* [41]*, seu quocunque nomine censeantur, occupantes, detinentes, vel non soluentes ipsis Inquisitoribus, vel nuntiis ipsorum, ac eos iudices, ad quos spectat, vt huiusmodi detinentes talia bona et similia, ad solutionem et praesentationem huiusmodi rerum Inquisitoribus non compellunt cum effectu et quos-*

cun-

37) *et.*
38) *exsecutioni.*
39) *ymo.*
40) *prosecuntur.*
41) *Beginarum.*

cuiusque executionem [42]) huiusmodi officii Inquisitionis, e officium quomodocunque et qualitercunque impedientes molestantes, seu perturbantes directe vel indirecte, vi per se vel per alium, seu alios, occulte vel manifest coniunctim vel diuisim, praeter poenas [43]) inferius pos tas per se vel per alios, vel per alium intrepide per iu dicium temporale tam in rebus, quam ipsorum corpori bus, auctoritate imperialis maiestatis, omni appellation et prouocatione postposita, rigide procedant, vt huius modi delinquentes ceteris ponant [44]) in exemplum et terrorem, praemissa [45]) et eorum singula omnes et sin guli adeo constanter et fideliter impleturi, quod per ho illum, cuius res agitur, sibi propitium, eiusque pr neglectu districtum iudicium ac nostrae correptioni temporalem in personis et rebus non vereantur acrimo niam sustinere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae con stitutionis, priuilegiorum innouationis, approbationis, confirmationis, applicationis paginam infringere, seu ei quouis ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem horum priuilegiorum, gratiarum et confir mationum ac applicationum ipsorum quouis modo con trarium attemptare praesumpserit, indignationem no strum grauissimam et poenam [46]) centum marcarum au ri purissimi totiens quotiens contrafactum fuerit, se no uerit irremissibiliter [47]) incursurum: quarum medieta tem imperiali nostro fisco seu aerario [48]), reliquam vero partem iniuriam passorum vsibus decernimus applicari. Si vero, quod absit, aliquis vel aliqui, coniunctim vel diuisim, cuiuscunque conditionis, status, vel praeeminen tiae existant [49]), ausu temerario praedictis nostris pri-uile-

42) exsecutionem.
43) preter penas.
44) ponantur.
45) premissa.
46) penam.
47) irremiscibiliter.
48) erario.
49) existens.

uilegiis et statutis contrauenirent, vel quouis modo [48]) *ipsos Inquisitores molestarent vel impedirent, seu turbarent, seu eorum officiatos aut dicti officii executionem* [49]) *directe vel indirecte, occulte vel manifeste, per se vel per alium, seu per alios, talem vel* [50]) *tales, elapso trium mensium termino exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, praeter poenam praedictam* [51]) *omnia bona ipsius vel ipsorum imperiali fisco applicamus, ac ipsum et ipsos omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, dignitatibus et honoribus Caesarea* [30], *Maiestate priuamus et spoliamus, ac priuatos denuntiamus ipso facto.*

Signum Serenissimi Principis et Domini, Domini Karoli quarti, Romanorum Imperatoris inuictissimi et gloriosissimi Boemiae [16]) *Regis.*

Testes huius rei sunt Reuerendissimus in Christo pater, Dominus Guido [52]), *Portuensis episcopus, S. Romanae ecclesiae Cardinalis, pro maiestate Caesarea* [30]) *in partibus Italiae* [53]) *locum tenens et generalis Vicarius. Venerabilis* [54]) *Iohannes, Olmucensis, Imperialis nostrae aulae* [55]) *Cancellarius, Lampertus Spirensis, Wilhelmus Lucanus et Iohannes Spoletanus ecclesiarum episcopi. Illustres Rupertus Lignicensis, et Henricus Lituaniae* [56]) *Duces, Iohannes Boleslaus Morauiae* [57]) *Marchio, Spectabilis Matthaeus de Brilerio* [58]) *Comes, Nobiles, Petrus de Wartenberck* [59]) *Imperialis nostrae curiae magister, Bohuslaus de Wilhartiz, Imperialis nostrae curiae Mareschallus* [60]), *Andreas de Duba, Imperialis camerae nostrae Magister, Benessius de Warten-*

50) *et.*
51) *penam predict.*
52) *Gwido.*
53) *Ytalie.*
54) *venerabiles*, numero pluratiuo, vt ad consequentes etiam pertineat.
55) *nostre aule.*
56) *Hinricus Lituanie.*
57) *Bolesslaus Morauie.*
58) *Mathaeus de Briberio.*
59) *Wartenberch.*
60) *Mareschallus.*

tenberck [59]), *Bernhardus et Iaroslaus, fratres Burggrauii de Donyn, nec non quam plures alii nostri et Imperii sacri nobiles et fideles praesentium sub imperialis nostrae maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Lucae* [61]) *Anno Dom. MCCCLXIX. Indict. VII. quarto Idus Iunii, regnorum nostrorum anno XXIII. imperii vero XV.* [62]).

Magnus Inquisitorum et *sacri*, quod nominant, *officii* amicus fuerit necesse est, qui has litteras Imperatoris composuit, idemque formularum, quibus Iureconsulti calliditati hominum, leges fallere cupientium, occurrunt, peritissimus. Nam et Inquisitorum commodis mirifica solertia prouidet, et tot cautionibus singulas partes edicti munit, vt vix legem accuratius et cautius scriptam me legere meminerim. Totum diploma eloquentiam magis aulae Romanae, seu Pontificiae, quam Caesareae sapit, et sacri ordinis viri lucubratio esse videtur. Epistolae huic aliam, iungebat Imperator, die proxime consequenti datam et grauissime scriptam ad vtriusque rei publicae Germanicae proceres, magistratus et ciues, qua singulos et omnes, selectis verbis, certissimisque poenis propositis, exhortabatur, vt *Beghardos* et *Beguinas* peste et veneno cautius fugerent, et tamquam imperii Romani et ecclesiae hostes fortiter oppugnarent, Kerlingioque suo, eiusque adiutoribus et sociis, quibus possent modis, auxilium ferrent, vt pugna in perniciosum et improbum hoc genus suscepta feliciter defungi possent. Audiamus ipsum Caesarem animi sui sensus, odiumque *Beghardorum* intimis medullis conceptum declarantem et exprimentem. Damus diploma hoc ex eodem codice perantiquo, et eleganti manu exarato, ex quo praecedens promsimus.

KAROLVS QVARTVS, *diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus et Boemiae*

61) *Lucae.* 62) *quinto decimo.*

miae [1]) *Rex*, *venerabilibus Archiepiscopis*, *Episcopis*, *Electis*, *Abbatibus*, *Prioribus*, *Decanis*, *Praepositis*, *Archidiaconis* [2]), *Archipresbyteris*, *Plebanis*, *Rectoribus et aliis ecclesiarum et monasteriorum Praelatis*, *ipsorum vices gerentibus*, *Capitulis quoque et conuentibus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum*, *ceterisque personis ecclesiasticis et secularibus ac regularibus*, *exemptis et non exemptis*, *nec non nobilibus viris*, *Ducibus*, *Principibus*, *Marchionibus*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Senescallis*, *Iustitiariis*, *Potestatibus*, *Capitaneis*, *Rectoribus*, *Baliuis*, *Officialibus*, *militibus*, *clientibus* [3]), *ceterisque Dominis temporalibus*, *Vniuersitatibus quoque ciuitatum*, *castrorum*, *terrarum*, *villarum et aliorum quorumcumque locorum*, *magistris consulum*, *consulibus et Scabinis*, *ac aliis vniuersis et singulis*, *ad quos praesentes peruenerint*, *vel qui cum eis fuerint requisiti*, *nostris ac sacri Romani Imperii subiectis tam immediate*, *quam mediate*, *deuotis*, *dilectis*, *gratiam suam et omne bonum!*

Salutaribus in Christo patris nostri et [4]) *Domini*, *Domini* VRBANI, *diuina prouidentia Papae quinti*, *ac suorum praedecessorum*, *Romanorum Pontificum*, *nec non diuorum Praedecessorum nostrorum Imperatorum et Regum Romanorum vestigiis inhaerentes*, *sanctum Inquisitionis negotium haereticae prauitatis tanto ardentius cupimus promoueri*, *quanto per aemulos* [5]) *fidei ipsa fides catholica et statuta ecclesiastica et patrum sanctiones* [6]) *fraudulentius*, *secretius*, *et perniciosius impugnantur*. *Quare vobis vniuersis et singulis districte praecipiendo mandamus gratiae nostrae* [7]) *et sacri Romani*

Lect. varietas ex Cod. MS. Helmstad. deprompta.

1) *Boemie.*
2) *Archidyaconis.*
3) *Clientul*, sic scriptum non suppeditat lectionem Moshemianam.
4) *ac.*
5) *emulos.*
6) *ac patr. sanxiones.*
7) *gratie nostre.*

mani imperii sub obtentu ac sub poena confiscationi omnium bonorum vestrorum temporalium et priuationi priuilegiorum, gratiarum, libertatum et iurium quarumcunque, si mandata nostra, vel aliquot ipsorum quovis modo[8]) *fuerint transgressa*[9]), *ipso facto, vt sectam* BEGHARDORVM *et* BEGHINARVM[10]), *seu* SWESTRONVM CONVENTVALIVM, *quas vulgo*[11]) WILGE ARMEN *vel* CONVENTSCHWESTERN[12]) *dicuntur, vel quae simul mendicando dicunt* BROT DVRCH GOTT[13]), *et omnes Beghardos et Beghinas*[14]) *generaliter, et quemlibet ac quamlibet ipsorum et ipsarum singulariter, tamquam excommunicatos et excommunicatas a iure et proscriptos ac proscriptas, et inbannitos et*[15]) *inbannitas per nos ac*[16]) *sacrum Romanum imperium ex animo deliberato, immo*[17]) *rei publicae perniciosos inimicos seu inimicas, qui et quae veniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, et frequenter pestiferum virus sub mellis dulcedine in animas simplicium conantur euomere, vt, cum cibum vitae*[18]) *ministrare se simulant, mortis poculum immisceant*[19]) *venenosum, summopere vitetis, et a vestris locis, terris, ciuitatibus, vniuersitatibus, congregationibus, perpetuis temporibus excludatis, proscribatis et exuletis, et contra ipsos et ipsas tamquam reprobatos et reprobatas ab ecclesia, et Romani imperii inimicos et inimicas efficaciter procedatis.*

Si vero, quod absit, aliquis vel aliqui suae[20]) *salutis immemores, dictos Beghardos et Beghinas*[14]) *occulte vel manifeste receperint, hospitauerint, cibauerint, vel que-*

8) *quouismodo.*
9) *transgressores*, sine dubio per librarii errorem.
10) *Beginarum.*
11) *vulgariter.*
12) *Swestern.*
13) *Brot durch God.*
14) *Beginas.*
15) *ac.*
16) *et.*
17) *ymmo.*
18) *vitae.*
19) *immiscent.*
20) *sue.*

quouis modo [8]) *ipsis praestiterint consilium, auxilium vel fauorem, vobis omnibus et singulis sub poenis praemissis districte praecipimus et mandamus, vt dicti fautores ipsorum, seu defensatores, aut receptatores ad requisitionem venerabilis et religiosi viri, fratris* WALTHERI KERLING [21]) *Ordinis Praedicatorum, Magistri in Theologia, Inquisitoris haereticae* [22]) *prauitatis auctoritate Apostolica in certis prouinciis et partibus Alemanniae* [23]) *constituti, Capellani nostri, Commensalis, domestici, deuoti, dilecti, seu suorum Vicariorum et* [24]) *aliorum Inquisitorum eiusdem labis haereticae* [22]) *prauitatis, auctoritate eiusdem sedis Apostolicae in Alemannia* [25]) *institutorum ac instituendorum, ac eorum vicariorum indilate per vos capiantur, incarcerentur, et certis ac firmis custodiis mancipentur, vt correptionis nostrae temporalem in rebus et personis* [26]) *acrimoniam sustineant, ipsis in poenam* [27]), *et omnibus aliis similibus in exemplum et terrorem.*

Vos quoque, Archiepiscopi, Episcopi et alii Praelati iurisdictionem ecclesiasticam obtinentes, contra praedictas sectas BEGHARDORVM *et* BEGHINARVM [10]) *et contra omnes ac* [28]) *singulos Beghardos et Beguinas* [14]) *intrepide et vbilibet sub poenis supradictis per censuram ecclesiasticam procedatis indefesse, donec omnes huiusmodi Beghardi et Beghinae* [29]) *et singuli eorum radicitus sint extirpati et extirpatae* [30]), *et totaliter a saeculis fidelium deleti sint et deletae* [30]). *Praecipimus* [31]) *etiam et mandamus sub poenis supradictis vniuersis et singulis, quatenus praedicto* WALTHERO *Inquisitori et* [32]) *aliis Inquisitoribus haereticae* [22]) *prauitatis auctoritate*

21) *Kerlinger.*
22) *heretice.*
23) *Alemanie.*
24) *ac.*
25) *Alemania.*
26) *in personis et reb.*
27) *penam.*
28) *et.*
29) *Begine.*
30) *extirpate — — delete.*
31) *Precipimus.*
32) *ac.*

ritate Apostolica in partibus Alemanniae [33]) institutis vel instituendis de Ordine Fratrum Praedicatorum, nostris Capellanis, deuotis, dilectis, in vestris locis specialiter deputatis vel deputandis, ac eorum vicariis, dum et quotiens ipsi, vel aliquis ipsorum, vos aut aliquos, vel [34]) aliquem vestrum, requisitos habuerit vel habuerint [35]), in sancto officio Inquisitionis et executione constanter assistere, prompte parere, ac intendere studeatis, in capiendo et custodiendo huiusmodi Beghardos et Beghinas [14]) et alios quoslibet haereticos, seu de haeresi suspectos, fautores quoque et defensatores eorum quoslibet, contra quos ipsi, Inquisitor et Inquisitores, vel eorum vicarii, procedent pro tempore et alias, sicut expedierit, consilium, auxilium et fauorem totis viribus, deuotisque mentibus efficaciter impendatis, praestantes eisdem vestros carceres, quibus in eisdem partibus carere dicitur officium Inquisitionis huiusmodi, donec officio praedicto de certis domibus et carceribus sit prouisum, Et dum et quotiens super arestandis aliquibus per ipsos, seu nomine ipsorum, fueritis requisiti, vos ipsi tales arestare, et capere et ad locum congruum et securum eisdem Inquisitori et [36]) Inquisitoribus, seu ipsorum vicariis, omni semota excusatione, repraesentare curetis. Ipsos etiam Inquisitores et eorum vicarios sub poenis, quibus supra, praecipimus, quod benigne cum eorum familia recipiatis et honeste pertractetis, dum et quotiens ipsum vel ipsos apud vos in caussa Inquisitionis morari contigerit, et cetera impendatis beneuole suffragia oportuna, ipsisque in eundo, stando ac redeundo securum conductum liberaliter tribuatis, quotiens ipsis fuerit oportunum, si a vobis illum petierint per se, vel nomine ipsorum, praemissa et eorum singula praeter poenas [37]) praedictas vos omnes et singuli

33) Alemanie.
34) seu.
35) habuerint vel habuerit.
36) ac.
37) penas.

guli adeo constanter et fideliter impleturi, quod per hoc illum, cuius in hac parte res agitur, faciatis propitium, eiusque pro neglectu districtum iudicium, ac nostrae correptionis temporalem in personis et rebus non vereamini acrimoniam sustinere. Praesentium sub nostro Imperialis maiestatis sigillo testimonio litterarum, datum Lucae [38]) *Anno Dom. MCCCLXIX. Indict. VII. quinto Idus Iunii, regnorum nostrorum anno XXIII, imperii vero XV.* [39]).

§. XXVIIII.

Haec edicta Inquisitoribus metum periculorum et difficultatum, *Beghardis* et *Beguinabus* spem omnem salutis et incolumitatis adimebant: restabat, vt Imperator de domiciliis quid fieri vellet, decerneret, in quibus Beghardi, sororesque eorum adhuc multis in locis habitauerant, et conuentus cum amicis suis egerant. Vt enim multi huius generis perpetuo per varias prouincias errarent, quo patronos et discipulos sibi compararent: haud pauci tamen, LVDOVICO BAVARO regnante, sodalitates multis in locis condiderant, certasque domos a piorum hominum liberalitate obtinuerant, ex quibus, statis horis, gregatim ad mendicandum in publicum prodibant. Igitur Imperator paullo post, eodem anno, noua lege domos *Beghardorum Inquisitionis officio* donabat, easque in carceres conuerti iubebat, in quibus in posterum in suspicionem errorum vocati detinerentur, et qui *Inquisitorum* sententiis libertate priuati erant, miseram vitam consumerent. Admiserat nempe Germania quidem *Inquisitores*, verum inuita et repugnans, nec idcirco ad id tempus facultatem ipsis dederat, domos sibi et carceres vllo loco construendi. *Beguinarum* autem domus vendi volebat CAROLVS, pretiumque earum in tres partes diuidi; quarum vnam pauperibus, piisque vsibus,

 alte-

38) *Luca.* 39) *quinto decimo.*

alteram *Inquisitionis officio* ad sumtus necessarios ferendos, vltimam rei publicae et vrbium commodis dicabat. Quaerenti rationem, quare secus de *Beghardorum*, atque de *Beguinarum* domiciliis Imperator statuerit, vix alia reddi potest, quam haec: *Beghardorum* domus paucas, in maioribus tantum vrbibus sitas, praeterea spatiosas, eaque re *Inquisitorum* necessitatibus aptas in primis fuisse: *Beguinarum* vero domicilia multo plura erant, angustiora et in vicis etiam et oppidulis, quae Inquisitorum non conueniebant rebus et negotiis, constructa. Ipse Imperator ideo tertiam partem pecuniae, ex *Beguinarum* aedibus exactae, sanctioribus rebus et egenis addicit, quoniam domus illae munera essent piorum et simplicium hominum pauperibus data. Haec vero, vt puto, caussa in *Beghardorum* quoque aedificia cadebat: bonis enim quum hi homines prorsus carerent, supremumque virtutis et sanctitatis gradum in rerum omnium penuria ponerent, non video, quomodo aedes sibi vel aedificare, vel coemere potuerint. Sed iudicent de mente et consilio CAROLI lectores ex ipso eius edicto, quod totum appono, dignissimumque duco, quod tenebris eripiatur, quum multa et ad statum *Beghardorum* cognoscendum, et ad res Germaniae eius aetatis illustrandas continent:

In nomine sanctae et indiuiduae[1]) *Trinitatis feliciter! Amen.*

CAROLVS QVARTVS, *diuina fauente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus et Boemiae Rex, ad perpetuam rei memoriam!*

Prae cunctis mentis nostrae desiderabilibus tota mente optantes fidei incrementa, et eam a malignorum et prauorum haereticorum, nec non fautorum, defensatorum

Lectionis varietas e Cod. MS. Helmstad. desumta.

1) *sancte et indiuidue:* quin simplex e vbique locum diphthongi *ae* vel *oe* occupat, quod semel monere placet.

rum et receptatorum ipsorum dolosis insidiis et fraudulentis fallaciis, quibus vineam Domini Sabaoth nequiter satagunt demoliri, pro viribus conseruare, eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem huiusmodi pestilentiae [2]) *perniciosius agere dinoscuntur.*

Quocirca Dominus noster, summus Pontifex, Dominus Vrbanus Papa quintus, honorabilibus et religiosis fratribus, WALTHERO KERLINO [3]), *Ordinis F. F. Praedicatorum, Magistro in Theologia, Capellano nostro, commensali, familiari, deuoto, dilecto, nec non* LVDOVICO [4]) *de* CALIGA, *et aliis duobus fratribus per dictum Waltherum* [5]) *nominandis eiusdem ordinis, officium Inquisitionis haereticae prauitatis in partibus Alemanniae* [6]), *auctoritate sedis Apostolicae; ad destruenda quorundam haereticorum iniqua molimina dudum recommisit: Et specialiter ad destruendas et eliminandas sectas illorum haereticorum, qui* BEGHARDI *et* BEGVINAE [7]) *vocantur. Quae sectae nimis dispendiosae et periculosae* [8]) *in caulis fidelium dinoscuntur, eo quod exterius maiorem paupertatem simulant, votis vouent seu profitentur, quod nihil* [9]) *habere velint, nec debeant in proprio nec in communi. Quam etiam vestibus vilibus mentita sibi iniquitate exterius praetendunt, interius autem vt vulpeculae vineam Domini Sabaoth satagunt demoliri, cum tamen eaedem sectae* [10]) *dudum per ecclesiam damnatae* [11]) *dinoscantur, et talis paupertas haereticalis sit iudicata. Quocirca dudum litteras Caesareae* [12]) *Maiestatis praedictis Magistro Walthero et Ludouico* [13]) *ac aliis Inquisitoribus cum certis poe-*

nis

2) *pestilenter.*
3) *Waltero Kerlinger.*
4) *Ludowico.*
5) *Walterum.*
6) *Alamannie.*
7) *Begwine.*
8) *Que secte n. dispendiose et periculose.*
9) *nichil.*
10) *eedem secte.*
11) *dampnate.*
12) *Cesaree,* et paullo post *Cesaream.*
13) *Waltero et Ludowico.*

nis [14]) *super exterminatione earundem sectarum ad vniversos nobis et sacro Romano Imperio* [15]) *subditos directas, Maiestatem Caesaream* [12]) *dedisse recolimus et efficacius emisisse, sic quod opitulante Domino Deo ac Domino nostro summo Pontifice mandante, nosque poenis temporalibus exterminationem dictarum sectarum mandantes, et seriosius praecipientes, dictique Inquisitores, magistri Waltheri* [16]) *ministerio mediante, de certis partibus, vt laete* [17]) *audiuimus, videlicet de prouinciis Magdeburgensi et Bremensi, terris Thuringiae, Saxoniae et Hassoniae* [18]), *et aliis certis partibus Alemanniae* [6]) *praedictae, sectae maledictae Beguardorum et Beguinarum* [19]) *penitus sunt destructae* [20]): *quod vbique terrarum fieri affectamus: super quo mandata Imperialis nostrae maiestatis dirigimus poenis* [14]) *plena.*

Et ne domus et conuenticula, quas et quae dicti Beghardi et Beguinae [21]) *tam sacrilegam paupertatem, videlicet nihil* [22]) *habere in proprio vel communi, et hunc esse statum in mundo perfectissimum asserentes, tradentes, et per plures annos et tempora tenentes, vouere dinoscuntur, et vouent continue, prout ad nostrae Serenitatis notitiam veridice est deductum, inhabitauerunt simul, diutius in periculum animarum suarum commorantes: Et ne in futurum per quemlibet, quamlibet vel quoslibet, qui vel quae* [23]) *Beghardi vel Beguinae* [7]) *huiusmodi fuerint, in processu temporis, minimis neglectis, prolabantur in maiora, vt si duabus personis vel tribus huiusmodi simul commorantibus conuenticula redirent,*

14) *penis.*
15) *sac. Imperio Rom.*
16) *Walteri.*
17) *lete.*
18) *Thuringie, Saxonie et Hassonie.*
19) *Begwinarum.*
20) *sint destructe.*
21) *que d. B. et Begwine que:* haud dubie per errorem; nisi posterius *que* non tam copulam, quam pronomen esse statuas.
22) *nichil.*
23) *qui vel que.*

rent, et fieret error poſterior peior priore: Hoc praeſenti ſtatuto et edicto ex noſtra certa ſcientia, non ex errore, ſed de principum noſtrorum conſilio deliberato ſtatuimus, ordinamus, et ſancimus, cum officium Inquiſitionis in partibus Alemanniae [6]) nullam domum, domicilium, turrim fortem pro cuſtodia et captiuitate ſuſpectorum de haereſi et examinandorum in fide, nec non pro immurandis perpetuis temporibus, vel ad tempus, vt iuris eſt, quibusdam haereticis, qui ad gremium eccleſiae abiurata haereſi [24]) redierint [25]), propter quod multi haeretici in animarum ſuarum et aliorum fidelium graue periculum permanent impuniti [26]) et ſemen in alios emittunt venenoſum. Quare omnes domus et conventicula, in quibus huiusmodi Beghardi habitauerunt, ſeu adhuc habitare dinoſcuntur in aliquibus locis, Officio Inquiſitionis pro vſu praedicto ibidem carceribus firmis faciendis, Imperiali maieſtate damus, applicamus libere et aſſignamus. Domus autem, ſeu conuenticula Beghinarum [19]), ſeu in quibus huiusmodi Beguinae [7]) prohibitae commorabantur, vel adhuc commorantur, vendi praecipimus, et pretium taliter decernimus inſtar Romanorum Pontificum, et diuorum Imperatorum praedeceſſorum noſtrorum diuidendum, quod vna tertia pars huiusmodi pretii, cum vt in pluribus tales domus et bona per quosdam bonos homines ſimplices pia intentione comparatae [27]) ſint, per modum eleemoſynarum [28]), volumus, vt huiusmodi tertia pars pretii per Inquiſitorem adiunctis ſibi duobus diſcretis viris, clarae famae [29]), zelatoribus fidei, vno Clerico, altero [30]) Layco, qui Deum habentes prae oculis, in pios vſus, videlicet in eleemoſynas [28]) pauperum, reformationes xenodochiorum [31]), ſeu ad cultum diuinum, vel eisdem perſo-

 nis,

24) hereſi.
25) redierint vel redierunt.
26) inpuniti.
27) conparatis.
28) elemoſin.
29) clare fame.
30) alio.
31) xenodoxiorum.

nis, si quae [32]) *sunt miserabiles, et ab errore suo sint conuersae* [33]), *aut sustentationem aliorum, qui haeresin abiurauerunt, et immuratorum* [34]), *si aliunde non habent, vnde sustententur, conuertatur* [35]): *super quo Inquisitorum et aliorum conscientias oneramus. Altera vero tertia pars Inquisitori illius loci, auctoritate Apostolica instituto, seu suo vicario, vel instituendo auctoritate praedicta, aut certo nuncio debet integraliter sine omni excusatione vel contradictione praesentari, in vsus, vtilitates et necessitates eius pro suo lubitu* [36]) *conuertenda, attendentes, quod sanctum officium Inquisitionis absque laboribus ac expensis et sumtibus* [37]) *nequit exerceri, et ob hoc Inquisitoribus in praemissis volentes temporali subsidio subuenire, ne tam pium laborem propter necessariorum defectum oporteat intermitti. Residuam vero tertiam partem praedicti pretii et valoris pro refectionibus murorum ciuitatis vel oppidi, castri seu villae* [38]), *ac reparationibus viarum publicarum, vbi praedictae domus existunt, applicamus; vtpote quae rei publicae occulte et fraudulenter nocebant. Per tertiam partem domorum pretii et rerum, quas suis vsibus applicabant, imo* [39]) *mendaciter sibi vendicabant, nunc procedentibus temporibus deinceps res publica augeatur.*

Ne autem circa bona, possessiones, domos seu conventicula et res, quas in vsu habebant et habent huiusmodi Beguardi et Beguinae [7]), *fraus fieri possit, tale prouisionis in hoc duximus remedium ordinandum: quod duo antiquiores magistri Consulum, qui actu erunt vel sunt pro tempore, vna cum Schulteto vel iudice ciuitatis, oppidi* [40]), *castri, seu villae* [38]) *si sint, vel duo alii viri*

32) *siquae.*

33) *conuersi.*

34) *inmurat.*

35) *conuertantur.* minus recte.

36) *libitu*, a prima manu: altera *io*, super *tu* adscripsit.

37) *et exp. ac sumt.*

38) *ville.*

39) *ymmo.*

40) *opidi.*

viri approbati, claras famae [29]), *habentes Deum prae oculis, in locis, vbi Magistri Consulum non sunt, vel alter eorum, quos Inquisitor de consilio discretorum et fidei zelatorum nominabit, illius loci, in quo huiusmodi domus, conuenticula vel res vna cum certo nuntio Inquisitoris sub testimonio trium aliorum virorum fide dignorum de praemissis domibus se intromittant (auctoritate nostra Imperiali hoc ipsis imponimus* [41]) *et mandamus gratiae nostrae et Romani imperii sub obtentu) et, quantocius commode poterunt, vendant huiusmodi bona, et tradant, distribuant, assignent, modo, quo superius per nos est ordinatum, et continue infra vnum mensem, postquam nostri edicti et statuti praesentis tenor ibidem fuerit intimatus.*

De domibus autem seu conuenticulis locorum, in quibus adhuc Beguardi vel Beguinae [7]) *huiusmodi commorantur, post expulsionem vel amotionem ipsorum ac ipsarum, infra tres dies immediate* [42]) *sequentes, eodem modo decernimus agendum et procedendum, prout superius de aliis domibus, conuenticulis et rebus Beghardorum et Beguinarum* [19]) *per nostram Caesaream* [12]) *Maiestatem est sancitum, diffinitum et praeordinatum. Nulli ergo omnino liceat hominum hanc nostrae constitutionis, edicti, diffinitionis et applicationis paginam infringere, seu ei quouis ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem harum constitutionis et edicti diffinitionibus quouis modo contrarium attemptare praesumpserit, indignationem nostram grauissimam et poenam* [43]) *centum marcarum auri purissimi totiens, quotiens contra factum fuerit, se nouerit irremissibiliter* [44]) *incursurum, quarum medietatem imperiali nostro fisco seu aerario* [45]), *reliquam vero partem ipsius Inquisitoris pro loco vsibus decreuimus applicari.*

Z 5 *Si*

41) *inponimus.*
42) *inmediate.*
43) *pen.*
44) *irremisscibiliter.*
45) *erario.*

Si vero, quod absit, aliquis vel aliqui, coniunctim vel diuisim, cuiuscunque conditionis, status vel praeeminentiae 46) *extiterint, ausu temerario praedictis nostris statutis, diffinitionibus, applicationibus ac edicto contrauenirent, seu quouis modo* 47) *ipsos Inquisitores vel Inquisitorem molestarent, impedirent* 48) *seu turbarent, seu eorum Officiales, aut dictae nostrae constitutionis executionem directe vel indirecte, occulte vel manifeste, per se vel per alium seu alios, impedirent quouis modo* 47), *talem seu tales, elapso trium mensium termino, exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, praeter praedictam poenam* 43) *omnia bona ipsius vel ipsorum Imperiali fisco applicamus, ac ipsum ac ipsos omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, dignitatibus, honoribus, Caesarea* 49) *maiestate priuamus et molestamus, ac priuatos denuntiamus ipso facto.*

Signum Serenissimi Principis ac Domini, Domini Caroli IIII. Romanorum Imperatoris inuictissimi et gloriosissimi Boemiae 50) *Regis. Testes huius rei sunt etc.* Iidem hic testes nominantur, qui in fine Diplomatis Carolini, quod paullo ante exhibuimus, comparent: et eodem etiam ordine nomina illorum collocantur 51). Eos igitur vt hic repetamus, necesse non erit. *Datum in ciuitate nostra Luccana* 52) *Anno Domini MCCCLXIX. Indictione VII. XV. Kalend. Iulii, regnorum nostrorum anno XXIII. imperii vero XV.* 53).

Nihil

46) *preeminencie.*
47) *quouismodo.*
48) *impedirent.*
49) *Cesarea.*
50) *Bohemie.*
51) praeterquam quod scriptum hoc loco sit: *Gwydo — — — pro mai. nostra Cesarea — Venerabiles — Ioh. Olimicensis imp. aule nostre — — Rup. Ligniczensis et Henricus Lirwonie — — Iohannes Decimus Boleslaus moravie — Matheus de Briberio — — Petr. de Wartenberg — Bohuslaus de Wilbartsicz imper. curie marescallus.* — (verba: *Benessius de Wartemberck* desiderantur) *nec non alii quam plures.*
52) *Lucana.*
53) *quintodecimo.*

Nihil huic edicto Imperatorio ad firmitatem deesse videbatur: at KERLINGIVS tamen, homo, quod acta eius docent, aeque cautus et prouidus, ac durus, indefessus et strenuus, metuebat tamen, ne forte rerum sacrarum antistites vim eius impedire conarentur. Inter Inquisitores enim, quod multis rebus constat, et episcopos semper fere simultatis aliquid erat: et Germanorum maxime praesules illos Pontificis ministros et satellites imperium ipsis quoddam in prouinciis suis arrogare, et quos vellent, in ius vocare, poenisque afficere, permoleste ferebant. Quare verendum erat, ne fortassis episcopi, quae de domibus Beghardorum et Beguinarum ab Imperatore sancita erant, interuertere studerent, easque domus tamquam sacras, et a piis hominibus Deo et pauperibus donatas et dicatas, sui iuris esse, neque potestati magistratuum ciuilium subiectas contenderent. Cui consilio tanto probabilius erat, Principes et potentiores haud repugnaturos esse, quanto luculentius constabat, optare omnes, ne terribile illud Inquisitionis tribunal certam et stabilem in Germania sedem, domos et carceres acquireret. Haec, vt arbitror, formido impellebat KERLINGIVM, vt Pontificem, supremum nempe rerum sacrarum et bonorum ecclesiae Dominum, cuius iussis obsistere non poterant episcopi, conueniret, atque eius auctoritate mandatum Imperatorium contra omnes exceptiones roborandum et muniendum curaret. VRBANVM V. num eius rei caussa iam adierit, non liquet: GREGORIVM vero *vndecimum*, qui VRBANO, A. 1370. exeunte, defuncto, in eius locum successerat, voluntati eius primum A. 1371. satis fecisse, certum est. Ex quo non sine veri specie colligi potest, existimasse primum Inquisitorem, sufficere edictum Imperatorium; experiundo vero intellexisse, Pontificis patrocinium aeque necessarium sibi fore. Qui CAROLVM audiuerunt copiose edicentem, libenter, vt opinor, etiam GREGORIVM audient, breuius edictum

edictum eius approbantem, et ratum habentem. Sic ergo loquitur:

Gregorius *episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam!*

Sedes Apostolica catholicae [1]) *fidei defensatrix praecipua illa, quae* [2]) *pro ipsius fidei conseruatione et hostium exterminatione* [3]) *prouide sunt a catholicis* [1]) *ordinata Principibus, libenter amplectens, ea consueuit suae* [4]) *approbationis et confirmationis patrocinio communire* [5]). *Sane exhibita nobis pro parte dilecti filii,* WolTheri Kerling [6]), *Ordinis F. F. Praedicatorum in nonnullis Allemanniae* [7]) *partibus Inquisitoris haereticae prauitatis petitio continebat: quod cum in dictis partibus nonnullos haereticos vtriusque sexus, qui Beguardi et Beguinae* [8]) *nuncupantur, Inquisitores dictae prauitatis saepius reperire, iusto* [9]) *iudicio condemnari* [10]) *ac puniri contingat, carissimus in Christo filius noster, Carolus, Imperator Romanorum semper Augustus, pugil fidei praefatae magnificus ac promtus haereticorum persequutor, ne hiidem* [11]) *Beguardi et Beguinae* [8]), *qui solebant conuenticula* [12]) *facere, possent ad inuicem de facili conuenire, domos, quas pro con-*

Lectionis varietas tam a Cod. MS. Helmstad. quam ab exemplo Muhlhusano suppeditata.

1) *Katholic.* H.

2) *quc*, H. et M. loco pronominis, *quae*: librarius enim nullo non loco *e* simplex, pro diphthongis *ae*, vel *oe* posuit.

3) *exterminio*, M.

4) *sue*, H. et M.

5) *contraire*, in H. a manu prima: altera super eo inducto scripsit *communire*.

6) *Kerlinger*, H. et M.

7) *Alamannie*, H. *Alamanie*, M.

8) *Begbardi et Begwyne*, H. *Begardi et Begine*, M.

9) *inquisitores d. pr. s. reperiri et iusto*, H. *per inquisitores d. pr. s. reperiri et iusto*, M. quae lectio sine dubio verior est.

10) *condempnari*, H. et M.

11) *Idem*, H. *iidem*, M.

12) *conuenticulas*, M.

congregationibus earum consueuerant[13]) *habere communes, fisco adiudicauit et etiam applicauit, et voluit ac*[14]) *ordinauit*[15]): *quod de ipsis domibus congregationum eorundem Beghardorum*[16]) *fierent carceres officii Inquisitionis dictae haereticae*[17]) *prauitatis, domos*[18]) *autem congregationum Beguinarum*[19]) *praedictarum iussit per Inquisitores eosdem et magistros ciuium, seu alios laycos Rectores locorum, in quibus domus ipsae consistent*[20]) *venundari, et de ipsarum pretiis vnam partem*[21]) *ipsis Inquisitoribus, pro suis et suorum familiarium et seruientium sumptibus facilius supportandis, aliam vero pauperibus, et tertiam partem Vniuersitatibus ipsorum locorum*[22]) *voluit applicari, etiam assignari*[23]), *prout in ipsius*[24]) *Imperatoris literis inde confectis dicitur plenius contineri. Quare dictus Inquisitor nobis humiliter supplicauit, quatenus*[25]) *praedicta in fauorem dictae fidei sic gesta Apostolico mandato roborare et munire dignaremur*[26]). *Nos igitur indicationem*[27]), *applicationem, iussionem et voluntatem praedictas, tamquam prouide et catholice*[28]) *factas, ratas habentes et gratas, eas auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, ratificamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrae approbationis et ratificatio-*

13) *consueuerunt*, sic certe legere possis in H.

14) *ac voluit et*, H. et M.

15) *mandauit*, M.

16) *Begardorum*, M.

17) *dicte heretice*, H. et M.

18) *domus*, M.

19) *Beguinarum*, H.

20) *dom. ipse consisterent*, H. et M.

21) *vnam ipsis*, abest *partem* in H. et M.

22) *locorum ipsorum*, H. et M.

23) *applicari. Et etiam assi* M.

24) *ipsis*, M.

25) *quatinus*, M.

26) *Apost. mandato rob. et mun. dignar.* H. Sed *mandato*, omissum, ab altera manu est. *Apostolico roborare munimine dignar.* M.

27) *adiudicationem*, H. et M.

28) *prou. ac Kath.* H.

tionis infringere, et [29]) ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auenione V. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

KERLINGIVS, quod non obscure hoc in decreto Pontifex indicat, ipsas Imperatoris litteras non ad aulam Romanam miserat, sed argumentum tantum earum in libello suo retulerat: forte etiam ipsarum litterarum argumentum non satis bona fide exposuerat. Certe non consentiunt litterae Pontificis cum litteris Imperatoris. Pontifex scribit domos *Beghardorum*, de quibus agitur, conuentibus agendis vnice destinatas esse, et eas idcirco vel in carceres commutari, vel vendi debere iudicat, ne in posterum improbi ecclesiae hostes, docendae disciplinae suae caussa, coire possent. Igitur putat de templis et aedibus cultui diuino et religiosis conuenticulis dicatis agi. Secus Imperator, qui clarissime tradit, *Beghardos* et *Beguinas* domos, quas eripi volebat illis, incoluisse et incolere: huic igitur *monasteriorum* similes videbantur. Si quid fraudis in hac re admisit Inquisitor, crediderim, metum animo eius obuersatum fuisse, ne Pontifex forte, audiens, domos istas habitationes esse, statueret, Franciscanis aliquas saltim earum incolendas concedi posse. Haec enim secta cupidissime domicilia sua augere studebat: Dominicani vero, quibus Inquisitores adscripti erant, quibus poterant artibus et opibus, obnitebantur, ne vbique diffunderentur.

§. XXX.

Per haec tria CAROLI QVARTI edicta multa quidem remota erant, quae KERLINGII et sociorum eius labores et consilia interuertere poterant: nondum vero

29) *vel*, H. et M. in quo subscriptio: posteriori sequens vocabulum *de Curia* ei desideratur, legiturque haec *Reginaldus*.

vero vniuersa. Restabant duo non parui momenti: et quartum idcirco mandatum necessarium erat, per quod etiam haec tollerentur. Primum multi *Beghardorum* libri circumferebantur, populari sermone, et, vt captus saeculi ferebat, concinno et eleganti exarati, quibus opiniones suas explicabant, carmina item, hymni, orationes et alia, quae rudiorum mentes valide commouere, et ad sublimiorem illam pietatem, quam tradebant, inflammare poterant. Abundabat enim, quod iam alio loco animaduertimus, haec factio vtriusque sexus scriptoribus: quorum ex laboribus plus mali et incommodi redundabat in ecclesiam, religionemque publicam, quam ex conuentibus, quos instituebant, et ex sermonibus, quos in illis magistri *Beghardorum* recitabant. Deinde multis in Germaniae locis scribae publici, quos *tabelliones* et *Notarios* Iureconsulti vocant, desiderabantur, aut verius, qui huius instituti homines aderant, operam suam Inquisitoribus commodare siue nolebant, siue non audebant, ne in magistratuum, quibus odio Inquisitores erant, indignationem incurrerent. Atqui *Notariorum* ministerio ad plurimas muneris sui partes adeo indigebant, quibus procuratio belli, quod cum haereticis gerebat *ecclesia*, concredita erat, vt sine his nihil fere magni et solidi efficere possent. Itaque vt cumulate votis et desideriis KERLINGII, sociorumque eius, satisfaceret Imperator, aliud eodem anno et tempore ferri curabat edictum, quo primum libros omnes haereticorum exquiri accurate et flammis funditus deleri iubebat; deinde potestatem largiebatur Inquisitoribus, scribas publicos siue *Notarios* creandi, quibus in administrando munere suo vti possent: quod vnum beneficium luculentissime demonstrat, quantum in CAROLO IIII. *Beghardorum* et *Beguinarum* odium, quantum Inquisitorum illis oppositorum, in eodem studium fuerit. Meretur et haec, meo iudicio, lex, ab interitu vindicari, et tota reliquis in *Beghardos* rogatis adiici:

In

In nomine sanctae et indiuiduae [1] *Trinitatis feliciter! Amen.*

CAROLVS QVARTVS, *diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, et Boemiae* [2] *Rex, ad perpetuam rei memoriam!*

Honorabilibus et religiosis viris, WALTHERO KERLING [3], *Sacrae Theologiae* [4] *magistro, Capellano nostro, commensali, domestico, dilecto, deuoto* [5], *Inquisitori haereticae prauitatis Apostolica auctoritate instituto in certis partibus Allemanniae* [6], *Ordinis F. F. Praedicatorum,* LVDOWICO [7] *de* CALIGA, *et aliis duobus fratribus, per dictum* WALTHERVM *nominandis eiusdem ordinis Inquisitoribus praedictae haereticae prauitatis in partibus Allemanniae* [6] *auctoritate praedicta Apostolica institutis, ac suorum successoribus dicta auctoritate instituendis, fidelibus, deuotis, dilectis, gratiam suam et omne bonum!*

Prae cunctis mentis nostrae desiderabilibus tota mente optantes fidei catholicae [8] *incrementa, et eam a malignorum et prauorum haereticorum et fautorum, defensorum ac receptatorum ipsorum dolosis insidiis et fraudulentis fallaciis, quibus vineam Domini Sabaoth nequiter demoliri* [9] *satagunt, pro viribus conseruare, aduersus* [10] *eorum iniqua molimina animosius aspiramus, quo in animarum stragem huiusmodi pestilentes animosius* [11] *agnoscimus aspirare. Sane quia in agro Domini, vbi seminatum est triticum, inimicus homo superseminat saepe zizania, quod per fideles agricolas eradi-*

candum

Lectionis varietas ex Cod. MS. Helmstad. petita.

1) *sancte et indiuidue*: librarius simplex *e*, loco diphthongi *ae*, vel *oe*, hic et semper scripsit.
2) *Bohemie.*
3) *Kerlinger.*
4) *sacre theologie.*
5) *dom. deuoto, dilecto.*
6) *Alamannie.*
7) *Lodewico.*
8) *catholice.*
9) *demolire.*
10) *ad*, non *aduersus*.
11) *perniciosius.*

candum est penitus, dum est paruum, ne crescat in tritici detrimentum. Attendentes, sicut fide digna relatione percepimus, quod in partibus Alemanniae [6]) *propter sermones, tractatus et alios libros in vulgari scriptos, inter personas laycas vel pene laycas* [12]) *dispersos, quos libros vt plurimum vel viciosos, erroneos ac lepra haeresis infectos layci* [13]) *legentes, non sanum et bonum intellectum percipientes, per se plus quam oportet volentes sapere, et non ad sobrietatem, nec secundum mensuram fidei, sed a veritate auditum auertunt, conuertentes se ad errores per illum patrem mendacii, qui se frequenter in lucis angelum transfigurat, vt obscura et terra* [14]) *caligine sensuum pro luce veritatis recipiatur* [15]), *et in alios docendo, immo* [16]) *seducendo, transfundatur* [17]). *Quapropter districte praecipiendo mandamus vniuersis venerabilibus Archiepiscopis et Episcopis electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Praepositis, Archidiaconis* [18]) *et Diaconis* [19]), *Archipresbyteris, Plebanis, Rectoribus et aliis ecclesiarum et monasteriorum Praelatis, ipsorumque vices gerentibus, Capellanis* [20]) *quoque et conuentibus ecclesiarum et monasteriorum eorum, ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, nec non illustribus Viris, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Iustitiariis* [21]), *Potestatibus, Capi-*

12) *laicos vel pene laycos.*

13) *ac lep. heresi maculantes vel layci:* sic scriptum quidem, sed haud dubie falsum est.

14) *obscura) et terra)* in verbis sic scriptis non video lectionem Moshemianam: mihi quidem in iis, per compendium scriptis, latere videtur *obscurata et terrestria.* Sed iudicent me intelligentiores.

15) *recipiant.*

16) *ymmo.*

17) *transfundant:* sed inficiari non possum, legi etiam posse *recipiatur* et *transfundatur.*

18) *et Archid.*

19) *dyaconis.*

20) *Caplis*, quod *Capitulis* esse, et sensus postulare videtur.

21) *iustiariis*, per errorem,

Capitaneis 22), *Rectoribus*, *Baliuis*, *Officialibus*, *Militibus*, *Clientibus*, *ceterisque Dominis temporalibus*, *Vniversitatibus quoque ciuitatum*, *castrorum*, *terrarum*, *villarum et aliorum quorumcumque locorum*, *magistris consulum*, *consulibus et Scabinis*, *ac aliis vniuersis et singulis*, *ad quos praesentes peruenerint*, *vel qui cum eis fuerint requisiti*, *nostris et sacri imperii subditis tam immediate* 23), *quam mediate*, *deuotis*, *nobis dilectis*, *gratiae nostrae et sacri Romani Imperii sub obtentu*, *ac sub priuatione vestrorum priuilegiorum*, *iurium*, *gratiarum*, *libertatum*, *si mandata nostra omnia et singula non curaueritis implere cum effectu:*

Quatenus in recipiendis, *exigendis huiusmodi libris vulgariter* 24) *scriptis*, *tractatibus*, *sermonibus*, *quaternis*, *cedulis*, *codicibus*, *et* 25) *quibuslibet hominibus*, *cuiuscunque status existant*, *et quoslibet alios libros quocunque modo scriptos suspectos de erroribus in continentia haeresium*, *de quibus libris occasio praedicandi*, *docendi errores accipitur*, *per nonnullos animarum seductores*, *per Inquisitorem*, *Inquisitores seu eorum vicarios tam a personis secularibus et regularibus*, *et maxime a Laycis*, *praesertim cum Laycis* 26) *vtriusque sexus secundum canonicas sanctiones* 27) *etiam libris vulgaribus quibuscunque de sacra scriptura vti* 28) *non liceat*, *examinandos*, *ne per male intellecta deducantur in haeresin vel errorem*, *quemadmodum multi* 29) BEGHARDI *et* BEGHINAE *his temporibus* 30) *proh dolor! in errores et haereses sunt perductae*, *assistatis eisdem Inquisitoribus*, *consilium et fauorem totis viribus*, *deuotisque mentibus*

22) *Captaneis.*
23) *in mediate.*
24) *vulgari:* sc. lingua, quod anteferendum videtur.
25) *ac.*
26) *laicis.*
27) *sanxiones.*
28) *vt*, haud dubie per librarii errorem.
29) *quem ad multi*, sine dubio per librarii errorem.
30) *Begardi et Begbine biis temp.*

tibus efficaciter impendatis [31]), *rebelles et inobedientes sub poenis infra scriptis, secundum stylum* [32]) *Inquisitionis, et informationem Inquisitorum seu Inquisitoris qualitatem et excessum criminis puniatis, et ad praesentationem huiusmodi librorum realiter, appellatione et prouocatione remota, ipsos et ipsorum quemlibet compellatis* [33]) *cum effectu ceterorum, quanto diuinae nutu miserationis accepimus prae filiis hominum gradum altiorem et feliciter obtinemus, tanto debemus deuotionis* [34]) *exequia gratitudinis inferentur* *).

Si quando igitur in [35]) *nostri maledicos nominis nostri culminis exardescit auctoritas, si laesae* [36]) *maiestatis reos in personis eorum et liberorum* [37]) *suorum exheredatione* [38]) *damnamus* [39]) *secundum canonica et legum instituta, multo dignius, iustiusque contra Dei blasphematores, nominis Domini nostri Iesu Christi et gloriosissimae* [40]) *virginis, matris eius, Mariae, et catholicae fidei detractores exardescimus* [41]). *Quare vobis omnibus et singulis imponimus* [42]) *sub poenis infra scriptis, vt Inquisitori ac Inquisitoribus procedentibus se-*

31) *impendatis.*
32) *stilum.*
33) *compellatis.*

34) *deuo*^is^. vocabulum ita scriptum, *deuotius* esse videtur: legi tamen potest, vt Moshemius ὁ πάνυ edidit.

*) Quae in codice meo scripta extabant, ea fideliter exhibeo. Esse in illis peccata scriptoris, manifestum est: sed minora tamen sunt, quam vt sensum orationis obscurare prorsus valeant. Quare emendationem eorum non nimis, vt arbitror, difficilem, lectoribus relinquere, quam mihi sumere malui. — Latet error librarii in hoc vocabulo, quod *inferentes* legere possis, vt Moshemius iam animaduertit.

35) *in* abest, perperam.

36) *lesi*, vt ad imperatorem pertineat.

37) *librorum*, per librarii errorem.

38) *exheredicatione*, perperam.

39) *dampnamus.*

40) *gloriosissimi*, per errorem.

41) *exardescimus*: abest, vt abesse potest.

42) *in ponimus.*

cundum ſtylum [32]) *Inquiſitionis, contra habentes tales libros, in quibus blaſphematur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, et virginis glorioſae matris eius, Mariae, et fides Catholica Chriſtianorum vilipenditur* [43]), *maledicitur ſeu blasphematur, realiter et efficaciter aſſiſtatis conſilio, auxilio et fauore, vt praedicti libri praeſententur et praeſtentur Inquiſitoribus* [44]) *ad comburendum per quoscumque habeantur, poſſideantur et detineantur* [45]), *quocunque nomine cenſeantur, ſiue per Iudaeos* [46]), *ſiue per malos Chriſtianos aut gentiles, ſeu alios incredulos quoscunque, vt his* [47]) *omnibus deſtructis et deletis, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti longe, lateque glorificetur, et ad reuerentiam maieſtatis ſuae omne genu curuetur coeleſtium, terreſtrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, et gloria eſt Dei patris.*

Porro ne debita executio propter defectum Notarii ſeu Tabellionum in his [47]) *et in aliis fidei negotiis exequendis quomodolibet poſſit impediri* [48]), *ſeu retardari, Tibi, Inquiſitori Walthero, Ludouico* [ ]) *de Caliga, et aliis duobus fratribus, per dictum* WALTHERVM *nominandis, ac ceteris Inquiſitoribus in Allemanniae* [6]) *partibus, ac veſtris ſucceſſoribus et aliis Inquiſitoribus de Caeſareae maieſtatis noſtrae* [49]) *clementia, in fauorem fidei orthodoxae concedimus et damus auctoritatem et plenariam poteſtatem tabelliones, ſeu Notarios publicos faciendi pro qualibet dioceſi* [50]) *cuilibet veſtrum aſſignata, vnum duntaxat pro tempore, quo viuit et intendere poteſt et volt, et poſt hoc alium ſimiliter creandi et faciendi, ſi diem clauſerit extremum, vel alios ad executio-*

43) *vilipendetur.*
44) *ipſis Inquiſ.*
45) *habentur, poſſideantur et detinentur.*
46) *Iudeos.*
47) *hiis.*
48) *inpediri.*
49) *Ceſaree mai. noſtre.*
50) *dyoceſi.*

tionem officii ipsum [51]) *legitime constiterit impeditum, eos cum penna et calamario, vt moris est, de tabellionatus officio inuestiendi, personam et personas cuiuscunque status, conditionis, ordinis vel religionis existant, dum ad practicam et executionem eiusdem officii habiles eos inueneritis, qui sciant et possint officium Notariatus huiusmodi Inquisitionis exercere, super quo vestras et successorum vestrorum conscientias oneramus, et a tabellionibus tempore constitutionis eorum et creationis infra scriptum iuramentum recipiatis in haec verba:*

Ego N. promitto et iuro, quod fidelis ero Serenissimo Principi et Domino, Domino Karolo quarto, diuina fauente clementia Romanorum Imperatori semper Augusto, et Boemiae [2]) Regi illustri, Domino meo gratioso et omnibus successoribus eius Romanis Imperatoribus et Regibus legitime intrantibus, neque vmquam ero in consilio, vbi periculum eorum tractatur [52]), bonum et salutem eorum promouebo, damna [53]) eorum pro mea possibilitate auertam fideliter, literas et Acta sancti officii Inquisitionis fideliter et diligenter conscribam, et officio praedicto fidelis ero, et Acta occulte seruabo, donec de mandato Inquisitorum vel suorum officialium [54]), siue alia exigente iustitia, debeant publicari, et instrumenta alia, seu tractatus [55]) alios quoscumque, non scribam in papiro seu carta veteri aut abrasa, sed in membrana [56]) munda et noua, testamenta, codicillos et quascunque vltimas voluntates, nec non dicta testium conscribam fideliter, et ea occulte seruabo, nullique pandam, donec debeant aut mandato iudicis, siue alia exigente iustitia, publicari, causas miserabilium per-

51) *vel al. a. ex. off. factus, ipsum.*

52) *tractetur.*

53) *dampna.*

54) *officiatorum*, sic legere malim.

55) *tractus.*

56) *menbrana.*

sonarum, nec non pontes 57), hospitalia, emendationem viarum publicarum, omni tempore promovebo, et officium meum exercebo fideliter, non attendendo munera, odium vel amorem. Sic me Deus adiuuet et sancta Dei Euangelia 58)!

Decernentes et imperiali statuentes edicto, quod tu Waltherus, Ludouicus 59) et duo fratres, per te Waltherum nominandi, et 60) ceteri Inquisitores Allemanniae 6) auctoritate Apostolica constituti, seu instituendi, omnibus iuribus, priuilegiis, gratiis et libertatibus uti et gaudere possitis, quibus ceteri Inquisitores haereticae prauitatis in quibuscunque mundi partibus, seu a quibuscunque concessis de iure, gratia vel consuetudine quomodolibet potuerint: Decernentes insuper, quod tabelliones per vos facti et instituti, et instituendi modo, quo praemittitur, postquam iuramenta praedicta praestiterint, officia sua possint et valeant vbicumque locorum absque impedimento 61) quolibet exercere et operationes eorum vim habeant omni modo et vigore, volumusque ipsos tabelliones vestros huiusmodi omnibus libertatibus, priuilegiis, gratiis concessis notoriis Inquisitionis vbilibet potiri, non obstantibus praemissis omnibus legibus Imperialibus, seu constitutionibus quibuscumque 62) omnibus, si et in quantum praesenti nostrae largitioni aduersari censentur, per omnia derogamus, etiamsi de his iure vel consuetudine in praesentibus deberet fieri mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae constitutionis, ordinationis, concessionis, decreti, statuti, mandati, executionis, largitionis, et derogationis paginam infringere, vel ei quouis ausu temerario contraire. Si quis autem id 63) attemptare praesumpserit,

57) *potes:* haud dubie per errorem.

58) *sancti Dei Euangelia.*

59) *Walterus, Ludouicus.*

60) *ac.*

61) *impedimenta.*

62) *quibus.*

63) *id*, abest.

rit, indignationem noſtram grauiſſimam et poenam centum marcarum auri puriſſimi totiens, quotiens contra factum fuerit, ſe nouerit irremiſſibiliter [64] *incurſurum: quarum medietatem imperiali noſtro fiſco ſiue aerario* [65], *reſiduam vero partem ipſis inquiſitoribus praedictis decernimus applicari.*

Teſtium nomina omittimus. Iidem enim ſunt, qui praecedentibus diplomatibus adſcripti videntur. Datum vero dicitur edictum *in ciuitate noſtra Luccana* [66] *A. MCCCLXIX. Indict. VII. XV. Kal. Iulii, regnorum noſtrorum anno XXIII. imperii vero XV.*

Inuenient, ſi recte iudico, in hoc documento rerum veterum ſcrutatores nonnulla, quae in rem ſuam conuertere poſſint: ego hoc vnum lectores cupio animaduertere, CAROLVM tradere, *non licere Laycis vtriusque ſexus per Canonicas ſanctiones libris vulgaribus*, id eſt, populi lingua exaratis, *quibuscumque de ſacra ſcriptura vti.* Obſcurius haec ſunt enuntiata: nam et de ipſius Scripturae ſacrae, et de librorum argumenti ſacri, et ex Scriptura hauſti, lectione et vſu intelligi poſſunt. Mitiorem ſi verbis Imperatoris ſenſum tribuas, hoc dicet: Conciliorum leges nolunt alios, quam ſacerdotes et homines Deo conſecratos, libros plebeio ſermone de Deo, et rebus diuinis ſcriptos legere. Erant igitur, ſi vera loquitur Imperator, olim in patria noſtra leges, quae vetabant populum legendis piis libris mentem ſuam paſce-

64) *irremiſcibiliter.*

65) *erario.* — Nomina teſtium omiſit Moshemius: quae in hoc Cod. noſtro aliter ſcripta ſunt, atque in legibus antegreſſis, nos hic paucis ſignificabimus. *Gwydo port.* — — *ſancte Romane eccleſie — pro mai. noſtra Ceſar. — Ytalie — Venerabiles Ioh. Olom. — imp. aule noſtre* — — (deeſt *Lampertus Spirenſis*) — *Hinricus Litwanie — Ioh. Decimus Boleſlaus Morauie — — Matheus de Briberio — Pet. de Wartenbergh imp. curie noſtre mareſcalkus* — — (deeſt quoque *Beneſſius de Wartenberk*) — *Nec non alii quam plures.*

66) *Lucana.*

pascere, et eum vocem doctorum suorum vnice audire iubebant, ne fortassis aliquid a communibus ecclesiae sententiis alieni, ex libris illis discerent. Non disputabo, possim licet, ex hoc consequi potestatem ipsum diuinum codicem legendi per has leges plebi quoque ademtam fuisse: at licebit tamen nobis hoc Imperatoris testimonium tot aliis addere, quae docent, ecclesiam ante sacrorum emendationem diligentissime cauisse, ne populorum animi ex ignorantia rerum diuinarum eluctarentur. Illa legis huius Imperatoriae pars, quae pios libros, lingua populi Germanici exaratos, de medio tolli vult, et igni addicit, sine dubio maximam partem librorum a *Beghardis* compositorum deleuit, effecitque, vt paucissimi eorum ad nostram aetatem peruenerint. Et haec, vt opinor, tempestas celebrem etiam illum *de nouem rupibus Spiritualibus* librum, quo potissimum *Beghardi*, eorumque amici delectabantur, absumsit, nisi fato forte inter neglectas veterum Bibliothecarum chartas adhuc superstes est: quaedam enim sectae illius opera restare, nec omnia periisse, non tam suspicor, quam certum habeo. MARTINVS KROPF in Mellicensi Bibliotheca seruari refert *): GERHARDI, *Beghardi*, *Tractatum de spirituali exercitatione reparationis lapsus*: qui liber, quod ipse index declarat, haud dubie sapientiae illius mysticae institutionem complectitur, quam meliores *Beghardi* discipulis suis tradere solebant. Plures huius generis lucubrationes detegentur, si manu descriptorum codicum in tot Monachorum collegiis latentium, accurati indices conficiantur et proferantur: quamquam eos, qui nimis aperte publicas temporum illorum religiones inuadebant, atque *libertatem* illam *spiritus*, quae caput erat disciplinae *Beghardorum*, acrius commendabant et demonstrabant, flammas effugisse, aegre mihi persuadeo.

§. XXXI.

*) in Bibliotheca Benedictino-Mellicensi, p. 218. Vindob. 1747. in 4.

§. XXXI.

Solebant *Beghardi*, illi maxime, qui facultate non erant praediti mentis suae sensa explicandi, et alios verbis docendi, per domos et prouincias ire, atque magistrorum suorum libros, quos secum ferebant, opificibus, mulierculis, rudibus et indoctis hominibus, publice priuatimque praelegere. Neque vmquam his lectoribus ea aetate, qua cultus Dei publicus caerimoniis totus continebatur, et paucissimi sacerdotum de populo erudiendo cogitabant, inter tot bonas animas, salutis suae cupidas, auditores deerant: qui quidem saepissime, quae auribus acceperant, memoria et mente excipiebant, doctoribusque suis sese iungebant. Ea res quum vehementer obstaret *Inquisitorum* consiliis et conatibus, neque ad eam tollendam Imperatoris edictum, quod suppeditauimus, sufficere videretur: Pontificem, GREGORIVM XI. post annos aliquot in auxilium vocabant, atque vt suam auctoritatem Imperatoriae iungeret, obtestabantur. Igitur A. 1375. Pontifex legem, eius, quam CAROLVS aduersus libros de rebus ad religionem pertinentibus Germanice scriptos tulerat, non dissimilem rogabat, sed, vt verum fatear, Carolina lege multo sapientiorem et modestiorem. Neque enim Pontifex sine discrimine omnes libros Germanicos de pietate et religione agentes abolet, et damnat, neque libros erroribus pollutos cremari praecipit, nec denique plebem vel pios libros, vel ipsum sacrum codicem domi legere vetat. Primum GREGORIVS homines indoctos et simplices prohibet aliis sermones recitare vel praelegere, in quibus religionis dogmata traduntur et explicantur: cuius interdicti hanc affert rationem, quia lectores eiusmodi in munus docendi, seu *officium praedicationis*, vt loquitur, temere inuolant. Haec quam infirma et tanto viro indigna sit caussa, necesse non est, vt doceam. Deinde Inquisitores iubet libros Germanicos, de pietate et religione exponentes, inuestigare, et ad veri normam

et regulam examinare, quosque deuios et erroribus infectos inuenerint, eos populo indicare. Tacite igitur concedit lectionem eorum librorum, in quibus nihil a vero alienum et noxium iudices deprehensuri essent. Postremo scribere, diuulgare, emere, vendere vetat libros ab ecclesiae sententiis dissidentes. Si moderationem et lenitatem tollas, reliqua huius diplomatis non magna laude digna sunt. Iudicent ipsi lectores, num vere *ita* censeam:

GREGORIVS, *episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus haereticae prauitatis per Alemanniam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem!*

Ad Apostolatus nostri peruenit auditum, quod in nonnullis partibus, in quibus Inquisitionis haereticae prauitatis officium exercetis, sunt nonnulli Layci [1]) *simplices, et vtplurimum illiterati, qui quosdam libros sermonum in vulgari scriptorum, in quibus haereticales, prout dicitur, continentur errores, legentes seu sibi legi facientes, interdictum eis officium praedicationis vsurpant* *), *publice proponentes populo doctrinam, quam nesciunt, cum eam non didicerint, et dum legunt vel audiunt, quod non intelligunt, magistri fiunt erroris* **), *antequam sint discipuli veritatis.*

Cum autem huiusmodi libri vulgares periculosi sint nimium, et praedicare non liceat, nisi his [2]), *quibus con-*

Cod. MS. Helmstad. habet hoc decretum Pontificium, a lectione Moshemiana non magnopere discrepans. Librarius eius nullo non loco *e* simplex pro *ae* scripsit, quod semel monuisse placet. Ceterum habet

1) *Laici.*

*) Quomodo, quaeso, qui *legi sibi faciunt libros, interdictum praedicationis officium vsurpare* possunt? Isne igitur, qui legentem alium audit, doctoris munus sibi arrogat?

**) Quomodo is, qui audit, *magister fieri potest erroris?* Scriptor diplomatis, dum multa paucis complecti vult, in rationem peccat.

2) *hiis.*

concessum est ex priuilegio vel a iure, ac ex temerariis praesumtionibus taliter sua sponte praedicantium errores et haereses variae subortae sint hactenus, et oriri timeantur in posterum, nisi eis celeriter occurratur: Discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus [3]) *huiusmodi libros vobis et cuilibet vestrum, in locis, in quibus dictum Inquisitionis officium exercetis, reuelari ac exhiberi facientes, inter vos inuicem et per alios diligenti examini subdatis eosdem et ipsos, seu eam ipsorum partem, in qua errores haereticales inueneritis, auctoritate Apostolica reprobetis, et tanquam erroneos et reprobatos populis in praedicationibus nuntietis, eadem auctoritate prohibentes, ne de cetero vlla talis laycalis persona* [4]) *praedicare praesumat, aut quiuis alius libros, seu sermones reprobatos huiusmodi audeat scribere, emere, vendere vel tenere, seu dogma in eis scriptum credere, asserere, vel quomodolibet diuulgare, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo* [5]), *non obstante, si aliquibus communiter, vel diuisim, a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Auenione X. Cal. Maii Pontificatus nostri anno sexto.*

§. XXXII.

Quadriennio ante, quam hanc legem promulgaret GREGORIVS, haereticorum Germaniam vbique turbantium multitudo, quos inter *Beghardi* principes erant, eum iam permouerat, vt Inquisitorum numerum in nonnullis patriae nostrae partibus insigniter augeret. In prouinciis Moguntina, Coloniensi, Traiectensi, Saltzbur-

3) *quatinus.*
4) *persona laycalis.*
5) *compescendo.*

burgensi, Magdeburgensi et Bremensi duo tantum Inquisitores per diuturnum tempus bellum ecclesiae cum haereticis gesserant: verum hi tractum tam late patentem, in quo maior *Beghardorum* vis, quam in aliis Germaniae partibus, versabatur, opera et labore suo complecti non poterant. Qua de re certior factus Pontifex, litteras dabat ad *Magistrum et Priorem Prouincialem fratrum Dominicanorum* in Germania degentium: (Dominicanis enim ducibus pugnabat ecclesia contra hostes suos in plerisque regionibus,) quibus eis mandabat, vt quinque in posterum robustos athletas hostibus ecclesiae opponerent, et binis idcirco, iam ea militia functis, tres alios adderent: neque dubitabit aliquis, cui Dominicani fratres non ignoti sunt, iussis eos heri sui promte ac fideliter morem gessisse. Incidit et hoc Pontificis mandatum in manus meas: quod, quum historiae Inquisitionis Germanicae illustrandae inseruiat, nolo committere, vt diutius lateat. Est vero hoc *):

GREGORIVS, *episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Magistro et Priori prouinciali prouinciae Teutoniae* [1]) *Ordinis fratrum Praedicatorum salutem et Apostolicam benedictionem!*

Ab exordio nascentis ecclesiae pastores vigilare coeperunt contra pseudodiscipulos, qui non intrantes in dominicum ouile per ostium, sed aliunde, et vineam Domini Sabaoth, catholicam videlicet ecclesiam, diffusam per orbem, quasi vulpeculae demoliri conantur: quorum pastorum exemplo laudabili felicis recordationis Praedecessores nostri Romani Pontifices, qui fuerunt pro tempore, se murum defensionis pro domo Domini oppo-

*) Extat hoc edictum Pontificium, vna cum Bonifacii, id denuo confirmantis inculcantisque, litteris, in Cod. MS. Helmstad. factaque eius cum lectione Moshemii τῶ πάνυ comparatione, hanc varietatem, omissis vocabulis, in quibus librarius *e* simplex, loco diphthongi *ae*, vel *oe* adhibuit, adnotare visum est.

1) *Theutonie.*

opponentes ardore Christianae fidei et religionis accensi, circumspecta vigilantia studuerunt ordinare per diversa mundi climata Inquisitores contra tales prauitate haeretica maculatos, eorumque fautores et defensores diversarum sectarum ad instar vulpium caudas habentes [2]) *colligatas, eisdem Inquisitoribus autoritate concessa per poenas canonicas et ciuiles procedendi contra eos, iuxta canonicas sanctiones* [3]), *et stilum huiusmodi Inquisitionis officii hactenus obseruatum.*

Nos igitur, qui dictorum praedecessorum vestigia libenter feruentibus imitamur affectibus, ac fidei et religionis ampliari cultum, et extirpari vbique huiusmodi prauitatem haereticam cupimus, tenore praesentium vobis et vtrique vestrum in solidum committimus et mandamus, quatenus [4]) *vos, vel alter vestrum, de consilio aliquorum discretorum fratrum Ordinis Praedicatorum* [5]), *cuius professores existitis, quinque dicti ordinis fratres ad hoc idoneos* [6]), *in lege Domini profunde eruditos, quorum honesta conuersatio exemplum tribuat honestatis, et doctrinam fundant* [7]) *erudita labia salutarem, Inquisitores contra haereticos et* [8]) *defensores, receptatores ac* [9]) *fautores eorumdem in ciuitatibus, diocesibus ac prouinciis* [10]) *Moguntinensi* [11]), *Coloniensi, Traiectensi, Salzeburgensi, Magdeburgensi et Bremensi, perpetuis futuris temporibus, quotiens opus erit, ita quod per eos huiusmodi officium possit ibidem, dante Domino, commodius et facilius exerceri, autoritate* [12]) *Apostolica deputetis, qui simul vel separatim, prout negotii vtilitas suadebit, sub spe mercedis aeternae, in ciuitatibus, diocesibus* [10]) *et prouinciis ipsis contra haereticos*

et

2) *habentium.*
3) *sancciones.*
4) *quatinus.*
5) *Fr. Ord. fratrum praedic.*
6) *ydon.*
7) *fundat*, haud dubie per errorem.
8) *ac.*
9) *et.*
10) *dyocef. et prou.*
11) *Maguns.*
12) *auctorit.*

et fautores, defensores et receptatores eorum efficaciter et discrete procedant, et dictum officium fideliter exequantur.

Si vero vos, vel alter vestrum, aliquem Inquisitorem huiusmodi ex aliqua iusta et rationabili causa quandocunque fore videritis amouendum, ipsum amoueatis et substituatis alium loco sui, quotiens vobis, vel alteri vestrum, deliberatione cum aliquibus discretis huiusmodi fratribus praehabita, hoc fore videbitur faciendum, quem substitutum similem habere volumus potestatem. Et si aliquem vel aliquos Inquisitorum ipsorum decedere forte contingeret, nos substituendi de consilio huiusmodi discretorum alium, vel alios, loco illius vel illorum, qui decesserint, ita quod huiusmodi substituti eadem autoritate [2]) *et potestate fungantur, vobis et cuilibet vestrum concedimus tenore praesentium facultatem.*

Vt igitur fratres praedicti praesentes et posteri, quos ad hoc per vos, vel successores vestros, qui erunt pro tempore, ad praedictum Inquisitionis officium in dictis ciuitatibus, diocesibus et prouinciis exercendum contigerit deputari, ad extirpandum de ipsarum finibus pestem praefatam libere procedere valeant, nullum super hoc impedimentum quomodolibet habituri, autoritate [12]) *praesentium sub anathematis poena districtius inhibemus, ne aliquis* [13]) *cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant, etiamsi* [14]) *Patriarchali, Archiepiscopali, vel Episcopali, Imperiali vel Regali, aut alia qualibet fulgeat dignitate, eosdem Inquisitores, quominus officium inquisitionis praedictae possint in dictis ciuitatibus, diocesibus* [10]), *et prouinciis libere exercere, quomodolibet impedire praesumant, quinimo volumus et autoritate* [12]) *praedicta decernimus, ipsos ad exercendum in eisdem ciuitatibus, dioecesibus et prouinciis praefatum officium fore libere admittendos.*

Cete-

13) *aliqui*, quae verior est lectio.

14) *etiam si.*

Ceterum nostrae intentionis existit, quod duo Inquisitores iam dictis partibus auctoritate Apostolica deputati de numero dictorum quinque existant, et libere dictum officium exerceant, sicut prius. Dat. apud villam nouam Auenionens. dioecesos X. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Eximium continet haec epistola intolerabilis superbiae fastusque Pontificii specimen: ex quo vno, quantum rei publicae et supremorum imperantium auctoritati profuerint, qui sacrorum emendationem susceperunt, intelligere licet. Audet GREGORIVS non modo Imperatorem et Reges infra Archiepiscopos et episcopos suos ponere, verum etiam, qui humaniter saltim rogandi erant, ne Inquisitorum studiis impedimenta obiicerent, iisdem, quibus rerum sacrarum praesules, minis et poenis terrere, humanique generis capita eodem mandato cum infimis ciuibus, nullo prorsus discrimine, sociare. Sed haec CAROLVM IIII. Pontificibus deuotum, leuiter afficiebant: nec dubito, dum ille fuit, Inquisitoribus Dominicanis inter Germanos ex voto cuncta successisse. Sed sub WENCESLAO, quem a morte CAROLI regnasse notum est, res eorum inclinasse se, atque minus, quam antea, fluxisse videntur. Itaque a BONIFACIO VIIII. A. 1395. *) deprecabantur, vt senescentem GREGORII constitutionem noua virtute instrueret, et quae iura in illa Dominicanis concessa erant, eadem mortua quodammodo in vitam reuocaret. Est diploma Pontificis in manibus meis, quo precibus his Dominicanae gentis morem gerit, *datum Romae apud S. Petrum, Kal. Decembris Pontificatus eius septimo.* Sed nihil illud habet, si GREGORII sanctionem demas, quam totam transscribit Pontifex, nouum vel singulare. Significat tantum BONIFACIVS, *humiliter*

*) Scribi debuit A. 1397. Creatus enim erat 1390. v. supra not. * p. 225.

liter supplicasse Dominicanos, vt litteras GREGORII XI. *quae incipiant vetustate consumi, de benignitate Apostolica innouare dignaretur: Se illas litteras in Cancellaria Apostolica inspici fecisse diligenter, et autoritate Apostolica tenore praesentium innouare, suoque patrocinio communire*, addens, se nolle nouum ius quoddam Dominicanis tribuere, sed vetus tantum, si quod habeant, conseruare. *Per hoc autem nullum ius nobis de nouo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habetis, tantummodo conseruari.* Claudunt edictum consuetae comminationes, quibus mandata sua Romani Pontifices terminare solent *). Post annos vero aliquot, A. 1398. quum accepisset idem BONIFACIVS, prouinciam Saxonicam, ad quam Moguntinensis, Coloniensis, Magdeburgensis, Bremensis et Rugensis tractus certa ratione pertinebant, ampliorem esse, pluribusque haereticis refertam, quam vt vnus, aut pauci homines, in ea Inquisitionis munus cum fructu obire possent, adduci sese sinebat, vt Dominicanae gentis iura dilataret, *Priorique Prouinciali* prouinciae Saxonicae potestatem liberaliter conferret, in terris, quas nominaui, sex ordinis sui Inquisitores creandi. Scriptor noui huius priuilegii, quo parte quadam laboris se leuaret, exordium eius ex GREGORII XI. epistola, quam paullo ante descripsi, totum nullo verbo mutato, transtulit. Praedicat igitur primum BONIFACIVS, verbis GREGORII, Romanorum Pontificum, suumque etiam studium haereticos castigandi, et per Inquisitores extirpandi: post quam commendationem ita pergit **):

Atten-

*) Edictum hoc adest in Cod. MS. Helmstad.

**) Inscripta est epistola: *Dilecto filio Priori Prouinciali Ordinis fratrum Praedicatorum prouinciae Saxoniae secundum morem, dicti ordinis.* — Simili ratione Pontificis Max. epistola inscripta est in Cod. MS. Helmstad. quam alio loco integram, nequid eius desideretur, diuulgabimus. Hinc etiam lectionis varietatem subiicere nolumus.

Attento, sicut veridica relatio ad nostri Apostolatus perduxit auditum, quod in tua supradicta prouincia, non modo propter multitudinem haeresium et haereticorum, verum etiam propter numerositatem ciuitatum et locorum longe lateque nimis ab inuicem distantium, prauitate huiusmodi infectorum per vnum aut paucos dictae Inquisitionis officium nequaquam possit commode exerceri, tenore praesentium tibi committimus et mandamus, quatenus sex dicti ordinis fratres ad hoc idoneos, in lege Domini profunde eruditos, quorum honesta conuersatio exemplum tribuat honestatis, et doctrinam fundant praedicta labia salutarem, Inquisitores huiusmodi prauitatis haereticae in Moguntinensi, Coloniensi, Magdeburgensi, Bremensi, Rigensi, ciuitatibus, dioecesibus et prouinciis, in quantum infra terminos praedictae prouinciae secundum morem dicti ordinis fore noscuntur, nec non in ciuitate et dioecesi Caminensi, et vniuersaliter in omnibus locis dictae prouinciae, autoritate Apostolica deputes et assignes, eosque, quotiens tibi videbitur, absoluas et amoueas, et in locum amotorum alios, vt praemittitur, idoneos substituas perpetuis futuris temporibus, quotiens fuerit opportunum, qui simul vel separatim, prout negotii suadebit vtilitas, sub spe mercedis aeternae, in prouinciis, ciuitatibus, dioecesibus, ac locis praedictis contra quoscunque haereticos, seu de haeresi infamatos aut suspectos, ipsorumque credentes, fautores, receptatores, et defensatores iuxta sacrorum formam Canonum, et stilum huiusmodi officii hactenus obseruatum, nec non secundum priuilegia, indulgentias, et statuta per praedecessores nostros Romanos Pontifices ac Romanorum Imperatores, in fauorem fidei Christianae, pro officio Inquisitionis et Inquisitoribus quarumcunque aliarum prouinciarum edita et concessa, quae omnia et singula tenore praesentium ad huiusmodi Inquisitores prouinciae Saxoniae, quos per te aut successores tuos pro tempore, sicut praemittitur, deputari contigerit, extendi specialiter

volumus et declaramus, efficaciter et districte procedant, et ipsum officium autoritate Apostolica qua supra fideliter et libere exequantur, nullum super hoc a quoquam, cuiuscunque conditionis, status, ordinis, vel dignitatis existat, etiamsi dignitate Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali vel Regali, aut alia quacunque fulgeat, impedimentum quomodolibet habituri. Nulli ergo, cet. Sequitur communis illa comminatio, qua Pontifices solent claudere epistolas suas. *Dat. Romae apud S. Petrum Non. Iunii Pontif. nostri anno decimo* *).

Haec Pontificia diplomata, quum in manus meas peruenissent, occasione ex *Beghardis* sumta publicare volui, vt rationes pateant, quare historia temporum illorum plurima nobis exempla commemoret hominum in Germania, errorum nomine, misere exustorum, et, qui hodie viuunt, grati cognoscant, quanta malorum vis maiores nostros presserit, quum ex aulae Romanae voluntate religio vnice administraretur. Nunc ad CAROLVM IIII. et ad *Beghardos*, quos perditos volebat, redeo.

§. XXXIII.

Purgabat feliciter fortissimus ecclesiae miles, CAROLIque conuictor et amicus, KERLINGIVS, cum laborum sociis, magnam Germaniae partem illa hominum colluuie, quam *Beghardorum* nomine notabat populus: verum idem impedire non poterat, ne in aliis ea prouinciis, quae adhuc inermes, id est, ab Inquisitoribus destitutae erant, asylum inueniret. Nomina harum prouinciarum ODOR. RAYNALDVS ex thesauro epi-

*) Scripta haec Bonifacii VIIII. Pontificis A. 1390. creati, epistola Pontificatus anno decimo; lector quisque per se videat, necesse est, Moshemium inclutum paullo ante, loco A. 1398. scribere debuisse A. 1400.

epiſtolarum GREGORII XI. qui Romae ſeruatur, profert. Poſtquam nimirum paucis dixerat, CAROLVM, Imperatorem, a Pontifice incitatum, in *Magdeburgenſi, et Bremenſi prouinciis iudiciorum ordinem in hos haereticos inſtituiſſe*, ita pergit *): *Mox impii, ad declinandam ſeueritatem, in prouincias, quas Rhenus alluit, tum Hollandiam, Brabantiam, ac ducatum Stetinenſem, vbi altiores impietas radices fixerat, auolarunt.* Nouis igitur exhortationibus, nouis legibus, nouis Inquiſitoribus opus erat, vt in his etiam latibulis opprimerentur. Igitur, quod RAYNALDVS nos docet vnus, A. 1372. GREGORIVS XI. denuo Imperatorem obteſtabatur, vt Inquiſitoribus, in eas etiam regiones miſſis, apud principes viros et magiſtratus auctoritate ſua ſubueniret. Deinde *encyclicis quoque litteris Apoſtolicis* **), vtor ipſis hiſtorici verbis, *vniuerſos Archiepiſcopos et Epiſcopos, principes, proceres, vrbiumque magiſtratus Germaniae, Poloniae, Sileſiae, tuendae fidei ſtudio inflammatos, ad Begardos abolendos ſollicitabat.* Haec leuiter tantum ex volumine epiſtolarum GREGORII nondum edito commemorat RAYNALDVS, neque de fructu harum litterarum Pontificis, neque de Inquiſitorum laboribus aliquid adiiciens. Facile vero, quibus temporum rationes perſpectae ſunt, credent, et Caeſarem, et epiſcopos, qui compellati erant, voluntati Pontificis obſequutos eſſe, plurimosque *Beghardos* aut miſere interemtos, aut vi et metu ad officium reuerti, coactos fuiſſe. Mihi quidem ita fauit fortuna, vt in vetuſto codice, varii generis chartas complectente,

*) Annal. Eccleſ. ad A. 1372. §. 34. p. 513.

**) Harum litterarum exemplum, Roma nobis transmiſſum, quoniam in primis ad locum, de quo quaeritur, pertinet, alio loco integrum adferre, et cum lectoribus noſtris communicare conſtituimus, quo ſimilis epiſtolae pontificiae ad Muhlhuſanos miſſae fides magis ſtabilitur.

vnum CAROLI IIII. diploma inuenerim, ex quo sterilis et praecisa RAYNALDI narratio locupletari commode potest. Iusserat GREGORIVS familiae Dominicanae sodalem quemdam, IOH. a BOLAND, in prouinciis Treuerensi, Leodicensi, et Coloniensi, quae caruisse tum Inquisitoribus videntur, bellum in *Beghardos* et *Beguinas* gerere. Eum hominem Imperator, a Pontifice rogatus, praesulis Treuerensis, aliorumque Principum, inter Rhenum et Mosam habitantium, fidei et tutelae studiosissime commendat, atque perhonorifice *dilectum Capellanum suum* vocat. Puto hoc titulo plerosque Inquisitores a CAROLO IIII. honestatos fuisse, vt non Pontificis tantum, cuius imperium aegre ferebant Germani, sed etiam Imperatoris ministri viderentur, minorique cum odio commissis sibi partibus in populo, libertatis suae amanti, et terribilis illius iudicii Inquisitionis impatientissimo, defungi possent. *Versabatur* Treueris, quum hanc commendationem in litteras referri iuberet, et decimum nonum imperii annum agebat. Sed ipsum diploma legendum dabo, multis, vti arbitror, de caussis dignum, quod ab interitu seruetur.

KAROLVS QVARTVS, *diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, et Boemiae* [1]) *Rex, Venerabilibus Treuerensi Archiepiscopo, sacri imperii per Galliam et regnum Arelatense Archicancellario,*

Lectionis varietas e Cod. MS. Helmst. petita.

1) *Bohemie.* Quo loco in vniuersum monere placet, librarium vbique *e* simplex, loco diphthongi *ae*, vel *oe*, scripsisse, ne hanc varietatem semper transscribere debeamus. Ceterum quae Moshemius inclutus ad proxime sequentia notauit, longe verisimillima esse videntur, et in Cod. H. eodem modo scripta reperiuntur. Rei caussam putamus hanc esse, quod librarius legem Carolinam descripsit ex litteris saltem ad Archiepiscopum Treuirensem missis, non ex ipso Imperatoris veluti αὐτογράφῳ, in quo singulorum nomina scripta fuisse, credibile est.

lario *), *Illustribus Lutzemburgensi*, *Limburgensi* [2]), *Brabantiae* [1]) *et Iuliacensi Ducibus*, *Principibus Spectabilibus de Monte*, *de Cleuen*, *de Marcha*, *de Kirchberg* [3]), *et de Vyenna vel Spanheim* [4]), *Comitibus*, *suis et Imperii sacri fidelibus dilectis*, *gratiam suam et omne bonum!*

Commisso nobis coelitus [1]) *imperialis officii regimine*, *cui dante Domino feliciter praesidemus*, *signanter adversus hostes fidei*, *et exterminium haereticae* [1]) *prauitatis*, *nos decet illam sollicitam curam apponere*, *per quam orthodoxae* [1]) *fidei augmentetur sinceritas*, *et quaelibet eidem contraria velut zizania* [5]) *de tritico totaliter* [6]) *euellantur.*

Sane cum ad succurrendum animarum periculum Sanctissimus in Christo pater et Dominus noster, *Dominus Gregorius Papa vndecimus religiosum fratrem*, *Iohannem de Boland*, *Ordinis Praedicatorum*, *Capellanum nostrum dilectum*, *instituit*, *ordinauit et fecit Inquisitorem haereticae* [1]) *prauitatis per Treuerensem*, *Coloniensem et Leodicensem* [7]) *dioeceses* [8]), *prout hoc Apostolicae literae* [1]) *manifeste declarant*, *ad extirpandos* [9]) *in partibus eisdem quoslibet haereticos*, *et specialiter ad eliminandos et destruendos* [10]) *de medio fidelium particulares sectas* BEGHARDORVM *et* BEGVINARVM [11]), *quae* [1]) *plurimum in Allemanniae* [12]) *partibus pullulare dicun-*

*) Videntur hic Archiepiscopus Coloniensis et episcopus Leodicensis, scriptoris vitio, esse omissi. Quis enim dubitet, etiam hos Imperatorem compellasse, quum ad eorum quoque prouinciam nouus hic Inquisitor legaretur?

2) *Lymburg.*

3) *Kyrchb.*

4) *Spanheym.*

5) *veluti zyzania.*

6) *tataliter*, per librarii lapsum.

7) *Leodicensem.*

8) *diocef.*

9) *exstirp.*

10) ita et in Cod. H. cum *eliminandas et destruendas* esse debeat propter sequens *sectas.*

11) *Beguin.*

12) *Alemannie.*

dicuntur dyabolo instigante: Nos itaque ut validius, praestantius et efficacius praedictus frater Iohannes in tam sancto, tamque salubri officio melius procedere, et idem officium in hac parte sibi commissum possit vtilius exercere in fauorem fidei praedictae [13]) *orthodoxae* [1]), *animo deliberato, ex certa nostra scientia, ac principum nostrorum accedente consilio, auctoritate Imperiali omnia priuilegia, statuta, gratias, indulgentias, exemtiones* [14]), *immunitates et libertates per sacrum Romanum imperium, per nos prius ac per diuos praedecessores nostros Imperatores, illustres quoque Reges Romanorum, Franciae, Boemiae, Angliae, Siciliae, Hispaniae, Vngariae, Normandiae, Daciae, Poloniae, ac Principes, Duces, Nobiles, Potestates, ac per quoscunque cuiuscunque conditionis existunt, concessas seu datas Officio Inquisitionis, seu Inquisitoribus haereticorum quibuscumque, quandocumque, vbicunque et quotiescunque in Ytalia, Gallia et Germania, vel quibuscunque aliis locis, seu mundi partibus, coniunctim, vel diuisim, pro dicto fratre Iohanne Inquisitore innouamus, approbamus et confirmamus, ac in suo robore volumus permanere, ipsumque Inquisitorum* [15]) *priuilegiis, statutis, gratiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, ac omnibus et singulis huiusmodi gaudere volumus pleno iure, et nihilominus* [16]) *huiusmodi priuilegia omnia et singula, Imperiali auctoritate innouata, approbata, confirmata et concessa pro insertis habemus, et habere volumus, acsi eorum continentia, ipsorumque totus tenor de verbo ad verbum in praesentibus essent inserti, non obstantibus legibus, iuribus, consuetudinibus seu statutis contrariis quibuscumque: Quibus in quantum obuiare possunt praesentibus, in totum vel aliqua sui parte, de certa scientia et Imperatoriae potestatis plenitudine derogamus.*

Verum

13) abest hoc voc.
14) *exemptiones.*
15) *inquisitorem.*
16) *nichilominus.*

Verum cum dictus Inquisitor libertatibus, priuilegiis, gratiis, exemtionibus et indulgentiis in fauorem officii concessis, factis et datis, ac Imperatoria potestate, vt praemittitur, confirmatis, ad plenum vti et gaudere non possit, et 17) *sibi commissum Inquisitionis officium realiter exercere, nisi certorum potentum conseruatorum fulciatur auxilio, signanter illorum, quorum potentia et virtute exterminentur haeretici, corrigantur et puniantur errores, ac quaevis* 1) *dictum officium Inquisitionis concernentia* 18) *executioni debitae* 1) *poterunt demandari, volentes dicto Inquisitori et Officio inquisitionis salubriter prouidere, vos Archiepiscopos* *), *Duces et Comites supradictos, et quemlibet vestrum in solidum creamus, constituimus, ordinamus et facimus de certa scientia et Caesarea* 19) *potestate conseruatores et defensores dicti Inquisitoris et Officii Inquisitionis, nec non omnium libertatum, exemtionum* 14), *priuilegiorum, gratiarum et indultorum tam officio Inquisitionis huiusmodi, quam sibi datorum, confirmatorum seu quomodolibet concessorum: Committentes vobis ac cuilibet vestrum, ac firmiter et districte mandantes, quatenus exnunc in antea tamquam conseruatores ac* 20) *defensores ad hoc autoritate Caesarea* 19) *deputati nostro et Imperii nomine atque vice dictum fratrem Iohannem Inquisitorem, per dioeceses* 21) *supradictas, in vniuersis locis, singulis priuilegiis, concessionibus, indultis, libertatibus, iuribus et gratiis tam personae* 1), *quam Inquisitionis officio quomodolibet concessis et datis, nec non in assequutione reali tertiae partis omnium bonorum mobilium et immobilium* 22), *omnium et singulorum haereticorum*

17) *ac.*

18) *excernimia,* haud dubie per errorem.

*) Hinc verum id esse liquet, quod in edicti huius limine monuimus, ad plures vno Archiepiscopos illud datum et missum esse.

19) *Cesar.*

20) *et.*

21) *dyoces.*

22) *in mobil.*

BEGHARDORVM *et* BEGHINARVM [11]) *per dictas dioeceses* [21]) *vbicunque repertorum et reperiendorum secundum tenorem Apostolicarum literarum desuper confectarum conseruare, tueri, defendere, manu tenere, sibique in omnibus et singulis, quae* [1]) *officium Inquisitionis et executionem eius respiciunt, fideliter assistere et cooperari pro viribus effectualiter debeatis, nullam permittentes dicto Inquisitori, et familiaribus suis, in personis aut alio quoquam inferri molestiam, iniuriam aut iacturam, rebelles et contradictores quoslibet, qui contra praemissa, seu eorum aliquid, quicquid temere attemptare praesumpserint, autoritate Caesarea* [19]), *prout oportunum fuerit, et delicti qualitas exigit, appellatione postposita, compescendo* [23]), *dum et quotiens desuper fueritis requisiti, praesentium sub Imperialis nostrae sigillo testimonio litterarum. Datum Treueris anno Domini 1373. Indictione prima, XIII. Kalend. Martii, regnorum nostrorum anno 27. imperii vero 19.* [24]).

Qui diploma hoc cum illo superiori, quo KERLINGIVS ex Italia Germanis commendatur, conferre voluerit, inter stylum vtriusque plurimum interesse sentiet, coniecturamque forte non improbabit supra propositam, illam KERLINGII commendationem Itali esse hominis mirabiliter circumspecti, captionum omnivm, per quas vim legum astuti declinare possunt, in primis gnari, aulaeque Romanae deuoti: alterum, quod hic dedimus, ad liberale Germanorum ingenium multo magis accedit, et Germanorum Imperatore, nisi fallor, dignius est.

§. XXXIIII.

23) *compescendo*, haud dubie per errorem.

24) *Treu. Anno Dom. M°. CCC°. 78. Indict. prima. 13. Kalend. Martii, Regnorum nostrorum anno 32. Imperii vero 10°.* In hisce error librarii latet, necesse est: nisi contendas, legem A. 1373. primo rogatam, anno quinto post, 1378, adeoque regnorum 32. repetitam, denuoque sancitam esse. Sed vel hoc sumto datoque, imperii annus nihilosecius discrepat.

§. XXXIIII.

Hactenus omnia ex voto succedebant Pontificibus, et breui sine dubio tempore vniuersa *Beghardorum* secta extincta fuisset, si quam ingressi erant illi pugnam, simili feruore persequuti fuissent. Verum idem ille GREGORIVS, qui CAROLVM accenderat, imprudens magnam partem rei, faustis auspiciis gestae, subuertebat, rimasque elabendi aduersariis suis ipse aperiebat. Quum enim *Beghardi* et *Beguinae*, in prouinciis ad Rhenum et Mosam sitis commorantes, eamdem sibi tempestatem imminere prospicerent, quam in aliis Germaniae regionibus ex aliquo iam tempore fratres sororesque eorum sustinuerant, sine mora ad Pontificis clementiam per patronos, quos plurimos et magnae auctoritatis habebant, confugiebant. Demonstrabant igitur, aut potius, nisi fallor, per viros quosdam non infimi ordinis demonstrari curabant, omisso *Beghardorum* odioso nomine, viuere multis in locis, pauperes vtriusque sexus homines, omnis culpae, omniumque errorum expertes, mutuae caritatis vinculo colligatos, ecclesiae, episcopis, sacerdotibus obedientes, hocque vnum in votis habentes, vt in paupertate et castitate vitam consumere valeant, demisseque ac humiliter Pontificem rogabant, vt quod semel elegissent, sanctum vitae genus persequi ipsis sine macula et crimine liceret. GREGORIVS fallacias metuens, supplici libello huic valde captioso, epistola ad Moguntinum, Treuirensem et Coloniensem Archiepiscopos data, caute ac prudenter respondebat, rationes pauperum illorum, qui suum implorassent patrocinium, sibi haud perspectas esse; igitur in vitam, mores et sententias hominum Praesulibus accurate inquirendum, et de omnibus his ad se referendum esse, quos insontes reperturi essent, eos fouendos et tolerandos, quos improbos et nocentes, eos puniendos esse. Est apud me harum litterarum exemplum, quod Episcopi Argentinensis iudex vicarius, a procuratoribus aut patronis *Beg-*

hardorum rogatus, per scribam publicum ex authenticis tabulis transscribi curauit, et testimonio suo firmauit. Id hic integrum apponam, non omisso Iudicis testimonio, in quo nominatim indicantur, qui mihi Auenionem profecti esse, et Pontificis inde epistolam reportasse videntur. Non puto eos ex *Beghardorum* fuisse numero: nam *discretorum virorum* nomine a iudice salutantur: quod vocabulum perhonorificum ea aetate, mendicis publicis et vilis conditionis hominibus datum fuisse, non facile sibi aliquis persuaserit. Viros ergo fuisse graues, et in dignitate aut existimatione positos arbitror, quos instinctus quidam pietatis inflammauerat, vt *Beghardorum*, quos sanctos et Dei amicos credebant, caussam apud aulam Auenionensem agerent, et contra Inquisitorum, Imperatoris et Pontificum edictis armatorum, consilia et iniurias tuerentur. Hoc saltim iudicis, quem dixi, testimonium nos haud patitur dubitare, procurationem honoris et securitatis familiae totius *Beghardicae*, maxime illius, quae ad Rhenum et Mosam degebat, eos aut ipsos sibi sumsisse, aut ab aliis traditam accepisse. Sed loquatur ipse ille, cuius litterae id declarant:

Nos RAINBOLDVS *de* GAMVNDIA, *Officialis Argentinensis, notum facimus, tenore praesentium, quorum interest, vel intererit, vniuersis, quod constituti coram nobis discreti viri,* HEINRICVS *de* CONFLVENTIBVS, DIETERICVS *de* BRVSELLA, *Treuerensis et Leodicensis dioeceseos,* OTTO *de* NOVILLARI *et* HVGO *de* ZABERN, *Argentinae morantes, litteras Apostolicas sanctissimi in Christo patris et Domini nostri, Domini Gregorii Papae vndecimi, infra scriptas, more Romanae curiae bullatas, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, nobis in medium exhibuerunt, produxerunt, praesentauerunt et ostenderunt, afferentes huiusmodi literas fore communes omnibus in paupertate et castitate viuentibus per prouincias, in eisdem subscriptis literis Apostolicis expressas*

pressas constitutis, et se eisdem litteris indigere, et vti velle in diuersarum terrarum locis, ac timentes easdem literas viarum discriminibus et periculis amitti et subtrahi, aut eisdem casu fortuito defraudari. Quare petiuerunt literas easdem per nos auctoritate nostra ordinaria transsumi et exemplari: et huiusmodi transsumptum testimonio publico, ac sigilli dictae curiae Argentinensis appensione communiri mandari: ita quod eisdem transsumpto, siue transscripto tanquam originalibus litteris praedictis fides possit plenaria adhiberi. Nos itaque receptis, visis et diligenter inspectis et perlectis literis Apostolicis subscriptis, ipsisque veris ac dicti Domini Gregorii Papae Bulla plumbea in cordula canapis, appensa more Romanae curiae bullatis, sanis, integris et omni prorsus vitio et suspicione carentibus, per nos inventis praenominatorum pauperum [1]) *petitionibus rationalibus annuentes, praefatas literas per Rudolfum, dictae curiae scribam iuratum, et Imperiali auctoritate Notarium publicum subscriptum fideliter transscribi et sigilli dictae curiae fecimus appensione roborari: Volentes et praesentibus decernentes, quod ipsi transsumpto in omnibus et per omnia, tam in iudicio, quam extra, sicut et originalibus literis praedictis, fides sit plenaria adhibenda, ipsumque transsumptum fidem faciat in agendis.*

Super

1) Hinc effici posse videtur, pauperes et *Begbardos* fuisse, quorum nomina in limine huius testimonii leguntur, non vero, quod nos ex honoris vocabulo, quod ipsis tribuitur, coniecimus, viros graues et in dignitate quadam positos. Sed nihil obsistit, ne haec iudicis verba non ad eos, qui litteras ipsi Pontificis exhibuerant, sed ad pauperes, quorum verbis ipsum precati erant, quorumque caussam agebant, referantur. Argumentum meum, ex vocabulo *discretus* ductum, multum inde roboris accipit, quod testes, qui in extremo testimonio indicantur, pariter *discreti* nominantur: mendicis enim idem honoris habitum fuisse, quod his, *Canonicis et Chori Argentinensis vicariis*, incredibile videtur.

Super quibus omnibus nostram autoritatem interponimus pariter et decretum. Acta sunt haec in ciuitate Argentina, in curia habitationis nostrae sita apud ecclesiam collegiatam S. Petri. Anno Dom. MCCCLXXIIII. Indict. XII. Pontificatus Dom. Gregorii Papae XI. supradicti anno quarto, die Saturni penultima mensis Decembris, hora vesperarum vel quasi, praesentibus discretis viris Domino Iohanne dicto Kochen, Canonico Augustensi, et Nicolao de Oppenheim, vicariis Chori ecclesiae Argentinensis testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis [2]).

GREGORIVS, *Episcopus, Seruus Seruorum Dei, venerabilibus fratribus Coloniensi, Treuirensi* [1]) *et Moguntinensi, Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis, aliisque Archiepiscopis et Episcopis vniuersis per Alamanniam* [2]), *Brabantiam et Flandriam constitutis, ad quos praesentes literae peruenerint, salutem et Apostolicam benedictionem!*

Ex iniuncto nobis ex alto [3]) *pastorali officio angimur et tenemur animarum saluti prospicere circa corrigendos quorumcumque, maxime exorbitantium a fide, sine qua nemo proficit ad salutem, excessus, et ad ea, quae* [4]) *tranquillitatem et pacem ac statum prosperum et Deo gratum* [5]) *Christi fidelium Deo deuotorum respicere dinoscuntur, tanto libentius fauoris Apostolici praesidium impertiri debemus, quanto ex eorum quiete altissimo famulatus deuotius* [6]) *exhibetur. Sane nuper accepimus,*

2) Haec quasi praefatio in Cod. MS. Helmstad. desideratur: litterae vero pontificiae non item.

Lectionis varietas e Cod. MS. Helmst. deprompta.

1) *Treuerensi.*

2) *Allemania.*

3) *alta*, per errorem, quem manus altera emendauit.

4) *que*, pro *quae*: quia librarius semper *e* simplex, pro *ae* vel *oe* scripsit.

5) *tranqu. et statum prosp. ac pacem Deo gratam.*

6) *diuinius.*

pimus, quod in vestris ciuitatibus et dioecesibus 7) *sunt nonnullae personae* 4) *pauperes vtriusque sexus, quae* 4) *humiliter et honeste in paupertate et castitate viuunt, ecclesias deuote frequentant, Romanae ecclesiae, eorumque Praelatis et Curatis reuerenter obediunt, nullis erroribus se inuoluendo, sed intimae* 4) *caritatis amore sibi inuicem seruiendo, ac desiderantes quamplurimum et simul ac inuicem in humilitatis spiritu altissimo famulari. Quare pro parte huiusmodi pauperum praedictarum vestrarum* 8) *ciuitatum et dioecesium* 7) *nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsis seruiendo in* 9) *paupertate et castitate ac aliis virtutibus libere conuersari, ac Deo laudabiliter deseruire valeant, concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Quia igitur de vita et conuersatione ac statu ipsorum pauperum certam notitiam non habemus, fraternitati vestrae, de qua in his et aliis* 10) *specialem in Domino fiduciam obtinemus* 11), *per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vestrum singuli in vestris ciuitatibus et dioecesibus* 7) *de huiusmodi pauperibus vtriusque sexus ibidem commorantibus, et de ipsorum vita, et conuersatione et* 12) *statu, et an aliquos errores in fide Catholica* 13) *teneant, diligenter inquiratis, nosque plenarie informetis* 14), *et quos culpabiles repereritis, corrigatis et puniatis iuxta canonicas sanctiones* 15), *illos autem, quos innocentes repereritis, foueatis, ac ut Deo inuicem seruiendo in paupertate et castitate, ceterisque* 16) *virtutibus libere conuersari ac Christo laudabiliter deseruire valeant, autoritate Apostolica licentiam concedatis: Contradictores per*

7) *dioces.*
8) *predictorum vestrorum*, per errorem.
9) *supplic. quatenus ipsis vt in.*
10) *in hiis et in al.*
11) *special. fiduciam obtin. in Dom.*
12) *ac.*
13) *Katbol.*
14) *inquir. ac nos de huiusmodi plen. inf.*
15) *iuxta sanxiones canon.*
16) *et ceteris.*

per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante, si aliquibus communiter, vel diuisim, a sede Apostolica sit indultum, quod [17] *interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Auenione VII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.*

Et *) *ego Rudolfus, dictus de Rynach, Clericus Constantiensis dioecesis, Argentinae commorans, publicus imperiali auctoritate ac curiae Argentinensis Notarius iuratus, quia dictarum literarum Apostolicarum exhibitioni et praesentationi, assumtioni, petitioni et decreti interpositioni, omnibusque et singulis aliis praemissis, dum, vt praemittitur, per dictum Dominum Officialem, et coram eo, tempore et loco praedictis, agerentur et fierent, vna cum praenominatis testibus praesens fui, ipsaque sic fieri vidi et audiui; idcirco hoc praesens transsumptum ex praescriptis literis originalibus de mandato eiusdem Domini Officialis sumpsi et exemplaui, manu mea propria scripsi, et in hanc formam redegi publicam, ipsumque transsumptum cum originalibus literis praedictis diligenter conferendo auscultaui, signoque meo solito et consueto vna cum appensione sigilli dictae curiae signaui. In testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et per dictos Henricum, Dietericum, Ottonem et Hugonem instanter requisitus.*

Qui videbunt, Pontificis litteras mense Aprili iam datas, at non ante anni exitum iudici vicario antistitis Argentinensis oblatas fuisse, ignauiam forte ac tarditatem *Beghardorum* in re tantae grauitatis mirabuntur, eiusdemque caussam requirent. Eam vero inuenisse mihi videor. Quiete per complures annos in prouincia Argen-

17) *vt.*
*) Haec appendix in Cod. Helmst. pariter abest.

gentinensi *Beghardi* et *Beguinae* vixerant, postquam IOHANNES vexare hoc genus desierat, et *Beguinarum* cumprimis agmen valde vbique amplificatum erat: in tranquilla igitur prouincia non opus sibi fore *Beghardi* arbitrabantur praesidio literarum Pontificis, easque idcirco producere nolebant. Verum LAMBERTVS, qui A. 1373. in IOHANNIS locum succedebat, autumno anni 1374. CAROLI IIII. vt videtur, edicto incitatus, intermissum aliquamdiu cum *Beguinabus* bellum magno ardore instaurabat: cuius noui certaminis historiam suo loco ex monumentis nondum editis trademus. Sororum pericula igitur et miseriae *Beghardos*, quorum pauci tantum in Argentinensi tractu ex superioribus calamitatibus supererant, admonebant, non differendam esse diutius promulgationem epistolae Pontificiae, quo per eam inclementiae episcopi modus poneretur. Non erat quidem talis haec epistola, qualem desiderauerant *Beghardi*, neque plenam omnibus, in quibus hoc nomen poni solebat, securitatem praestabat: at quum eadem tamen vim illis inferri prohiberet, qui paupertatem et castitatem ea ratione consectari vellent, vt errores omnes fugerent et legibus ecclesiae obedirent, saluti primum erat illis, quibus nihil cum veris et germanis *Beghardis*, seu *liberi spiritus fratribus*, praeter nomen, paupertatem et instituta quaedam externa, commune erat: et horum multi vbique versabantur, quod ex illis, quae de amplissima potestate vocabuli *Beghardus* dicta sunt, satis apparet, et ex illis, quae paullo post afferemus, clarius etiam patebit: deinde illis etiam ex damnatis proprie *Beghardis* subueniebat, quia sententias suas celare ac dissimulare, aliudque sentire, aliud ore profiteri poterant.

§. XXXV.

Fracta igitur quodammodo erat ingens illa tempestas, ex CAROLI IIII. legibus nata, quae vniuersae

Beg-

Beghardorum nationi exitium minabatur: verum tota minime sedata. *Beghardi* quo facilius Pontificem sibi propitium redderent, in libello supplici suo callide praetermiserant et celauerant ea, quae maximam illis inuidiam pariebant: nihil dixerant de vestibus, in quibus magnam sanctitatis, quam affectabant, partem collocare solebant, neque facultatem illis libere vtendi petiuerant: tacuerant singularem et inusitatam mendicandi rationem, quam plerique adhibebant: omiserant alia, et pro sodalitiis tantum suis, pro suo paupertatis et castitatis studio in vniuersum verba fecerant. Satis igitur vitiorum, quae *Inquisitores* inuadere poterant, in illis relinquebatur, tametsi auersos sese ab omni errore, et ecclesiae mandatis obedientes ostenderent. Inter haec tamen vnice fere vestimenta, neglectis et posthabitis ceteris, quae reprehendi poterant, in ius vocabantur. Conciliorum enim et Pontificum legibus quum sancitum esset, *ne qui sanctitatis opinionem insolito sibi amictu parare studerent*, *Inquisitores* flagitabant, vt, qui religionis suae innocentiam et castitatem probauerant *Beghardi*, iidem suam erga mandata ecclesiae reuerentiam sordidis et laceris vestibus suis deponendis testarentur. Quod quoniam plerisque *Beghardorum*, qui non ignorabant, quantum in veste virtutis positum sit ad imbecilliores mouendos, nullo modo persuadere poterant, alios quidem eorum communione sacrorum priuabant, alios a sacramentorum vsu arcebant, aliorum denique vestes mutilari et transformari curabant. Tot molestiarum impatientes *Beghardi*, denuo post annos aliquot, per patronos suos ad clementiam Pontificis Maximi confugiebant: qui eadem facilitate, qua hominibus ipsis consuluerat, vestimentis eorum succurrebat, eosdemque antistites, quos superiori epistola, commonebat, ne quam vestium nomine iniuriam illis inferrent, quos aliarum culparum expertes cognouissent. Hoc alterum GREGORII pro *Beghardis* edictum, vna cum EVGENII

IIII. lege, quae *Lolhardis* aut *Alexianis* patrocinatur, iamdudum publicauit celebris ille Heluetorum Iureconſultus et cantor Thuricenſis, FELIX HEMMERLIN, ſeu, vt Latine vocatur, MALLEOLVS, in libello, quem inſcripſit: *Gloſa Bullarum per Beghardos impetratarum* *): poſt hunc RVDOLPHVS HOSPINIANVS eo edendo bene ſe mereri de veteri hiſtoria poſſe putauit: ignorabat enim, quod ipſe non reticet, a MALLEOLO iam officium hoc occupatum eſſe **). Ego, ne quid hic requiratur monumentorum ad *Beghardorum* res illuſtranda, neceſſariorum, tertius, ſed emendatius, ex veteri codice id proferam.

GREGORIVS, *epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Colonienſi, Treuirenſi, Moguntinenſi, aliisque Archiepiſcopis, et tam eorum ſuffraganeis, quam aliis epiſcopis vniuerſis per Alamanniam, Brabantiam et Flandriam conſtitutis, ad quos praeſentes literae peruenerint, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem!*

Ad audientiam noſtram peruenit, quod in veſtris ciuitatibus et dioeceſibus ſint nonnulli pauperes vtriusque ſexus, qui humiliter et honeſte in fidei puritate et honeſtis veſtibus aut habitibus in paupertate et caſtitate viuunt, et eccleſias deuote frequentant. Et quod licet huiusmodi pauperes nobis et Romanae eccleſiae ac eorum

Prae-

*) Extat ille vna cum aliis nonnullis opuſculis, quibus miſere *Beghardi* exagitantur, in MALLEOLI *Operibus*, ſeu, vt index habet, *Opuſculis et tractatibus* vno volumine in *folio*, quod aiunt, minori a SEBASTIANO BRANT, A. MCCCCXVII. (manus auctoris perilluſtris hic errauit; debebat ſcribere MCCCCXCVII.) editis. Hunc annum BRANTVS in extrema dedicatione ad Hermannum, Coloniae Archiantiſtitem, indicat. In ipſo enim voluminis titulo neque annus, neque locus, quo deſcriptum eſt, nominatur.

**) de Origine Monachatus Lib. VI. c. XXXII. p. 496 ſ. Tom. VI. Opp.

Praelatis et Curatis reuerenter obediant, nullis erroribus se inuoluendo, sed, intimae caritatis amore, Deo et propter ipsum proximis seruiendo: Tamen nonnulli a vobis seu per vos ordinaria, et etiam aliqui Inquisitores haereticae prauitatis in illis partibus Apostolica auctoritate deputati, huiusmodi pauperes OCCASIONE VESTIVM, *indebite et iniuste perturbant, ipsorum vestes simplices et honestas decurtari, transformari et quandoque transmutari faciendo, nec non occasione huiusmodi vestium sacramenta ecclesiastica inhibendo, et alia grauamina inferendo, eisdem in detrimentum et damnum ipsorum pauperum et scandalum plurimorum. Quocirca fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus quilibet vestrum in dioecesi sua pauperes ipsius occasione huiusmodi eorum simplicium et honestarum vestium nullatenus molestet, nec ab aliis molestari, quantum in vobis fuerit, dum tamen fideles et catholici reperiantur, permittatis. Et si quos eorum, occasione praedicta, excommunicatos vel dictis sacramentis priuatos, vel alias indebite punitos reperietis, autoritate Apostolica praedicta vigore praesentium absoluatis, et ad sacramenta praedicta restituatis eosdem in forma ecclesiae consueta, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo. Non obstante si aliquibus communiter, vel diuisim, a sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Petrum IIII. Nonas Decembris Pontificatus nostri anno septimo.*

FELIX HEMMERLIN, a quo primum hanc GREGORII legem editam esse monui, plurimis eam animaduersionibus non declarat, verum onerat: in quibus cum multa disputat ex iure Pontificio, quae nihil ad rem faciebant, quam agebat, tum in *Beghardos* et ipsum

Pon-

Pontificem, patronum eorum, bilem suam, qua plenissimus erat, copiose effundit *). In quo nihil magis mirandum est, quam hoc, quod edictum hoc non GREGORIO XI. sed XII. tribuit, ideoque ex decimo quarto saeculo in decimum quintum transfert **). Is autem GREGORIVS, quem parentem creat huius legis, ille est GREGORIVS XII. quem cum BENEDICTO XIII. concilium Pisanum A. 1409. Pontificali dignitate indignum pronuntiauit. Hinc FELIX, quum ad exitum legis venit, in quo annus eius et locus, quo lata est, indicantur, longam et inutilem prorsus adnotationem ei subiicit: quam totam apponam, quia nonnulla complectitur, ad historiam GREGORII XII. pertinentia: *Mirari possemus, quia tantum vno anno, et mensibus quinque sedit in Papatu legitime, et quod post suam depositionem in ciuitate Pisana factam residebat in Roma anno septimo sui Pontificatus. Sciendum, quod ipse habuit continuam adhaerentiam Regis Neapolitani, de cuius permissione residebat in ciuitate Gaietana, vbi portus est maris, et consequenter in portu Venetorum. Et Romani in absentia Iohannis Papae, qui fuerat electus in Bononia, gratantissime receperunt eum in Roma. Et demum ab omnibus derelictus remansit in ciuitate Ariminensi, et ibidem creauit Cardinales et renuntiauit Papatui sub conditione inter alias, vt sui Cardinales, videlicet duo, permanerent, et hi peruenerunt in paupertate ad concilium Constantiense.* Aegre mihi persuadeo, hominem imprudentem in auctore edicti designando lapsum esse: nam EVGENIVS IIII. cuius ipse legem vna cum hac GREGORII publicauit, disertissime in ea

*) Operum fol. C. 3. 1. Nec enim numeros habent editionis huius paginae.

**) Auctorem operis *Hemmerlinum* hic temere erroris arguere, et ipsum potius lapsum esse, editor alio loco, qua decet modestia, demonstrabit.

ea scribit, *felicis recordationis Gregorium* PAPAM VNDECIMVM, *praedecessorem suum*, verum esse auctorem epistolae pro vestimentis *Beghardorum*, quam legendam dedi, immo ipsam hanc epistolam totam suae inserit. Forte igitur FELIX callide in locum vndecimi Gregorii, duodecimum, Pontificem de solio deiectum, et idcirco nullius nominis et existimationis, substituit, quo liberius in legislatorem inuehi, et legis ipsius auctoritatem tanto facilius extenuare et labefactare posset. In adnotationibus eius reliquis nonnulla sunt, ex quibus *Beghardorum* satis lucis aliquid afferri potest, quibus suis locis vtemur: cetera bonae frugis parum aut nihil continent. Suppeditabo tamen ex libro rarissimo illa, quae fortassis non omni carent vtilitate. Quum in limine epistolae suae GREGORIVS pauperes, quibus subuenit, in *ciuitatibus* collocat, occasionem capit ex hoc vocabulo FELIX lectores docendi, *Beghardos* in locis desertis natos esse, inde vero in vrbes, quo pinguius alerentur, migrasse, et, nulli Europae prouinciae molestiores esse, quam Germaniae: *Hoc genus*, inquit, *laudabile habuit, ortum ad instar sanctorum patrum et fratrum heremitarum in nemoribus morantium, sed quia in deserto non erant corpora pinguia, quibus manducarent ad saturitatem, et ideo congregabantur prout hodie ad ciuitates, vbi pane, vino et oleo multiplicati tamquam fideles Christi requiescunt. Istud hominum genus plus per Alemanniam, quam per alias mundi partes reperitur.* Non totus fallitur hic FELIX. Inter illos, qui communi *Beghardorum* vocabulo compellabantur, quidam sub COELESTINO, Pontifice Maximo, in locis a consuetudine hominum remotis sodalitatem inierant, et hinc ad vrbes progressi erant. Verum multi quoque in mediis vrbibus, et in conspectu hominum exorti erant. De quibus illi erant, quod suo loco docebimus, quos ille potissimum insectatur, *Alexiani fratres*, siue *Lolhardi* proprie dicti. Confundit, quod multi

multi etiam alii faciebant, homo praeceps diuersissimi generis familias, et omnes *Beghardos* nominat, qui mendicando rei publicae molesti erant. Quum Pontifex pauperes, quos tuetur, *deuote ecclesias frequentare* memorat, interpres quidem non audet hoc infitiari: verum, ne quis hoc illis laudi ducat, addit, eos *longas* quidem *orationes publice facere*, at *publice laborare* nolle, et improbos simulatores esse. *Numquam vidi*, ait, *aliquod genus hominum tantam similitudinem cum ypocritis habere, sicut illi. Videmus autem experienter, quod ipsi faciunt longas orationes in publico, et laborare non possunt nec volunt palam, nec in occulto ad mandatum Apostoli.* Praeceptum Pontificis de tolerandis inusitatis sectae vestimentis moderate fert FELIX, et caussam tantum reprehendit, propter quam *Beghardi* insolentiam amictus affectent. *Vsus*, ait, *non despicitur, sed abusus. Patenter isti homines vestitu se ab aliis segregant, vt suos ritus et mores aliis meliores ostendant, et dicant in cordibus suis, sicut Pharisaeus: Deus, gratias ago tibi. Luc. XVIII.* Passus sine dubio fuisset FELIX, *Beghardos* suis se vestimentis oblectare, modo laborare et mendicandi consuetudini renuntiare voluissent. Pontifex praeter illas, quas nominatim recenset, iniurias, Inquisitores et Episcopos *alia etiam grauamina* pauperibus suis *inferre* tradit: haec qualia sint *grauamina*, explicat interpres: *Vt quia eos deferebant Ordinariis locorum, aut inhibebant suis subditis, ne ipsis eleemosynas communicarent, et sic per indirectum eos compellebant ad rite procedendum vel ad recedendum.* Cetera nullius momenti sunt.

§. XXXVI.

Bina haec GREGORII edicta, omnem paene fructum legum a CAROLO IIII. et superioribus Pontificibus in perfidam *Beghardorum* gentem latarum, funditus destruebant. Nolebat Pontifex ea pauperum colle-

gia disturbari, quae nihil vel improbitatis, vel errorum alerent, et episcopos idcirco iusserat in veras rationes societatum eiusmodi sollerter inquirere, quasque criminum expertes reperissent, eas non modo tolerare, verum etiam fouere, atque contra omnes hostium et maxime Inquisitorum insultus tueri. Vtrum episcopi, eorumque administri commissam hanc a Pontifice inquisitionem negligenter et dolose obierint, an vero *Beghardi* examinantium diligentiam fefellerint, et maculas suas callide celauerint, in medio relinquendum a nobis est: hoc vero dubio caret, profuisse *Beghardis* plurimis in locis explorationem a Pontifice mandatam, iudicesque publicis litteris innocentiam et probitatem eorum laudasse. In prouincia Coloniensi et Wormatiensi hunc exitum fuisse istius negotii, ipse Pontifex maximus, EVGENIVS IIII. testatur in epistola ad Germaniae Belgiique episcopos A. 1431. IIII. Idus Maii pro *Lolthardis*, vti vocabantur, seu *Alexianis* data, quam suo loco totam producemus. *Et*, inquit ille, *sicut nuper accepimus, bonae memoriae quondam Eucharius, episcopus Wormatiensis* *), *ad litterarum praedictarum* (Gregorii XI. nimirum [illegible] vidimus) *executionem vigore ipsarum, Apostolica et quondam Iohann[illegible] Officialis Coloniensis, ordinaria auctoritatibus rite procedentes, [illegible]dum pauperes Christi fideles et Catholicos, ac virtutum et bonorum operum sectatores debita inquisitione praeuia repertos in Coloniensi et Wormatiensi ciuitatibus et dioecesibus a quibuslibet Christi fidelibus, tam Clericis,* *quam*

*) Hic EVCHARIVS sine controuersia est ECKARDVS de DERSCHE, qui A. 1377. creatus est Wormatiensis episcopus, et A. 1405. diem obiit. v. *Histoire Ecclesf. de l'Allemagne*, *Tom. I. p. 23.*

**) Minus recte hoc affirmari putamus ab auctore S. Ven. Probabilius esse, alio loco ostendemus, Gregorium XII. scripsisse epistolam, de qua quaeritur.

quam Laicis, pie confouendos per suas patentes literas diuersos et processus in se continentes publice mandauerunt. Quod in his, idem in aliis Germaniae prouinciis, etiam contigisse, veri simillimum est. Itaque de inimicis suis triumphabant *Beghardi*, atque impune, spretis tot conciliorum, Imperatoris et Pontificum decretis et legibus, res suas vbique in Germania et Belgio felicissime augebant, quosque contra se venire cernebant Inquisitores, GREGORII edictis depellebant. Atqui secunda hac fortuna multi eorum, vt fit, elati, nimis aperte veras sententias suas, quas ad tempus occultauerant, denuo proferebant, et propagare inter populos studebant. Quae temeritas quum Inquisitorum attentionem et vigilantiam nullo modo effugere posset, non pauci iterum in vincula coniiciebantur, et singulis annis per vniuersam Germaniam publice comburebantur: tam alte enim plerorumque, qui hanc sectam amplexi erant, animis opiniones eius insidebant, vt misere in flammis perire mallent, quam eas diffiteri. Testem praeter ipsum Pontificem Maximum, BONIFACIVM VIIII. quem paullo post audiemus, IO. TRITHEMIVM damus, fide sine dubio dignissimum, qui de rebus ab Inquisitore, MARTINO, nescio quo, Herbipoli et Erfurti gestis, haec scripta reliquit: *Hoc ipso anno* (1392.) *Magister Martinus, Inquisitor haereticae prauitatis a sede Apostolica deputatus, venit per Sueuiam in Herbipolim: vbi facta Inquisitione haereticos nonnullos ex simplicioribus, et rusticanis inuenit, de secta Flagellantium et Fratricellorum, quibus ad vnitatem fidei Catholicae reuersis pro salutari poenitentia crucem contra infidos Turcas imposuit, quae illo tempore praedicabatur.* De *Flagellantibus* taceo: *Fratricellos* vero hic memoratos *Beghardos* esse mendicantes, tot veterum loci et allati iam et afferendi nos dubitare non sinunt. Non iidem proprie erant *Fratricelli*, qui *fratres liberi spiritus*, seu *Beghardi* germani: verum inter *Fratricellos* latebant illi li-

bertatis, quam vocabant, defensores, et vtrique idcirco confundebantur. Satis ergo feliciter Martinus ille Herbipoli caussam ecclesiae agebat: non aeque vero bene Erfurti, vbi vehementioribus remediis opus erat. *Ex Herbipoli profectus Erpfordiam simili prauitate infectos plures inuenit, Beghardos, Beguttas et alios, quorum aliqui cremati sunt ignibus, aliqui vero poenitentiam egerunt super erroribus suis, reliqui fugam inierunt.* Fatigati igitur tot extremae pertinaciae exemplis Inquisitores, declinante saeculo, Pontifici Maximo, BONIFACIO VIIII. demonstrabant, numquam tutam et tranquillam fore ecclesiam, nisi vniuersa illa pauperum voluntariorum seu mendicantium turba, quae *Beghardorum* et *Lollhardorum* vocabulis appellabatur, tolleretur, et GREGORII priuilegia illis data, abolerentur. Credebat hoc legatis suis BONIFACIVS, ideoque A. 1394 *), qui sextus erat Pontificatus eius, noua seueraque constitutione veteres Pontificum et CAROLI IIII. leges in *Beghardos* auctoritati suae restituebat, omnemque e contrario vim GREGORII aliorumque Pontificum literis, quae *Beghardis* praesidio erant, adimebat. Latius patet hoc BONIFACII edictum, quam priora omnia tam Imperatoris, quam conciliorum et Pontificum. Edoctus enim ab Inquisitoribus Pontifex, diuersi generis sectas communi *Beghardorum* nomine notari, non vnam, verum plures, et inter illas nominatim eam condemnat, cui *Lolhardorum* vocabulum proprium erat. Quamquam hoc ipsum nouum edictum, et quae illud consequuta sunt, etiam ostendunt, BONIFACIO res *Beghardorum* non fuisse notiores, quam GREGORIO et aliis Pontificibus fuerant. Sed audiamus ipsum Pontificem:

BONI-

*) Lapsus est auctor in hoc anno definiendo. Scribendum erat 1396. v. Not. * p. 225.

BONIFACIUS, *episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam!*

Sedis Apostolicae [1]) *prouidentia circumspecta haereticae* [1]) *prauitatis labe respersis, quorum nequitia serpit, vt cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundant, remedium libenter adhibet opportunum. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum, vniuersorum Inquisitorum haereticae* [2]) *prauitatis auctoritate Apostolica per Alemanniam* [3]) *deputatorum, propositum extitit coram nobis, in partibus illis sint nonnullae sectae* [2]) *vtriusque sexus hominum, vulgo* BEGHARDI, *seu* LVLLARDI *et* ZWESTRIONES, *a se ipsis vero Pauperes Fratricelli, seu Pauperes pueruli nominati, qui in contemtum clauium contra prohibitionem* [4]) *sacrorum Canonum et sententias, praesertim contra constitutionem felicis recordationis Iohannis Papae XXII. Praedecessoris nostri, quae incipit: Sancta Romana ecclesia etc. etc. nouum religionis seu conformem habitum assumere, congregationes et conuenticula facere, in communi habitare, Superiores, quos Procuratores, vel seruos fratrum, aut Marthas sororum, nuncupant, sub ipsis eligere et publice gregatim mendicare praesumunt, sub quorum etiam habitu et ritu viuendi ante centum annos vsque in praesentiarum* [5]) *semper haereses et haeretici latitarunt, et ob id in diuersis ciuitatibus partium praedictarum fere singulis annis de huiusmodi sectis plures pertinaces iudicialiter concremantur: Et propterea piae memoriae* [1]) *Vrbanus quintus, et Gregorius vndecimus, ac plures alii Romani Pontifices praedecessores nostri, ac etiam clarae memoriae Carolus quartus Romano-*

 rum

Lectionis varietas a Cod. MS. Helmstad. suppeditata.

1) *Apostolice:* librarius e simplex nullibi non pro ae vel oe scripsit.

2) *huiusmodi haeretica.*

3) *Alamanniam.*

4) *prohibitiones.*

5) *in presentiorum*, haud dubie per errorem.

rum Imperator, huiusmodi peruersarum[6]) *congregationum vepres de agro Dominico penitus extirpare cupientes, multa statuta pro Inquisitionis officio, et commissiones cum diuersis munimentis Inquisitoribus ipsis contra huiusmodi haereticos ediderunt.*

Cum autem, sicut etiam accepimus, huiusmodi BEGHARDI, *seu* LVLHARDI, *seu* ZWESTRIONES *exemptionibus et concessionibus a sede praefata*[7]) *iactent se fulcitos, quae*[1]) *in praeiudicium fidei et sanctae Romanae ecclesiae vergere dinoscuntur: Nos igitur, quorum interest super hoc salubriter prouidere, volentes omnes et singulas exemptiones et concessiones huiusmodi eisdem Beghardis, seu Lullardis et Zwestrionibus, aut eorum alicui, vel aliquibus, in praeiudicium fidei orthodoxae*[1]) *et dictae Romanae ecclesiae per nos, vel quoscunque praedecessores nostros, Romanos Pontifices, in genere, vel in specie, sub quacunque expressione verborum forsan factas, ex certa scientia, auctoritate Apostolica tenore praesentium penitus reuocamus ac volumus, quod huiusmodi Beghardi, seu Lullardi et Zwestriones, quocunque etiam nomine nuncupentur, in et super haeresibus*[1]) *et quibuscunque aliis erroribus fidei et ecclesiae supradictae contrariis conueniri, et per Inquisitores huiusmodi praesentes et posteros iuxta formam per dictos praedecessores nostros et Karolum*[8]) *praefatum eis traditam puniri possint et debeant, exemptionibus et concessionibus huiusmodi, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino etc.* Omitto consuetam comminationem, per quam omnia Romanorum Pontificum edicta vulgo terminari solent. *Dat. 2. Kal. Febr. anno sexto Pontificatus nostri*[9]).

§. XXXVII.

6) *peruersorum.* perperam.

7) *prefata,* per errorem.

8) *Karulum.*

9) Verba comminationis pontificiae, vti et haec, *Pontificatus nostri*, absunt.

§. XXXVII.

Noua ista lex quot et quanta Germanorum *Beghardis* incommoda et mala intulerit, antequam exponam, placet, quantum licebit, quid eidem hominum generi sub id ipsum tempus in Gallia euenerit, commemorare. Tanta, quod multa docent, copia eorum Galliam numquam inuasit, quanta Germaniam inundauit. Terruisse homines videtur, ne audacius inter Gallos disciplinam suam proferre studerent, triste exemplum sororis MARGARETHAE PORRETAE, quam A. 1310. Lutetiae Parisiorum combustam esse, suo loco iam commemorauimus. At subinde tamen passim apparebant, qui aut nomine, aut sententiis affines illis, et eiusdem monetae videbantur. Quo tempore igitur VRBANVS V. Imperatorem CAROLVM IIII. inflammabat ad *Beghardos* exterminandos, eodem fere Gallos, inter quos ipse habitabat, exhortabatur, vt perniciosissimae sectae resisterent. Legitur epistola eius Auenione III. Non. Septembris A. 1365. data ad omnes et praesules et Inquisitores in Gallia apud ODOR. RAYNALDVM, cuius exordium transscribam *): *Ad audientiam nostram fide digna relatione peruenit, quod quidam filii Belial vtriusque sexus, qui Beguardi seu Beguini vulgariter nuncupantur, et sub ouina pelle lupinam feritatem abscondunt, multis erroribus detestabilibus inuoluti, in diuersis ciuitatibus, castris, villis et locis regni Franciae latitantes, nonnullos fideles (praesertim simplices) a via veritatis auertere, et secum in gehennam trahere moliuntur.* Quo autem illi, quos hac epistola VRBANVS animat, commissum munus felicius et certius administrarent, simul *informationem de locis, vita, conuersatione ac erroribus Beghardorum sub bulla sua*, quod ipse significat, ad episcopum Parisiensem mittebat, *cuius ipse copiam distribuere inter reliquos episcopos et Inquisito-*

*) Annal. Eccles. ad A. 1365. n. 17. p. 447. Tom. XVI.

sitores debebat. *Informatio* haec, vti appellatur ab VRBANO, dignior luce fuisset illa generali epistola, quae nihil alicuius momenti continet: et vidit eam, legitque, quod ipse non reticet, RAYNALDVS inter litteras secretiores Pontificis. Quum igitur eam edere noluerit, qui tot alia multo minoris, immo nullius, vtilitatis monumenta ex tenebris protraxit, in hanc paene suspicionem venio, aut ipsum, aut censores *Annalium* eius existimasse, e re non esse ecclesiae, vt ea in vulgus exeat. Parisiensis episcopus, quem, vt ait RAYNALDVS, *Pontifex auctoritate instruxit ad Beghardos delendos*, STEPHANVS IIII, tum erat, cognomento de PARISIIS: qui quum VRBANO et ipsam dignitatem suam, et magna beneficia deberet, sine dubio voluntati eius pro viribus paruit. Et haec forte caussa est, propter quam in epitaphio:

Fautor egenorum, DAMNANS HAERESES REPROBORVM appellatur. Quamquam in historia eius, quam *Galliae Christianae* scriptores, Monachi Benedictini, nobis dederunt *), nihil prorsus, quod ad hoc negotium referri possit, commemoratum legitur. Sed quae huius praesulis et ceterorum, quos animauerat VRBANVS, opera fortassis effecerat, ea post paucos annos gens inexhaustae temeritatis euertere nitebatur. Scilicet quum per vniuersam Germaniam, et Imperatoris et Pontificis auctoritate, conquirerentur et vexarentur *Beghardi*, salutique propterea suae fugiendo consulerent; quidam etiam eorum in illam Galliae partem, quam *Insulam Franciae* nominant, migrabant, et Lutetiae in primis Parisiorum considebant. Hi, vt erant, disciplinae suae propagandae cupidi, motus in populo ciebant, nec paucos in sententiarum suarum amorem inducebant. Inquisitores itaque, qui se solos propulsandis formidolosis hisce aduersariis impares esse videbant,

et

*) Galliae Christianae, Tom. VII. p. 136. f.

et Regem, qui tum Francis praeerat, CAROLVM V. et Pontificem maximum, GREGORIVM XI. in auxilium vocabant. Et Regem quidem facilem et promtum inueniebant ad omnia, quae cupiebant, facienda: qua de re et ipſum Pontificem, quem paullo poſt audiemus, et alios aeque certae fidei teſtes habemus. Primum ROBERTVS GAGVINVS, rerum Francicarum non ignobilis ſcriptor, Regis ſtudium in delendis illis eccleſiae inimicis, his verbis commendat *): *Superſtitionis quoddam genus eodem tempore a Turlupinis (hoc enim erat haereticis nomen) qui ſe de ſocietate pauperum vocitari gaudebant, ortum, finem cepit. Crematis eorum veſtibus et libris in foro ſuillo extra Sancti Honorati portam. Iohanna autem Dabentona et cum ea altera, cuius nomen hiſtorici non tradunt, eiusdem ſectae in primis profeſſores comburuntur. Hic autem, quem ſine nomine ponimus, cum ante damnationis eius ſententiam in carcere mortem obiiſſet, dies quindecim in aggere calcis, ne putreſceret eius cadauer, aſſeruatus eſt, et die ad ſupplicium praeſcripto crematus.* Qui *Turlupini* hic vocantur, a *Beghardis* non differre, ſtatim oſtendemus: nunc tantum animaduertamus, ex GAGVINO colligi poſſe, pleroſque horum hominum reſipuiſſe, et binos tantum, vnum marem, vnamque foeminam, pertinaciae ſuae in rogo poenas dediſſe. Illi enim, quorum veſtes crematas eſſe dicit ante portam S. Honorati, ſine dubio ad ſaniorem mentem reuocari ſeſe paſſi erant. Verumne hoc ſit, neque plures, quam bini, quos indicat, igne abſumti fuerint, dubium faciunt illi, quos iam teſta-

*) Compendio ſuper Francorum geſtis, Lib. VIIII. fol. LXXXIX. *Vtor editione huius hiſtorici antiqua, quae* Pariſiorum in Gymnaſio, *vt in fine legitur*, A. MD. in folio, quod aiunt, minori *per Tielmannum Karver* nitide expreſſa eſt. — Haec Gaguini verba Raynaldus, Annal. Eccleſ. ad A. 1373. num. 21. Tom. XVI. p. 521. itidem attulit; cuius tamen lectio a Moshemiana nonnihil diſcrepat.

testabimur, loci: qui numerum quemdam periisse, significare videntur. Annum Tragoediae huius omittit historicus: sed constat aliunde, eam A. 1372. actam esse. CAROLVS nempe du FRESNE *), aut Monachi potius Benedictini, qui opus eius locupletarunt, ex Annalibus vetustis carmine exaratis locum afferunt, quo hic annus clare exprimitur:

L'an MCCCLXXII. je vous dis tout pour voir
Furent les Turelupins condamnez à ardoir.

Haec verba, nisi me fallit opinio, multitudinem quamdam, non duos tantum, vltimo supplicio affectos fuisse, docent. Ipse deinde Du FRESNIVS ex antiquis rationum tabulis obseruat, Regem litteris d. 2. Febr. A. 1373. datis, IACOBO de MORE, Inquisitori Insulae Franciae, decem libras Parisienses numerari iussisse, quod is in capiendis et coercendis vtriusque sexus *Turlupinis* summam diligentiam adhibuisset, multosque sumtus fecisset. Quum sub initium A. 1373. praemium iam superati laboris acceperit, qui primas in hac fabula partes sustinuerat, certum est, praecedenti anno, isto iam labore eum functum fuisse. Rege ipso tardior erat Pontifex ad ministrorum suorum desideriis et precibus obsequendum: negotium nempe paene confectum iam erat, quum litteris ad Inquisitores, ad episcopos, et ipsum Regem scriptis, sequenti anno illud promoueri studeret. Primum Inquisitorum quidem vigilantiam et feruorem laudabat, at simul tamen eos iubebat *omnes Turlupinos, seu Beghardos, quos sponte criminis poeniteret, in gratiam ecclesiae admittere.* RAYNALDVS, qui vnus huius mandati meminit **), eum *clementia rigorem temperare voluisse* hac ratione, monet. Scilicet communi

*) Glossario ad scriptores mediae et infimae Latinitatis, s. v. *Turlupini*, Tom. VI. p. 1351.

**) Annal. Eccles. ad A. 1373. §. 19. p. 520. Tom. XVI.

muni ecclesiae more illos etiam, qui bono animo et voluntarie ad officium redibant, poenitentiam publice profiteri, notasque admissi quondam erroris ad tempus circumferre oportebat: hac eos ignominia et poena liberabat Pontifex, si mentem ego historici assequor. Deinde idem *vniuersos Principes, vrbium magistratus, ac viros nobiles Francos Belgasque pio ardore*, vtimur RAYNALDI verbis, *accendebat, vt ad delenda eiusmodi religionis opprobria studium viresque conferrent.* Vtramque hanc epistolam luce donare aut noluit RAYNALDVS, aut non potuit: tertiam vero ad ipsum Regem *Auenione d. VI. Kal. Aprilis* 1373. datam, integram in Annales suos retulit. Ea primum de negligentia ministrorum regiorum et ciuium in iuuandis Inquisitorum conatibus, Pontifex conqueritur: vnde patet, fuisse et in Gallia Beghardis amicos et fautores plurimos: deinde pietatem Regis praedicat, quod ab Inquisitoribus monitus, sine mora hostibus illis ecclesiae bellum intulisset: postremo multis verbis et rogat, et suo iure poscit, vt, qua *Beghardos*, eadem seueritate Waldenses in Delphinatu libere exultantes, ecclesiamque turbantes, Rex comprimat. Quidam *Beghardorum* ex Gallia in vicinos Allobroges transierant: igitur et ad Amadeum, Sabaudiae comitem, quod ABRAH. BZOVIVS memoriae prodidit *), scribebat Pontifex, ne inultos eos et impunitos in terris suis viuere pateretur. Ab hoc tempore cum fiducia quadam *Turelupini*, seu *Beghardi* in Gallia et Allobrogibus, errores suos spargere non ausi sunt: neque his, quae iam memorauimus, in Annalibus Francorum, recentiora exempla exstant poenarum ab huiusmodi hominibus sumtarum. Quare GAGVINO et aliis, quos nominare necesse non est, fidem minor habendam esse, quum dicunt CAROLVM V. sectam Turlupinorum in Gallia extinxisse. Negat hoc ISAACVS

*) Annal. Eccles. Tom. XIV. p. 1398. ad A. 1372. §. VII.

CVS de BEAUSOBRE *), verbis GERSONIS fretus, qui sua aetate non defuisse Turlupinorum sectatores, scriptum reliquit. Verum, vt omittam, non tradere GERSONEM, Turlupinos illos in Gallia versari, clarissime idem testatur, latebras id genus hominum quaerere, et lucem studiosissime fugere: ex quo apparet, eos nusquam conuentus egisse, nusquam turbas et motus in populo concitasse, nusquam Inquisitoribus et magistratibus puniendi occasionem dedisse. Quaecumque sectae in tenebris serpunt, et aures oculosque hominum, quantum possunt, fugiunt, illae certo modo deletae et sublatae dici, et rei publicae saltim mortuae videri possunt.

§. XXXVIII.

Restat, antequam ad reliqua *Beghardorum* fata progrediar, vt id, quod paullo ante pollicitus sum, testatum faciam, *Turlupinos* illos, quos CAROLVS V. Francorum Rex, tolli iussit, aut illos ipsos esse, quos Belgae et Germani *Beghardorum* nomine compellabant, aut saltim eadem, quae *Beghardi*, disciplinae suae fundamenta et initia subiecisse. Id tanto plus vtilitatis habebit, quanto incertiora sunt, quae de *Turlupinis* a multis traduntur: quorum alii non vltimum illis inter oppressae veritatis testes locum concedunt, alii inter profligatos, et ab omni pudore relictos homines, eosdem collocant. Est apud PETR. BAYLIVM de *Turlupinis* locus **): verum sterilis, ieiunus, et ex nullius fidei scriptoribus magnam partem congestus: in quo cum alia insunt vitia, tum hoc potissimum, quod PRATEOLI, scriptoris inepti et iudicio vacui, testimonium de *Turlupinorum* obscoenis moribus pro verbis GERSONIS, qui nihil eius rei scripsit, lectoribus obtruditur. Ceteri, qui,

*) Dissert. sur les Adamites, P. II. p. 385.

**) Dictionaire Histor. Crit. Tom. IIII. p. 2777.

qui aut dedita opera, aut praetereundo de illis agunt, non multo plus commendari merentur. Quemadmodum vocabulum *Turlupinus* scribi debeat, vtrum *Turelupinus*, an *Turpelinus*, an *Tirelupinus*, vti FRANC. RABELAISIVS *) enuntiare solet, viderint alii. Sepono etiam disputationes de origine et vera potestate huius nominis. Inspiciant, quibus virorum doctorum coniecturas expendere placet, CAROLVM du FRESNE **), AEGID. MENAGIVM ***), et ISAACVM de BEAVSOBRE ****). Mihi quidem nulla earum probabilitati vicina, quaedam manifesto falsae, et sine ratione excogitatae videntur. Ad homines ergo ipsos venio, quos vulgus (populi enim conuitium esse non dubito) hoc nomine hodie obsoleto notare et infamare voluit. Hos inter et Germanorum *Beghardos* nihil interesse, clare primum ipse Pontifex maximus, GREGORIVS XI. in epistola ad Regem, CAROLVM V. apud ODOR. RAYNALDVM †) indicat. *Audiuimus, fili carissime, quod hostis humani generis — — in regni tui — — aliquibus partibus, in nonnullis personis vtriusque sexus, praesertim* DE SECTA BEGARDORVM, QVI ALIAS TVRLVPINI DICVNTVR, *sparsit semen pestiferum multiplicis haereticae prauitatis: quodque ingens tua deuotio de iis aliqua sentiens ab Inquisitoribus haereticae prauitatis eiusdem, feruenter incoepit circa ea regiae potestatis remedia adhibere: de quo eam dignis laudibus commendamus.* Hoc Pontificis testimonium, quo nihil fieri clarius et illustrius potest, praeter alios IOH. GERSON, vir rerum Gal-

*) vid. Du CHAT in Adnotat. ad Operum Rabelaisii Proleg. p. XXXVI. Tom. I.

**) Glossario Lat. med. Tom. VI. p. 1351.

***) Origines Françoises, v. Turlupin, p. 708.

****) Differt. sur les Adamites, P. II. p. 384. f.

†) Annal. Eccles. ad A. 1372. §. 19. p. 520.

Gallicarum in primis gnarus et minime leuis, praeclare firmat. Nam et *Turlupinos* cum *Beghardis* sociat, et ea Turlupinis tribuit, quae ab aliis Beghardis tribuuntur. Quum de damnis disputat, quae theologia mystica perperam intellecta parere potest, exemplum a Beghardis et Turlupinis sumit *). *Denique compertum est, multos habere deuotionem, sed non secundum scientiam, quales procul dubio pronissimi sunt ad errores, etiam supra indeuotos, si non regulauerint affectus suos ad normam legis Christi: si praeterea capiti proprio, propriae scilicet prudentiae, inhaeserint, spreto aliorum consilio. Hoc in* BEGARDIS *et* TVRELVPINIS *manifestum fecit experientia. Dum itaque sequebantur affectus suos sine regula et ordine, postposita lege Christi, praesumptio nequissima praecipitauit eos, vt dicerent, hominem, postquam ad pacem tranquillam spiritus peruenisset, absolutum esse legibus diuinorum praeceptorum, quam patem in eis causabat angelus Satanae.* Eamdem igitur, quod haec verba clarissime docent, *libertatem spiritus* defendebant, et discipulis suis praedicabant *Turelupini*, propter quam *Beghardi* fratres liberi spiritus nominabantur. Atque haec detestanda *libertas* eodem ex fonte nascebatur, vnde illa *Beghardorum* manabat; ex praeceptis nimirum mysticis, et impio quodam pietatis genere. Geminus huic est, tametsi breuior, locus in *Sermone die festo S. Ludouici* recitato **): quo quidem GERSON, auctore Quinctiliano, praeceptores studiosae iuuentutis monet, ne patiantur eam spurcis sermonibus adsuescere: *Quarto, plurimus ei* (praeceptori) *de honesto ac bono sit sermo: contra illos, qui ignominiosas partes corporis et actus nefandos non solum aperta impudentia nominare audent, sed impudentiori animositate,*

hoc

*) Consideration. Theologiae Mysticae, Tom. III. Oper. p. 369.

**) Oper. Tom. III. P. III. p. 1435.

hoc ex rationis persona fieri licere contendunt: non considerando, quod haec dicendo corruunt in errorem BEGARDORVM *et* TVRILVPINORVM, *qui de nulla re naturaliter data erubescendum esse dicebant, quemadmodum et Cinici philosophi, more canum, dicebant esse viuendum palam in induitate* (sanumne satis hoc est vocabulum? quid, quaeso, est, *induitas membrorum?* Mihi quidem substituendum esse videtur, *nuditate*) *et exercitio membrorum pudendorum, quos increpat Tullius.* Per hunc locum GERSONIS, nisi totus fallor, vnice induci sese passi sunt PRATEOLVS et reliqui, a quibus memoriae proditum est, *Turelupinos* nudos et sine vestimentis in publicum prodiisse, et in foris et viis cum mulieribus concubuisse. Cynicos enim quum hic GERSON ad latus ponat Turilupinorum, existimarunt, aeque hos impudentes atque turpes fuisse, atque illi Graecorum philosophi, cum quibus comparantur, fuisse dicuntur. Sed videbunt facile, qui attenti verba, quae descripsimus, legerint, GERSONEM minime tradere, Turelupinos Cynicorum turpitudinem imitatos fuisse, sed diserte vtriusque partis sententias et mores distinguere. Cynici canum more membra pudenda ostendebant et adhibebant: Turelupini vero hoc tantum statuebant, *de nulla re naturaliter data erubescendum esse.* Quae duo, quod euidens est, valde inter se distant. Erant nempe, quod multis certum est testimoniis, inter *Begardos* nonnulli, qui pudorem inter peccati fructus referebant, hominique ad supremum perfectionis gradum aspiranti, eo nitendum esse contendebant, vt sine commotione et spectare ipse, et spectanda dare aliis possit, quae vulgo homines diligenter tegunt et abscondunt. Illi vero, qui sic sentiebant, tantum aberat, vt libidini publice obtemperarent, vt potius castissimi et libidinis nescii videri vellent. Iungam his locis binos alios, quibus *Begardorum* nomine omisso, solos *Turelupinos* in medium

dium profert GERSON. Alter hic est *): *Nonne Cham maledictus fuit, et vilis seruus, solummodo quia vidit secretas et obscoenas Patris sui Noe partes, non eas tegendo? Iste error etiam error erat Thurelupinorum sustinentium, quod esset status innocentiae et summae perfectionis in terra. Quomodo res magis irrationabilis rationi potuit imponi?* Hic Turelupinis solis ea, quae praecedenti loco simul etiam *Begardis* tribuitur sententia: qui membra pudenda et videre et monstrare non vereantur, eos ad illum innocentiae et perfectionis statum, in quo primi vixerunt mortales, semet ipsos extulisse. Si nullum ad hunc errorem crimen et delictum accessisset, grauior tamen ille et atrocior erat, quam vt condonari potuisset: verum erant in hoc grege homines scelerati et libidinosi, qui per eum sensim mulieribus voluntatem peccandi, et flagitia quaeuis audendi subiiciebant. Hac de re alter agit locus **): *Sicut nulla est vehementior, quam luxuriosa libido, sic ad errandum falsumque docendum nulla perniciosior. Patuit in sectis Turelupinorum, quorum sequaces non desunt vsque hodie, quando et vbi latere putauerint, serpunt vbilibet. Epicuraei sub tunica Christi, qui mulierculis primo deuotionem fingentes specie tenus, paulatim eis fidem, tamquam lumen et oculos, tollere quaerunt, quatenus eas licentius ad desideria sua maligna prostituant. Non est nostrum, foeditates horrendas detegere, considerantes illud Apostoli: Quae in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere.* Haec vna GERSONIS accusatio sufficit ad eos refellendos, qui perhibent, *Turelupinos* nudos incessisse, seu, vt HENR. SPONDANI verbis vtar ***), *puden-*

*) Tract. contra Romantium de Rosa, Tom. III. Opp. p. 306. 307.

**) De examinatione doctrinar. Consider. VI. Tom. I. Oper. p. 19.

***) Continuat. Annal. Baronii, Tom. I. ad A. 1373. n. XIIII. p. 580.

pudenda sine tegumento ostentasse ac turpiter bestiarum more coiuisse propalam. Veterum scriptorum, qui sectae huius mentionem fecerunt, nemo vnus id tradidit: at recentiores, et recentissimi etiam viri graues et eruditi *), magno numero tamquam explorato cognitum referunt: Quibus, quod mireris, acutus ille popularium errorum censor, PETR. BAYLIVS **), adsentiri non dubitat. Homo nimirum ad credendum alioquin tardissimus, quippe qui dubitandi disciplinam profiteretur, promtus tamen erat ad ea recipienda, in quibus lasciuus calamus exultare et iocari poterat. Turbat quidem eum nonnihil id, quod ex GAGVINO paullo ante accepimus; vestes *Turelupinorum* Lutetiae Parisiorum combustas esse. Quomodo, quaerit, vestes hominum cremari potuerunt, qui vestibus non vtebantur ***)? Sed hunc scrupulum, consilio suo vehementer aduersum, confestim ex animo eiicit, et ingeniose depellit. Si GERSONIS, quae legimus, verba legisset et expendisset, aut difficilius responsionem inuenisset, aut sententiam mutasset. Is, vir grauis, Turelupinorum hostis, et aequalis, rerum denique patriae suae peritissimus, in tenebris et occulte admissa esse ab illis crimina, quorum arguebantur, tradit, religionique sibi ducit ea manifestare. Haec profecto nec scripsisset, nec scribere potuisset, si nudos sese populis ostendissent, et publice corpora in venerem soluissent? Adde his operam et sagacitatem, quam Inquisitores adhibuisse leguntur, in hujus sectae hominibus exquirendis et inuestigandis. Qua cura et solertia quid, quaeso, opus fuisset, si *Turelupini*

 sine

*) v. Du PIN Biblioth. des Auteurs Eccles. Siecle XIIII. p. 130. GEORG. IOSEPH. EGG Purpura docta, Lib. II. p. 442. Du HAILLAN Histoire de France, p. 854.

**) Diction. Hist. Crit. Tom. IIII. p. 2777.

***) Comment accorder avec ces habits, que l'on brûla, ceux qui disent, que les Turlupins alloient nuds?

sine vestibus omnium sese oculis exposuissent, et nefandis facinoribus publice committendis, hostium in manus se ipsi tradidissent? Igitur recte a doctissimo viro, ISAACO de BEAUSOBRE castigantur, qui de his hominibus ea, quae diximus, credere non dubitant *): sed quod idem eos, qui principes turpem hanc fabulam narrarunt, malitiosos fuisse calumniatores arbitratur, qui mendacio piis et bonis hominibus inuidiam conflagrare voluerint, id meum facere non audeo. Ego non tam malo consilio cuidam, quam incuriae et negligentiae errorem hunc tribuo. Ante GABRIELEM PRATEOLVM, Parisiensem doctorem, quem saeculo decimo sexto vixisse constat, nemo *Turelupinis* amentiam illam exprobrauit: et ex huius *Indice haereticorum* ad sequentes scriptores vnice criminatio haec deriuata est. Quo tempore vero scribebat PRATEOLVS, eo nulli amplius eius nominis haeretici superstites erant; nec idcirco necesse erat, vt temere infamarentur, a quibus nullum imminebat periculum. Atqui homo hic parum prouidus quum IO. GERSONEM segniter legeret, eumque Turelupinos, quod ante vidimus, cum Cynicis conferre videret, existimabat, quae de Cynicis GERSON tradit, ea Turelupinis etiam ab illo tribui, et propterea obscoenos Cynicorum mores in hos transferebat. Peccabat ille, quod verba, quae paullo ante produximus et illustrauimus, demonstrant: sed non valde peccatum eius miror. Eo enim modo GERSON loquitur, vt incautum, qualis certe PRATEOLVS erat, lectorem fallere facile queat.

§. XXXVIIII.

Vt vero ex his et verborum et rerum testimoniis certum sit, *Beghardos* nomine tantum ab illis discrepare, quos Gallica plebs *Turelupinos* vocabat: ipse tamen GER-

*) Differt. sur les Adamites, P. II. p. 385. f.

GERSON poscere a nobis videtur, vt statuamus, *Turelupinos* habuisse quaedam singularia, quae non omnium *Beghardorum* fuerint. Sociat ille quidem *Turelupinos* et *Beghardos:* sed qui hac ratione sociantur, illi simul quodammodo dissociantur. Praeterea nonnullis in locis solum ponit *Turelupinorum*, aliis solum *Beghardorum* nomen: et de vtrisque ita disserit, vt indicare, obscurius licet, videatur, esse nonnihil, quod eos disiungat. Id, quale sit, perspexisse sibi videntur HENR. SPONDANVS et ABRAH. BZOVIVS *), quos recentiores non sequi tantum, sed exscribere etiam solent. Vterque *Turelupinos* quatuor flagitiis *Beghardorum* errores, quibus imbuti fuerint, auxisse perhibet. Ex his secundum et tertium *nuditas* sunt *corporum*, et *publicus concubitus:* quae duo quum paullo ante falso illis attribui, ostensum sit, denuo vt tangantur, necesse non est. In vltimo errore, quo *Turelupinos* distinctos fuisse autumant a reliquis *Beghardis*, pariter falluntur. Est autem hic: *Voce non esse orandum, sed solo corde, eaque spiritus libertate, quae diuinis legibus subiecta non sit*, Haec sententia omnium est *Beghardorum*, qui a cultu Dei externo homines auocabant, eaque re sanctis animi motibus, non verbis, Deum adorandum esse, praecipiebant: quare qui solis eam *Turelupinis* propriam fuisse, *haereticorum indicibus* credunt, rerum Beghardicarum ignaros sese demonstrant. Restat primum crimen: *nihil pudere quemquam debere eorum, quae a natura accepimus*. In hoc vno positum ego esse arbitror discrimen illud, quod eos, qui Gallis *Turelupini* nominabantur, a reliquo *Beghardorum* grege secernebat. Gens nimirum haec, tametsi ex vno sua fonte hauriebat, et vnum vniuersa bonorum finem habebat, tamen in definiendis perfectionis et libertatis, quam appetebant, gradibus non

 inter

*) Ille Annal. Ecclesf. ad A. eund. ann. Tom. XIIII. p. 1372. Tom. I. p. 580. hic ad 1328.

inter se consentiebat, et in sectas veluti quasdam diuidebatur. Inter hos vna, quod testimoniis suo loco non contemnendis ostendetur, existimabat, eos demum de intima cum supremo Numine coniunctione certos esse, et amissam per primorum mortalium peccatum innocentiam recuperasse, qui nudos alterius sexus homines sine commotione et sensu videre et complecti possent, omnemque adeo verecundiam, ex tristi illo lapsu natam, exuissent: ad quam fortitudinem vt suos ducerent, paullatim eos et facere et pati docebant, quae, ex omnium gentium sententia, honestati et humanae naturae dignitati repugnant. Ex hoc *Beghardorum* genere erant, si quid fidei est in GERSONIS et aliorum dictis, qui iussu CAROLI V. Gallorum Regis, inuestigabantur, populique conuitio *Turelupini* dicebantur. Non omnes, quos turpissima haec amentia inuaserat, flagitiosi et spurci homines erant: sunt enim inter infensissimos eorum hostes, qui ingenue fatentur, quosdam adeo obduruisse et percalluisse, vt cum nudis et inter nudas sine omni crimine versari, et naturae impetum continere potuerint. Quorum quidem hostium vnus, IO. NIEDERVS, quum rem ipsam, quam diximus, in dubium vocare non posset, et vel naturae, vel opinionis vim tantam constantiam gignere posse, haud putaret, malum genium virtutis illius auctorem facere, quam laudis aliquid *Beghardis* concedere malebat. *Et credo*, ait *), *insuper, quosdam ex eis, qui principales in perfidia fuerunt, Daemonis opere tunc affectos fuisse, ne mouerentur ad naturales et plenos actus incontinentiae, vt exinde coecati se passioni eidem crederent, et aliis persuaderent, se penitus mortuos esse. Facillimum enim est daemonibus infrigidare.* Verum multos illud animi robur, quod se consequutos esse putabant, quum periculum eius facere vellent, destituebat, vt inuiti delinquerent:

*) In Formicario seu de visionibus, Lib. III. cap. V. p. 346.

rent: alii libidinosi et scelerati homines ideo ad hanc disciplinam sese adiungebant, vt quas religionis et pietatis obtentu impudentes reddiderant, eas postea stuprarent et polluerent.

§. XXXX.

Hanc sententiam meam aegre sibi persuaderi passus fuisset, qui de *Turelupinis* non ita pridem ex instituto disputauit ISAACVS de BEAUSOBRE, vir ingeniosus, disertus, et eruditus, verum, meo quidem iudicio, nimis ad omnes illos purgandos et defendendos propensus, quibus ante instauratae religionis tempus Romani Pontifices bellum inferri voluerunt: quos inter tametsi multi sine dubio fuerunt pii et Dei amantes viri, extiterunt tamen et alii vecordes et deuii, quibus ne illi quidem locum in ciuitate concederent, qui hodie liberum faciunt omnibus, quemadmodum de Deo sentire velint. Is ergo non diffitetur quidem, mysticae, quam vocant, sapientiae professores quosdam, propius a summa turpitudine et impudicitia abfuisse: idem vero *Turelupinos* negat rei aliquid cum illis habuisse; hos enim Waldenses fuisse coniicit, quos Romani Pontificis satellites, quo securius eos comburere possent, fictis criminibus et infamiae nota deformauerint *). Ab hac virum eximium coniectura vel sola IO. GERSONIS auctoritas reuocare poterat, viri minime leuis, nec vel Pontifici vel Inquisitoribus immodice fauentis, qui, quae *Beghardis* tribuit, non ex ore vulgi, sed ex ipsis eorum libris didicerat. Neque parui momenti est ad eam destruendam GREGORII XI. ad CAROLVM V. Francorum Regem, epistola, quam ODOR. RAY-

 NAL-

*) Dissert. sur les Adamites, P. II. p. 384. s. quae dissertatio subiecta est IACOBI LENFANTII *Historiae belli Hussitici et concilii Basileensis*, Gallice Amstelod. 1731. 4. editae.

NALDVS *) edidit. Ea enim Pontifex diligenter et accurate *Turelupinos* distinguit a *Waldensibus*: collaudat Regem, quod illos ferre nolit, et exstirpare iusserit: at molestissime fert, eum Waldenses in prouinciis, maxime in Delphinatu, dogmata sua promulgare pati, multisque verbis rogat, vt hos eadem, qua *Turelupinos*, seueritate coerceat. Haec quis legere, et credere tamen potest, *Turelupinos* et *Waldenses* nulla re, nisi nomine, inter se differre? Denique neque hoc spernendum est, quod GAGVINVM tradere vidimus, *Turelupinorum* etiam vestes Lutetiae Parisiorum combustas esse: ex hoc enim liquet, inusitatis vestimentis hos homines vsos fuisse. Atqui Waldenses non accepimus, religionis et sanctitatis aliquid in vestimentis posuisse, quemadmodum *Beghardos*: non alius illis amictus erat, quam is, qui ciues inferioris conditionis decere putabatur. Nihil horum in mentem venit viro doctissimo: qui, vt animo suo, ad miseros excusandos prono, morem gerat, praesidia quaedam sententiae suae comparare studet, quae vel leuiter tacta diffluunt. Primum animaduertere nos iubet id, quod multi dudum monuerunt, Waldenses diuersis nominibus in diuersis regionibus appellatos fuisse, et horum nominum vnum vocabulum *Turelupinorum* esse. Credam, ne longus sim, hoc ita sese habere, tametsi nonnulla et in auctores huius obseruationis, et in rem ipsam disputare possem. Credam igitur, *Turelupinorum* conuitium, vti alia, etiam in Waldenses alicubi iactum fuisse. Ex hoc autem quemadmodum confici possit, illos, quos CAROLVS V. infectatus est, *Turelupinos* nullos esse alios, quam Waldenses, non intelligo. Satis noti erant inter Francos *Waldenses*, qui et *pauperes de Lugduno* nominabantur: noti erant iidem Inquisitoribus, qui eos a reliquis ecclesiae hostibus prouide secernunt, et ceteris haereticis meliores esse, non diffi-

*) Annal. Eccles. ad A. 1373. p. 520. 521.

dissitentur: ecquid ergo caussae indocere potuit Francos, vt, communi et trito vocabulo seposito, Waldenses, GREGORII XI. tempore, Turelupinos vocarent? eo, inquam, tempore, quo Waldenses, quod ex GREGORIO XI. paullo ante accepimus, magno numero vbique degebant, a multis defendebantur, et vulgo Waldenses nuncupabantur. Certum est, vt paucis omnia complectar, nomina haereticorum, illa maxime, quae ignominiosa erant, ad plures sectas translata fuisse, quod vel solum vocabulum Beghardus extra controuersiam ponit: sed mala haec consuetudo, quae multum confusionis peperit, nos minime mouere debet, vt omnes, qui iisdem vocabulis notantur, eiusdem generis et ordinis fuisse iudicemus. Waldenses, vt in his maneam, Beghardi etiam, et Lolhardi nominantur interdum; vehementer vero errabit, qui hinc patere sibi persuadebit, omnes, qui Beghardi et Lolhardi audiunt, Waldenses fuisse. Huic principi argumento quatuor addit alia vir eruditus, quem amicum olim colui, et post fata etiam veneror. Primum, HAILLANVS, recentior Gallorum historicus, non valde celebris, dicit, Turelupinos reliquias fuisse illorum, qui Pauperes vocabantur *). Quis vero ignorat, Waldenses Pauperum tulisse nomen? Igitur dubitari non potest, Turelupinos fuisse Waldenses. Mittam HAILLANVM, cuius verba vir egregius mutilat, vt melius sententiae suae conueniant: at alium **) in eius locum substituam, testem meliorem et antiquiorem, ex quo sua promsit, GAGVINVM nimirum. Is haec habet: *Turelupini se de societate pauperum vocitari gaudebant.* Esset in his verbis vis quaedam ad id, quod demonstratum vult vir doctus, si nulli alii paupertatem affectassent, et pauperes dicti fuissent, quam Wal-

*) C'étoient des restes de ceux, qui portoient le nom des PAUVRES.

**) Ab illustris auctoris manu est *illum*, quod locum habere posse, dubitauit editor.

Waldenses. Sed notissimum est, illos ipsos *Beghardos*, ad quos GERSON Turelupinos cum aliis refert, Waldensibus pauperiores, non pauperes tantum, sed mendicos etiam fuisse, atque *pauperum fratrum* appellationem gloriae sibi duxisse. Felicius igitur ex GAGVINO et HAILLANO probes, Turelupinos Beghardos, quam Waldenses, fuisse. Alterum argumentum: Turelupini iidem sunt, qui *Bougres* in Francia vocabantur: at hoc nomen etiam Waldensibus imponebatur. Itaque hos ab illis non differre, credendum est. Vtrum Waldenses vmquam *Bulgari*, siue *Bougres*, vt Galli pronuntiabant, vocati sint, nescio, immo valde dubito, quia nullum vidi adhuc eius rei testimonium: hoc vero scio, illos, qui alioquin *Albigenses* et *Cathari* dicebantur, *Bulgaros* etiam appellatos fuisse, quia sectae principes ex Bulgaria venerant: quod quidem du FRESNIVS multis veterum locis probauit *). Aeque incertum est, ne quid grauius dicam, an *Turelupini Bulgarorum* vocabulo nonnumquam notati sint. Vir doctus patere hoc putat ex eo, quod is, qui Turelupinos vexauit, *Bulgarorum Inquisitor* apud du FRESNIVM dicitur **). Verba haec sunt: *A Frere Jacques de More, de l'Ordre des Freres Preschours, Inquisiteur des Bougres de la prouince de France — — — pour recompensation de plusieurs paines — — en faisant poursuite contre les Turlupins et Turlupines.* Ego quidem in his verbis vocabulo *Bougres* eam potestatem impono, quam semper fere habet, et hominem, de quo sermo est, Inquisitorem Albigensium, seu Catharorum, nondum eo tempore in Gallia extinctorum, fuisse arbitror: a qua me sententia non id abducit, quod idem paullo post, contra *Turelupinos* bellum gessisse dicitur. Nec enim video, cur

*) Glossario mediae Latinit. Tom. I. voce *Bulgari*, p. 1338.

**) Glossar. Tom. IIII. p. 1351.

r ille homo, qui Bulgaris proprie oppositus erat, non
os etiam haereticos oppugnare potuerit. Quamquam
quis existimare malit, vocabulum *Bougres* generale
men esse, et *haereticos* in vniuersum indicare, non
de repugnem. Siue hoc malis, siue illud, id liquet,
hoc loco effici nullo modo posse, *Turelupinos* etiam
ugres appellatos fuisse: et hoc eo vsque liquet, vt qui
t ex eo contrarium probare atque demonstrare possit,
linctos prorsus a Bulgaris Turelupinos fuisse. Ter-
m argumentum: Turelupini commorabantur in Sa-
ıdia et Delphinatu. Atqui constat, has binas prouin-
s Waldenses in primis incoluisse. Ergo Turelupini
ıldenses erant. Non magna rationis huius virtus esset,
rel id, quod vir doctissimus assumit, verissimum esset.
c vero si non totum, ex parte tamen, falsum est. Tu-
ıpinorum praecipua sedes insula Franciae, vt vocatur,
rbs Lutetia erant: in Delphinatum nullus, quod scia-
s, horum hominum transiit. Ad Sabaudos quosdam
fectos esse, litterae, quas supra testati sumus, GRE-
)RII XI. ad AMEDEVM, Sabaudiae comitem,
ent: ponamus etiam in Sabaudia, vicinisque regioni-
Waldensium multitudinem vixisse: iam quis inde
ıcluserit, Turelupinos Waldenses fuisse, quia nonnulli
um in eam terram migrarunt, quae Waldenses foue-
? Vltimum argumentum a *libertate* illa *spiritus* vir
ditus ducit, quam GERSON Turelupinis et Beg-
dis exprobrat: veterem enim hanc contumeliam esse
uatur, ideo in Waldenses ab Inquisitoribus iactam,
a illi caerimonias contemnebant, quas pro sacrosan-
ecclesia Romana duci volebat. Mirum vero, viro
ɔrioso, qui plurima legerat, et obseruauerat, haud
nitum fuisse, omnium, quorum *Beghardi* accusati
runt, criminum caput *libertatem spiritus* fuisse, et
: propter dogma, eos *fratres*, siue *sectam liberi spiri-*
appellari solere. Multo igitur rectius ex illa liber-
ansam sumsisset, Turelupinos cum Beghardis com-

ponen-

ponendi, quorum certe pars fuerunt. Waldensibus num eadem libertas obiecta, et, quod ait vir eruditus, crebro et continuo obiecta fuerit, dubito: recordor enim, plerosque, qui Waldenses olim confutarunt, de moribus et vita eorum satis honeste iudicare.

§. XXXXI.

Nunc ex Gallia in illas prouincias redeo, quibus plures, quam Galliae, molestias *Beghardi* quondam exhibuerunt. Lex, quam supra legendam dedimus, BONIFACII VIIII. amplissimam Inquisitoribus potestatem largiebatur, non eos tantum inuadendi, quos Pontificum et conciliorum decreta, *Beghardorum* nomine, damnauerant, verum etiam illos turbandi, et iniuriis afficiendi, quibus, si nomen et instituta quaedam tollas, nulla cum his necessitudo erat, quosque Pontificum clementia ex hostium ecclesiae numero exemerat. Neque illi, tanto praesidio muniti, officio suo deerant, sed promiscue in omnes, nocentes et innocentes, bonos et malos, manus immittebant, in quibus *Beghardorum* sententiis et disciplinae affine aliquid conspiciebant. *Beguinae* probati moris, quantum detrimenti ceperint ex BONIFACII lege, suo loco videbimus. Nunc de aliis tantum pauca dicamus *Beghardorum* quodammodo similibus. Non multum ab illis distabant, si formam externam et vitae modum spectes, illi, quibus proprie *Lolhardorum* nomen conueniebat, aut *fratrum Cellitarum* et *Alexianorum*. Et, quod praeter alia, ipsa BONIFACII lex ostendit, bina illa vocabula, *Beghardus* et *Lolhardus*, ita vulgo vsurpabantur, vt qui *Lolhardi* dicendi fuissent, etiam *Beghardi*, et vicissim, qui *Beghardi* vocari debuissent, *Lolhardi* quoque appellarentur. Itaque illi hominum generi vbique magnam calamitatum et malorum vim ingerebant. Sed breuis ista erat tempestas. Alexiani enim, qui magnis vtebantur patronis, ab eodem BONIFACIO litteras paullo post obtinebant, quibus

Inqui-

Inquisitores parcere illis iubebantur, si quidem errorum expertes forent, quos *Beghardi* circumferre solebant. Eas litteras in Historia *Lolhardorum* ex veteri codice producemus. Longius multo, quam hi, a *Beghardis* remoti erant *Gerardini*, seu *communis vitae sacerdotes*, a GERHARDO GROOT, seu MAGNO, in Belgio, saeculo decimo quarto instituti. GERHARDVS hic, vir in primis pius, nec, vt aetas illius ferebat, indoctus, Dauentriae, in paternis aedibus suis, collegium quoddam religiosorum virorum condebat, qui vitae, laborum, precumque societate inita, quidquid industria parare sibi poterant, in commune conferebant, et a turba strepituque semoti, et suae saluti, et rei publicae simul vtilitati, vnice consulere nitebantur. Institutum hoc, in se laudabile, et illis temporibus vtilissimum, mortuo auctore eius, breui tempore per plurimas Europae prouincias diffundebatur, et vbique facile, quoniam nullam ciuibus molestiam, plurima contra commoda pariebat, probabatur *). Qui illud amplectebantur, *Clerici* dicebantur *communis vitae*, quia, tametsi votis nullis adstricti erant, more tamen Monachorum bonorum communitatem seruabant: nonnumquam etiam *Clerici in congregatione viuentes:* interdum, quod ex charta video, quam paullo post afferam, a parente suo *Gerardini*. Non licebat

*) vid. THOM. a KEMPIS *vita* GERHARDI MAGNI in Operibus eius vltimae editionis parte postrema. AVB. MIRAEI *Auctarium de Scriptoribus Eccles.* p. 82. HIPP. HELYOT *Histoire des Ordres Monastiques*, Tom. II. c. LI. p. 339. IO. FRANC. FOPPENS *Bibliotheca Belgica*, Tom. I. p. 354. vbi et vita Gerhardi, cum indice scriptorum eius, extat. Inter scripta eius nondum edita memoratur ibi *Libellus ad Beguttas de Simonia.* *Beguttae* sine vlla controuersia sunt feminae illae religiosae, quae *Beginarum* nomine adhuc in Belgio habitant: ad has autem feminas cur bonus GERHARDVS *de Simonia* librum scripserit, non assequor. Hoc certe crimen non cadere poterat in Beguttas.

cebat illis mendicare, non sacerdotia et reditus ex bonis ecclesiae ambire, sed quod reliquum habebant a precibus, lectione et contemplatione tempus, vel describendis et emendandis veterum doctorum scriptis, vel erudiendae et bonis litteris imbuendae iuuentuti, vel aliis operibus impendere debebant. Itaque ludos plerumque, vbi sedem figebant, aperiebant, et quae ipsi nouerant, Latinam maxime linguam, et humaniores artes, pueros fidei suae traditos docebant. Recte obseruauit GODOFR. GVIL. LEIBNITIVS *), bonis his viris laudem instauratarum humaniorum litterarum in magna Germaniae parte deberi, atque ex scholis eorum, quas plurimas et celeberrimas multis in vrbibus habebant, eruditionis in Belgio et Germania parentes, viroseque scriptis nobilissimos prodiisse: quorum princeps magnus ille ERASMVS est ROTERODAMVS. Inter hos igitur et *Beghardos* plurimum intererat. At vulgus eis tamen, quod primo capite animaduertimus, illud multiplicis potestatis *Beghardorum* et *Lolhardorum* nomen imponebat, quia non secus, atque *Beghardi*, sine votis, vitae et victus societatem colebant, vestimentis insolitis vtebantur, et pietatem tam verbis, quam exemplis, vulgari maiorem profitebantur. Haec nominis et paucorum institutorum affinitas, animabat Inquisitores, vt easdem, quas veris *Beghardis*, iniurias *Gerardinis* inferrent, collegia scholasque eorum disturbarent, vestimentaque eos exuere cogerent, quae gestauerant. Non dubito, bonos viros Pontificis auxilium et clementiam implorasse: quod quidem summo iure suo poterant, si verum illud est, quod LEIBNITIVS **) ex *Officio Ecclesiastico Eremitarum Augustinianorum* obseruat, GREGORIVM XI. A. 1376. hoc institutum iam approbasse. Verum hoc AVB. MIRAEO iam olim dubium

*) Praefat. ad Tom. II. Scriptor. Brunsuicens. p. 40. 41.
**) l. c. p. 40.

ubium visum est: ego famam opinor esse ex illis, quas upra suppeditauimus, GREGORII epistolis natam, uibus forte et *Gerardini* ad se defendendos vsi sunt. um Pontifex pressis et afflictis subuenerit, nescio: at peri in veteri codice responsum, quod Iureconsultorum oloniensium Ordo, consultus a *Gerardinis*, pro illis . 1398. edidit. Id, longius licet, notabile nimirum urisprudentiae illius aetatis specimen, quod praeterea de oribus et institutis sectae huius, quaedam aperit adhuc nota, totum hic apponere placet.

Sequentes quaestiones cum suis solutionibus super sfu, qui sequitur, sunt scriptae et formatae [1]) PRO VNIMINE BEGHARDORVM *), *ex determinatiobus infra scriptis Venerabilium Dominorum et Magistrorum in legibus, et Decretorum Doctorum, quae quisiti dederunt Anno* [2]) *MCCCXCVIII. sicut literis eorum, sigillis roboratis, continetur, videlicet Magistrorum, Hermanni Stakelweggh, Praepositi S. eorgii in Colonia, Iohannis de nouo* [3]) *Lapide, Canonici Aquensis, Iohannis dicti Bau, Scholastici Mechliensis* [4]), *legum Doctoris, Dom. Arnoldi, Abbatis in ikeninghe, Gerhardi* [5]) *de Grüningen* [6]), *Iohannis Vortborch, Doctorum in decretis, Radulphi* [7]) *de io, Decani Tungrensis, Licentiati in legibus, et Tilmanni Eckart* [8]) *de Attendorn, Licentiati in legibus, Ad-*

Lectionis varietas e Cod. MS. Helmstad. descripta.

1) *formatae et scriptae:* semper enim simplex *e*, loco *ae* I *oe* scripsit librarius.

*) Manifestum est et ex so responso, et ex animadversionibus in illud, quae seentur, *Gerardinos* intelligi. Hinc ergo etiam apparet id, quod diximus, *Beghardorum* nomen *communis vitae fratribus* eo tempore datum fuisse.

2) *anno Domini.*

3) *nouo* legere eodem iure possis.

4) *Scolast. Mechliniensis.*

5) *Gherardi.*

6) *Grüninghe.*

7) *Radulphi.*

8) *Eckart.*

Aduocatorum curiae Coloniensis: cum quorum Responsionibus concordat Dominus et Magister, Everhardus Foeck 9) *), *Decanus S. Saluatoris Traiectensis, Licentiatus in vtroque iure, sicut patet in eius scriptis, et multi alii.*

Casus.

In aliquibus partibus plures personae 10) *se simul receperunt* 11) *ad cohabitandum aliquo modo, sicut Clerici, in vna domo, in qua libros pro pretio scribunt, alii vero non scientes scribere, scientes tamen opera diuersa mechanica, quae* 12) *similiter exercent pro pretio in alia domo, aut etiam aliud faciunt opus* 13) *manuale* **).

Et

9) *Euerhardus Foec.*

*) Hic FOECKIVS, si fides haberi potest IO. FRANC. FOPPENS in *Bibliotheca Belgica, Tom. I. p. 271. scripsit ad instantiam Gerardi Magni, Clericorum vitae communis in Belgio institutoris*, Conclusiones, quibus vitam in communi degentium multis argumentis approbat et tuetur. Ego vero num hoc sine formidine admitti possit, dubito. Obiit GERHARDVS A. 1384. quo tempore FOECKII nomen inter Iureconsultos nondum nobile et inclytum erat, quippe qui A. 1418. decessit: quod Testamentum eius probat ab ANTON. MATTHAEO in *Analectis veteris aeui, Tom. II. p. 778.* editum. Neque GERHARDO viuenti lis mota fuit de illo, quod Dauentriae instituerat, *fratrum vitae communis* collegio; vt, quare Iureconsultum adire, et eius patrocinio se tueri debuerit, non videam. Igitur, si FOECKIVS *conclusiones* eiusmodi scripsit, non ipsius GERHARDI hortatu, sed, eo mortuo, exaratas esse coniicio, quum *Gerardini* ab Inquisitoribus vexarentur.

10) *persone.*

11) *recipiunt.*

12) *que.*

13) *al. opus faciunt.*

**) Haec attendi vellim a lectoribus, nempe vtilia ad fratrum vitae communis statum, qualis olim erat, cognoscendum, et ab omnibus, qui eorum meminere, praetermissa. Diuidebantur illi in fratres litteratos et illitteratos. Illi scribebant, scholas habebant, et litteris humanioribus operam dabant: hi manu laborabant, et artes mechanicas exercebant. Omnes vna habitabant, et cibum capiebant. At ne strepitus laborum,

Et istae personae [14]) *laborant manibus, et de his, quae* [15]) *laboribus acquirunt, vel de suis propriis, si quae* [16]) *habent, viuunt, et omnia sibi inuicem pro maiore concordia libere communicant, vel in commune ponunt, comedunt simul, et non mendicant. Habent etiam inter se vnam personam probam, quae* [17]) *curam domus habet, cuius monitis acquiescunt, vel obediunt, sicut boni scolares magistro. Et hunc modum viuendi ideo faciunt vel ducunt, vt eo commodius viuant, et facilius simul necessaria conquirant, principaliter autem, quia sperant, sic viuendo Deo melius placere et illi seruire.*

Ex praemisso themate quaeritur [18]): *An liceat pluribus extra religionem* *), *simul in eadem domo cohabitare, vt securius Deo seruiant, et commodius viuant, et propria, si quae* [16]) *habent, et quae laboribus acquirunt, ad inuicem libere communicare, et de illis viuere in communi, dum tamen non mendicent. Item: Vtrum pro tempore habere possint vnam probam personam, quae curam domus habeat, cui absque promissione aut obligatione* **), *in bonis consiliis aut monitis acquiescant, vel voluntarie obediant* ***).

rum, quibus illitterati fratres alligati erant, scholas et studia litteratorum fratrum turbaret et impediret, operariis illis domus attributa erat separata, in qua sine ceterorum molestia artes, quas didicerant, tractarent.

14) *iste persone.*

15) *de hiis, que.*

16) *si que.*

17) *vn. probam personam, que.*

18) *queritur.*

*) id est, sine votis et certa regula.

**) id est, sine voto obedientiae, quod Monachi praefectis suis praestare iubentur.

***) Mirum videri potest, in hac quaestione Iureconsultis Coloniensibus proposita, scholarum mentionem omissam esse, quas, eo tempore, multis in vrbibus *Clerici vitae communis* instituerant. Videor autem mihi silentii huius caussam conlicere. Ludum aperire nulli licebat, nisi consentiente episcopo. Quo consensu quum carerent fratres, consultum videbatur, de scholis silere, et scriptorii tantum laboris meminisse.

Respondetur: Primo certum est, quod noua religio vis denegatur: Extravag. de relig. dom. Cap. Ne nimia, et eod. Tit. C. vnico Di. re [19]). *Item nec licet superiorem eligere, et se ad obedientiam obligare, et habitum religionis assumere secundum formam expressam in Extravagante Iohannis XXII.* Sancta Romana etc. *Cessantibus autem huiusmodi illicitis, licitum et meritorium est, habere et seruare huiusmodi societatem caritatiuam et vitam socialem, dummodo suis praelatis et curatis reverenter obediant, sicut alii boni Christiani. Probatur per* L. I. Sed. religionis [20]) ff. de coll. Illi, *vbi videatur casus. Et hoc expresse dicunt Iohannes Andreas et Innocentius* Extravag. de excess. pre. Super C. Dilecta in magistris glossa [21]): Illud autem constat: *Et Ostiensis* in Summa Tit. de Procuratoribus. Responsum de Sindico [22]): Quid sit societas v. Est autem permissum. *Et pro isto videtur esse Extravagans Gregorii XI:* Ex iniuncto *), et Extravagans Bonifacii VIIII. *quae* [23]) *similiter incipit:* Ex iniuncto **) etc. *Et de mulieribus videtur magis esse* [24]) *expressum in Extravag. Ioh. XXII.* Sancta Romana, *non obstante Clementina:* Cum de quibusdam, Extrav. de relig. dom. *Omnia etiam invicem libere communicare, vel in commune ponere, est omnino licitum et meritorium, quia omnia esse communia, est legis naturalis.* Pr. D. Ius Naturale etc. VIII. C. Differt.

19) *vnico li. VI.*

20) *prob. per L. I. §. Sed relig.*

21) Vereor, vt Moshemiana lectio vera sit: in Helmst. est *mg* glo^a *su*. Sed res non est tanti, vt ei diu inhaereamus.

22) *Sindico etc.*

*) Haec est illa Gregorii XI. epistola, quam supra §. XXXIIII. protulimus. Erat ergo illa in horum Iurecònsultorum manibus, in *Corpore Iuris Canonici* licet non extet edita.

23) *que.*

**) Hanc *Extravagantem* Bonifacii, nondum editam, in *Historia Lolhardorum* dabimus.

24) *esse magis.*

Differt. [25]) XII. qu. I. c. Dilectissimis etc. *Et in primitiua ecclesia omnia erant communia, Act. IIII. vnde* [26]) *etiam Clerici seculares extra religionem secundum antiqua iura deberent viuere in communi*, per capit. [27]), Quoniam extra etc. de vita et honestate Clericor. XII. qu. I. per multa c. XVI. qu. 1. c. Decimas XXXII. d. c. praeter habet de co. d. v. in omnibus. *Item licet vnam personam habere, quae* [28]) *curam domus habeat*, VII. q. 1. In apibus etc. *Et licet se ad obedientiam illi obligare non debeant, possunt tamen monitis eius voluntarie acquiescere, vel consilia ab eo recipere, imo* [29]) *quiuis potest monitis et consiliis bonis cuiuscunque hominis acquiescere. Et hoc dicitur in caritate obedire.* 1. Pet. II. Subditi estote omni humanae creaturae, propter Dominum. *Et in eadem epist. Petri cap. I.* Castificantes corda vestra in obedientia caritatis etc. *Idem satis habetur ex verbis S. Thomae, Quodl. VI. quaest. XI.*

Sed forsitan praedictae solutioni seu responsioni aliquis opponeret: Quia omnia collegia sunt illicita, nisi probentur esse permissa, ff. de coll. illic. L. I. et L. III. *et de hoc notat Ostiensis in Summa* Tit. de procurator. R. de Sindico §. I. vbi [30]): Traditur autem. *Idem legitur et notatur per Henn.* [31]) *Ro* *). *post Ostiensem, et Ioan. de excessibus p. Dilecta etc.*

25) *VIII. Decret. t. Differt.*

26) *Act. IIII. et in part. t. Dilectissimus: vnde.*

27) *per canonem.*

28) *licite possunt vn. p. hab. que.*

29) *ymo.*

30) *v* hoc compendium potest *verbis* significare.

31) *Hen.*

*) Hic, qui per notas *Henn. Bo.* indicatur, sine dubio est HENRICVS BOYCK, siue BOHICK, Iureconsultus Saec. XIIII. celeberrimus, cuius in *Decretales*, et in *Clementinam de vita et honestate Cleric. Commentarii* in Bibliothecis passim manuscripti extant. vid. CASIM. OVDINVS de *Scriptor. Eccles. Tom. III. p. 1251.* — Et qui statim post *Ioan.* apud Moshem. dicitur *), in H. est *Io. An.*

Respondetur dupliciter: Primo: Quod praemissae personae [32]) *non viuunt collegialiter, nec per modum collegii, sed congregationis caritatiuae, omni iure licitae* [33]). *Quod ita probatur: Non enim sufficit ad hoc, vt sit collegium vel corpus, quod plures simul habitent, vel stent simul, vt satis elicitur ex dictis* [34]) Extrav. de elect. C. Sacrosancta. *Sed alius, quibus probatur collegium secundum Ostiensem, sunt* [35]) *commune sigillum, et vsus sigilli communis, tractatus communis in capitulo, arca* [36]) *communis, refectorium, dormitorium commune. Idem notat Archi. X. qu. I. c. 1. Item secundum Innocentium* super caput Dilecta, de excessibus Praelatorum *Collegium recidit in vnum* ff. Quod cuiusque vniv. sicut in fi. 'Hov. [37]) d. c. fi. *Sed societas morte cuiuslibet dissoluitur* ff. pro socio [38]). *Item secundum Innocentium, vbi est collegium, non debet conueniri quilibet socius de contractibus initis nomine societatis, sed societas ipsa tantum, XII. q. ii.* Quoniam vnanimiter. *Item collegium speciale sibi nomen tribuit, ut collegium S. Petri vel Andreae Col.* [39]) *vel Monachorum talis Sancti, talis ciuitatis, secundum Ostiensem in Summa* Tit. de Procur. R. de Sindico [40]). *Imo collegium* [41]) *secundum Innocentium potest* [42]) *superiorem deligere* [43]), *qui causas potest cognoscere, et Syndicum constituere. Item secundum Innoc. societas* [44]) *omnium bonorum non facit collegium, nisi ad hoc instituatur, vt sit collegium, et si quas*

32) *premisse persone.*
33) *licite.*
34) *dictis vni.*
35) *Ostiensem et Io. An. de Iure pat°. ca°. nobis § Ceterum, super ⁊ Commensuali. Summ.*
36) *archa.*
37) *in f. l. XV.*
38) *pro socio ⁊do In par°.*
39) *Colon.* quod est forte *Coloniae.*
40) *Sind. §. 1. ℞. quod collegium.*
41) *Item Colleg.*
42) *sc. Innoc. super capitulo, Cum ab ecclesiarum, potest.*
43) *eligere.*
44) *Innoc. supra allegato capitulo Dilecta, Sec.*

si quae [45]) *alia sunt de iure et esse collegii. Quibus in istis personis secundum thema non concurrentibus, dici non debent habere collegium, sed simpliciter societatem. Magna est autem differentia inter collegium et simplicem societatem, vt patet ex dictis.*

Secundo potest responderi, quod etsi [46]) *praemissae personae* [32]) *collegium instituerent* [47]), *dummodo citra religionem, et alia debite concurrerent, collegium earum esset de iure communi permissum, et permittendum, et non illicitum. Quod patet. Istae enim personae* [48]), *vt in Themate dicitur, sunt tenues et* [49]) *pauperes, et ideo cohabitant, seu simul stant, vt melius se sustentent. Et propter talem causam tenues personae possunt habere collegium, et collegium tenuiorum est permissum*, vt L. I §. 1. ff. de coll. Illi, *secundum Bartolum* [50]) *in dictam L. si Item istae personae propter hoc simul stant vel habitant, vt, acquisitis necessariis, melius Deo seruiant, id est, caussa religionis aut deuotionis. Collegia autem, quae fiunt causa religionis et deuotionis* [51]), *permissa sunt et licita.* ff. de coll. ill. l. I. §. Religionis [52]), *ut notat ibi Bartolus* [50]) *in L. fi. et Innocentius, et Ioh. Andreae*, Extr. de excess. prael. super capitulo: Dilecta, *et Ostiensis in Summa*, Tit. de Procurator. R. de Sindico §. 1. v. Est autem permissum etc. *Item, quod dictorum scriptorum vel librariorum collegium sit permissum, patet per l. fi. ff.* Quod [53]) cuiusque [54]) etc. super verbo: Aliorum. *Vbi nota, quod omnes artes ibi nominatae* [55]) *habent collegium approbatum: imo* [56]) *approbata sunt col-*

45) *si quae.*
46) *etiamsi.*
47) *constituerent.*
48) *Iste en. persone.*
49) *i.* quod significat, *id est.*
50) *Bartholum.*
51) *c. deuotionis et religionis.*
52) *l. I. §. Sed. Relig.*
53) *per l. Si ff. de inter dum, vbi ars illa est nominata inclita, glossam in dictam l. l. ff. Quod.*
54) *cuiusque bonum*, si recte lego.
55) *nominatae.*
56) *immo.*

collegia de iure communi, vbi plures simul exercent vitam artem, in vno loco vel ciuitate, vt notat Bartolus [4]) super L. ff. de Coll. illic [57]). *Et pro hoc facit tota glossa super dicto verbo: Aliorum. Item pro isto facit glossa* in L. I. ff. Quod cuiusque [58]), *vbi formatur quaestio: An plures scolares stantes in vna domo possint facere collegium, adeo quod possint facere Sindicum: Et respondet Glossa, quod sic. Cum qua concordat Bartolus* [50]) super vlt. L. ff. de colle. illic. [59]), *quae est lex Graeca ibi translata* *). *Sed numquid est illicitum, quod sic simul cohabitantes horas temporis diuidant, vtpote quod certas horas ordinant ad seruicium diuinum, vt simul Missas audiant, ecclesias visitent, alias autem horas* [60]) *pro victu et vestitu laborent, aliasque bonas consuetudines simul seruent et ordinent, vt eo quietius viuant?*

Item, vtrum sit licitum, quod aliquis gratia recipiendi consilii temptationes suas, passiones animi vel excessus dicat, aut exponat alicui non sacerdoti?

Item, vtrum licet sic simul cohabitantes se inuicem, vel alios, caritatiue corripere et admonere?

Ad primum horum respondetur, quod bonas obseruantias, et particulares consuetudines possint simul licite obseruare ac etiam ordinare, dummodo aliàs non sint prohibitae [61]). *Ita enim quilibet potest domus Dominus* [62]) *seu paterfamilias, in sua domo et familia, secundum quod ei congruit, pro suo officio vel exercitio quasdam*

57) *Illi.*
58) *cui. vnicum, f. bonum.*
59) *colle. Illi.*
*) Hic nouae prorsus quaestiones incipiunt, quarum nulla mentio extat in *Casu* Iureconsultis proposito. Suspicari hinc aliquis possit, ex binis Responsis, diuersis temporibus datis, iudicium hoc compositum esse. — In Cod. MS. Helmst. verba: *Sed numquid* eet. reuera incipiunt nouum versum et quasi nouam quaestionem: vnde Moshem. non male coniecisse videtur.
60) *aliis aut. horis.*
61) *prohibite.*
62) *ex. potest quilibet dominus domus.*

dam particulares consuetudines vel obseruantias ordinare. Ad hoc enim potestatem habent ff. de verbor. signif. l. Pronuntiatio §. Familiae [63]). *Et hoc idem dixit B. Thomas* in prima secundae Qu. XCI. Art. 3. *Sic enim habet disponere in domo Dominus domus suo modo, sicut Rex in regno, dicit Thomas* Quolib. VI. qu. 11. *Vnde tales priuatas consuetudines patrisfamilias Ostiensis in* Summa Tit. de consuet. §. vlt. et *Ioh. Andreae in* Summula de consuetudine, *vocant consuetudines specialissimas: praecipue autem si constituerint collegium licitum et permissum, sicut dictum est. Ex tunc possint statuta facere et constitutiones super his, quae* [64]) *ad eorum officium pertinent, vt* l. vlt. C. de ino. [65]) *dummodo nulla ordinent vel statuant, per quas aliis praeiudicatur.* C. de monopoliis, L. I. *Praedicta autem temporis diuisio vtilis est et expediens. Vnde Augustinus in libro de opere Monachorum:* Optima est gubernatio, vt omnia suis temporibus distributa gerantur ex ordine, ne animi humanorum turbulentis implicationibus inuoluti perturbentur [66]).

Ad aliud dicitur. Quod licet confessio sacramentalis, qua fit respectu ecclesiae reconciliatio, seu per claues absolutio et poenitentiae iniunctio, solum fieri debeat sacerdoti, claues et iurisdictionem habenti, Extr. de penit. et re. c. Omnis, *simplex tamen tentationum* [67]), *passionum vel peccatorum reuelatio, in qua nec fit absolutio, nec poenitentiae iniunctio, potest fieri cuicunque, qui salubriter potest instituere, et in temptationibus praemunire. De hoc clare habetur per Astesan. Li. VI. Ti. cui confitendum, et post eum per Hen. Bo. super cap.* [68]) *Omnis Di. 1. et per Innocent. in glossa super eod. capitulo cir-*

63) *familie.*

64) *hiis, que.*

65) *de n̄ o. nul.*

66) *ne animum humanum turb. impl. inuolutæ perturbent.*

67) *temptacion.*

68) *sup. pnte. capitulo.*

... fin. et per Ioh. Andr. eod. tit. cap. Si episcopus vero absoluere, lit. G. [69]).

Ad tertium nullum [70]) *dubium est, quin quiuis potest alium caritatiue corripere, dummodo alias discrete, debitis adhibitis circumstantiis. Est enim praeceptum Euangelicum: Si videris fratrem tuum, Matth. 18: licet punitio, quae est actus iustitiae, et respicit bonum commune solum, pertineat ad praelatos. Et de hoc satis Io. in summa confessorum Lib. III. Tit. 9. Qu. 5. et Thomas in secunda secundae Qu. 23. Art. 2. Eodem modo dicendum de admonitione vel exhortatione, quod licet praedicatio, quae* [71]) *est doctrina publica, respiciens communem ecclesiam vel multitudinem, solum pertineat ad praelatos, nec ab aliquo, nisi a Deo vel a* [72]) *praelatis fuerit missus* [73]), *debeat vsurpari*, Extr. de haereticis: Ex iniuncto *); *caritatiua tamen et priuata admonitio, qua quis alium, vel alios paucos, duos vel tres, familiariter colloquendo monet, competit omnibus; et quiuis potest* [74]) *admonere, per idem Cap. Cum, ex iniuncto, circa principium, et per Henn. Bo. super eod. Cap. Distinct. II. in fin. et per Thomam Sec. Secundae Qu. VIII. Art. V.* [75]).

Dubito,

69) *Si ep. fr. ... absoluere* P. 6.

70) *nulli.*

71) *que.*

72) *a* abest.

73) *missus vel permissus.*

*) Ex multis veterum locis obseruaui, ampliorem *Extrauagantium* collectionem illa, quae hodie in *Iuris Canonici corpore* legitur, in Iureconsultorum olim manibus fuisse. Atque id etiam ex hoc responso apparet, in quo *Extrauagantes* quaedam laudantur, quae in editis desiderantur. Quae hoc loco sub *Titulo de haereticis* extare dicitur *Extrauagans: Ex iniuncto*, eam frustra sub illo titulo quaeres in *Extrauagantibus*, quibus hodie vtimur. Igitur, qui princeps *Ius* hodiernum *Canonicum* edidit, mutila et imperfecta collectione epistolarum illarum vsus est, quae *Extrauagantes* appellari solent.

74) *quiuis ita pot.*

75) qu. ΛΛΛ articulo 9. Et quolibet 12 qu^{ne} 2Λ cet.

Dubito, num Coloniense hoc Responsum rebus *Fratrum vitae communis* tantum fructus et praesidii, quantum ex eo sperabant, attulerit. Inquisitores enim contendebant, Fratres veras rationes collegiorum suorum vtriusque sexus Iureconsultos celasse, eosdemque, callide omittendis institutis suis et moribus, ab ecclesiae legibus vehementer alienis, ad male respondendum induxisse. Reperi in eodem codice, qui mihi Responsum suppeditavit, animaduersiones Inquisitoris cuiusdam in illud: ex quibus quoniam haud pauca cognoscuntur ad verum statum fratrum et sororum instituti illius declarandum, publica eas luce non indignas iudico. Apponam igitur eas.

Obseruationes Inquisitoris Belgici in Magistrorum Coloniensium Responsum [76].

Notandum pro detectione figmentorum sectae Gherardinorum [77]*, quae per dioecesin* [78] *Traiectensem in singulis ciuitatibus quotidie* [79] *inualescit, praescripta Magistrorum Coloniensium determinatione muniri se asserens, et sui tentionem* [*]*, vt licitam, roborari: Quod falsum esse, imo* [80] *dictam determinationem ad munimen eiusdem improprie* [81]*, et contra intentionem ipsorum determinantium detorqueri* [82]*, patet euidenter verba thematis ipsius praedictae determinationis ponderanti, et conferenti ad ea, quae sequuntur extracta* [83] *de Actis Inquisitionis per honorabilem sacrae Theologiae Magistrum, fratrem* EYLARDVM SCHOENEVELD [84]*.*

Ordi-

76) Haec quasi inscriptio in Cod. Helmst. non adest: contra vero spatium satis grande, quo consequentia ab antegressis separantur.

77) *secte Gerardinorum.*

78) *que per dyoc.*

79) *cotidie.*

*) Sic clare legitur in Codice MS. — Eodem modo in Cod. MS. Helmstad.

80) *ymmo.*

81) *in proprie.*

82) *retorqueri.*

83) *extr. immediate.*

84) *Schoneuelt.*

*Ordinis fratrum Praedicatorum, Inquisitorem Saxoniae anno 13 . . . *) in Traiecto et locis circumiacentibus* [85]) *legitime factas* [86]).

Habetur enim ex Actis huiusmodi euidenter et manifeste, quod in dictis iam partibus diuersae sunt congregationes non solum Clericorum, sed maxime foeminarum, quae in diuersis domibus singulas Marthas habentibus, simul in communi, sub cura et regimine earumdem Martharum degunt, nec aliquid proprii, siue pecuniam, siue vestem, vel quamcunque rem in singulari, sed omnia in communi habentes, partim de laboribus manuum pro maiori, aut de eleemosynis [87]) *ad modum religiosorum viuunt. Quibus non licet comedere, bibere, sedere, stare, surgere, exire, loqui, vel dormire, aut quodcunque aliud facere, sine speciali licentia Marthae vel SubMarthae* [88]) *petita et obtenta. Quae certo signo ad comedendum, orandum, culpas dicendum, et ad dormiendum vel euigilandum, sicut religiosi, vocantur, secundum quorum* [89]) *formam etiam Benedicite ante, et Gratias post mensam, in vulgari dicunt, atque lectionem per totam mensam silentes audiunt, sicut et in coena Domini lotionem pedum celebrantes, sermonem Dominicum per vnam sororem in vulgari totum legi faciunt. Venientes autem ad cameram oratoriam singulis diebus, vel sicut Marthae* [90]) *domus placuerit, Martha in sua sede sola residente, aliae* [91]) *autem ex vtroque latere in genibus*

*) Annus saeculi erasus erat in codice. Puto vero, A. 1399. legi debere. Hoc enim anno Eylhardus hic, quod supra §. VI. testatum dedimus, a Pontifice Inquisitor creabatur. Hoc si recte coniicimus, obseruationes hae Saeculo XV. demum exaratae sunt. — — In Cod. MS. Helmst. annus non est erasus, sed eius loco spatium post 13 . . . .

85) *circumuicinis.*

86) *facte.*

87) *elemos.*

88) *marthe vel Submarthe.*

89) *sec. quorum.*

90) *Marthe.*

91) *alie.*

nibus ſuis circumſtantes, ſingulatim culpas ſuas dicunt, ſe ipſas proclamantes, vel ab aliis, ſi quid ab eis ſciunt, proclamari petunt, et poenas [92]), a Martha iniunctas, obedienter recipiunt. Quae [93]) omnia et his [94]) ſimilia, licet de ſe non ſint mala, immo [86]) bona et laudabilia, multi tamen contra ipſas clamant, nouas congregationes ad modum religioſorum propria temeritate facere ſine [95]) licentia ſpeciali ſedis Apoſtolicae non licere.

Habent et alias obſeruantias plane de praeſenti, vel ſaltim [96]) de futuro malo ſuſpectas. Quia ſorores non permittuntur ire ad ſacramentum recipiendum, ad officium diuinum auſcultandum, ad confeſſionem faciendam, et ad praedicationem audiendam ſecundum deuotionem propriam, ſed ſolum quando, vbi, cui, et a quo iuſſum vel licentiatum fuerit per Martham, quae dicit eis, magis eſſe meritorium, huiusmodi ex obedientia ſua dimittere, quam ſecundum proprium beneplacitum facere. Non enim permittunt eas ab aliquo audiri, vel aliquem audire, niſi credant, eum cum ſuis obſeruantiis conſentire, ne forte alios audiendo incipiant de multis obſeruantiis conſcientiam habere, occaſionemque habeant congregationem deſerere. Propter quod dicunt Marthae [97]) et ſeniores, omnem, confeſſiones audientem, vel verbum Dei quantumcunque catholice praedicantem, quem non eſtimant de ſua affectione, non edificatorem exiſtere. Quos conſueuerunt ſic probare. Quia Marthae [97]) vel aliae, quibus ſic [98]) iniungitur, mutato habitu, talibus confeſſionem faciunt, et adhuc ſeculares eſſe, et congregationem ſororum intrare velle ſe fingunt, et ſtatim ſuper hoc conſilio, quid expediat, petito et audito percipiunt, quid de ſtatu ſororum pro vel contra ſentiunt et intendunt.

Eſt

92) penas.
93) que.
94) biis.
95) themeritate fac. et ſine.
96) ſaltem.
97) Marthe.
98) ſic abeſt.

Est et aliud non minus suspectum. Instante enim tempore, quo secundum consuetudinem, domus debet ad confessionem exire, oportet quod sorores, a quibus hoc exigitur, Marthae vel SubMarthae [88]) *omnia, quae* [99]) *confiteri proponunt, profiteantur, antequam exire permittuntur, et solum illa, et sicut vel a Martha, vel SubMartha instruuntur, et non alia, neque aliter, oportet vt confiteantur. Quod immobiliter solent obseruare, maxime cum aliquas* [100]) *volunt extra statutum tempus confiteri, propter quem articulum plures ab eis recesserunt, praesertim cum illa, quae* [99]) *sic praeconfitebantur, quamuis interdum ita essent grauia* [101]), *quod auctoritas episcopi erat pro absolutione necessaria, secreta non remanserant, sed aliis innotescebant.*

Aliud quod [102]) *magis videtur absurdum. Est enim vna Martha principalis in Traiecto, quae* [103]) *domos sororum ibidem, et alias domos earundem in oppidis circumiacentibus, quolibet anno ad minus semel, vel bis, aut pluries, visitat directe, sicut Priores Prouinciales religiosorum conuentus suarum prouinciarum visitare consueuerunt. Veniens enim ad domum die et hora, quibus sibi placet, ponit se in quadam camera, et* [104]) *singulas sorores, vnam post aliam, singulariter interrogat et examinat de statu domus, de regimine Marthae* [105]), *de pace vel discordia, de excessibus vel obedientia sororum, et aliis huiusmodi, maxime de obseruantiis* [106]), *et omnibus sic secrete auditis, antequam recedat, capitulum in camera oratoria in communi tenens, culpas singularum rorum omnibus audiens, et poenitentias iniungens, ac quae* [103]) *sunt in communi vel in particulari corrigenda, corrigens et emendans, ad obseruantias* [106]) *atque consue-*

99) *que.*
100) *aliqua.*
101) *int. essent ita gr.*
102) *quoque.*
103) *que.*
104) *camera ubi.*
105) *Marthe.*
106) *obseruanciis.*

suetudines perseueranter [107]) *atque obedienter continuandas adhortatur eas modis omnibus, quibus potest. Nec hoc solum: sed cum sorores, vt dictum est, audit singulas secrete, oportet quod quaelibet* [108]) *exponat sibi totum statum interiorum* *) *hominis siue in bono, siue in malo, ita plene et perfecte, vel perfectius, acsi essent coram sacerdote confessore. Et prout ista de singulis iudicans determinauerit, ita oportet eas suas formare. Et quod plus est, tales confessiones audet etiam ab honestis dominabus in matrimonio existentibus, et ab aliis puellis non sibi subiectis recipere. Et quod omnibus magis mirandum est, presbyter* [109]) *quidam cum dicta Martha in eadem domo hospitatur, et istarum congregationum legislator est* [110]), *atque gubernator supremus. Et propter hoc apud vulgus confessor atque praedicator famosus non verecundatur huiusmodi dominas et puellas de sua confessione exeuntes et confiteri cupientes, cum sibi non vacat, ad praefatam Martham sociam suam domesticam dirigere audiendas.*

Aliud insuper existit, quod totum praecedens negotium [111]) *suspectum reddit. Ita enim student sollicite omnia praedicta et alia, quae* [103]) *obseruant, secreta manere* [112]), *quod strictissime prohibentur sorores nullis, nisi de congregationibus existant, etiam propriis confessoribus ista reuelare. Quia licet multi sacerdotes, aiunt, sciant multa, tamen quia raro habent saporem scripturarum, sancta non videntur eis bona. Propter quod vna vice cum timerent, quod obseruantiae* [113]) *praelatis*

107) *consu. domus persen.*

108) *quelibet.*

*) f. *interiorem* — ita legendum videtur in Cod. MS. Helmstad. Sed possis etiam legere *interioris*, vt ad sequens *hominis* referatur.

109) *presbiter.*

110) *est*, desideratur, et antegressum *hospitatur* possis quoque legere *hospitatus.*

111) *biodm*), quod non est *negotium.*

112) *renan.*

113) *obseruancia.*

latis ecclesiae reuelarentur, consilio vnito deliberauit vna tota congregatio, huiusmodi obseruantias potius cum iuramento negandas, quam ipsis, quibus easdem displicere timebant, explicite reuelandas. Intellexerunt enim, quosdam literatos et famosos viros de ordine Carthusiensium constanter affirmare, quod status eorum, saluis statutis et ordinationibus ecclesiae [114]), *non posset subsistere. Cum autem vna de Senioribus, mota conscientia, omnes obseruantias conscripsisset, et ad petendum consilium a Praelatis, iter versus Traiectum arripuisset, dicta Martha superueniens eis efficacissime studuit persuadere, quod praememorato presbytero* [109]), *legislatori suo, magis in hac parte, quam quibuscumque aliis, deberent credere. Et sic concluserunt, praedicta cum iuramento, mendaciter licet* [115]), *occultare; quod idem sacerdos postea veniens approbare videbatur, quia dixit, si fecissent, quod leniter* [116]) *voluisset eis manum super caput ponere* *). *Non tamen in tantum poterant suadere, quin propter huiusmodi occultationem contingeret aliquis* [117]) *exire, et statum huiusmodi in effectu deserere ac* [118]) *horrere.*

Errant autem in hoc, quod nituntur, statum suum praedictum constitutionibus et prohibitionibus ecclesiae [114]), *vt videtur, manifeste contrarium, nimis pertinaciter pro licito defendere, et cum omnibus ordinibus ecclesiae* [114]), *maxime foeminarum, simpliciter praeferre. Habent enim quasdam informationes pro defensione status sui contra Inquisitores, quas reor esse supradictas doctorum Coloniensium determinationes* [119]), *satis tamen impertinenter pro eis factas, et per praetactum presbyterum*

114) *ecclesie.*

115) *licet mendaciter.*

116) *leniter*: ita pari iure legi poteſt.

*) Haec quam vim habeant, obſcurum mihi eſſe fateor: neque tanti res eſt, vt in ea enodanda temporis aliquid conſumere velim.

117) *aliquas*, quod verius videtur.

118) *et.*

119) *suprad. coloniensium doctorum determ.*

rum [109]), *ipsarum gubernatorem, in vulgari, malo utentem consilio cum auctoritatibus et allegationibus, translatas. Quibus tam pertinaciter inhaerent* [120]), *quod omnem oppositum sentientem reputant non de ciuitate Ierusalem, sed de Babylone* [121]) *errabundum, eo ipso quod non videtur statum, quem sic, vt dictum est, aliis praeferunt, ipsarum ad lubitum* [122]) *promouere. Non enim volunt regulam approbatam assumere, nec permittuntur ab ipsarum memorato gubernatore, dicente, se velle potius stabulum pecudum* [123]) *custodire, quam eas, si omnino vellent aliquam approbatam regulam accipere. Quod non solum videntur in se ipsis fugere, sed etiam in aliis impedire* [124]). *Cum enim nouissime, ante decennium, in ciuitate Traiectensi essent plus quam XXX. notabiles puellae* [125]), *ex speciali deuotione mundum volentes contemnere* [126]), *amplexus maritales spernere, atque omnia bona sua mobilia et immobilia, praesentia et futura, pro fundatione vnius noui monasterii contribuere, in quo sub certa regula et perpetua clausura, ac in communi, sine particulari proprietate aliqua, possent creatori suo seruire: Et circumspectis omnibus ex certis circumstantiis non appareret in praedicta ciuitate locus aptior, quam ille, quem praedictus presbyter cum praefata Martha et suis nouiter inhabitare coeperat* [127]) *et construere, dicto tamen loco sine damno* [128]) *ipsarum pro tam magno bono ad gloriam Dei promouendo omnino nolebat cedere, quamuis a Dominis et grauibus viris exhiberetur eis iterum et pluries, quod antequam inde exirent, vellent eis in ciuitate in alio loco, ipsis aeque* [129]), *vel magis congruo, alia aedificia* [130]) *ita vel magis bona, quam iam*

120) *inherent.*
121) *Babilone.*
122) *libitum.*
123) *pecorum.*
124) *impedire.*
125) *puelle.*
126) *contempnere.*
127) *ceperat.*
128) *dampno.*
129) *eque.*
130) *edificia*

iam haberent, aedificare [130]), *seu construere. Maluerunt enim Deum, vt videtur, tanto praeconio, atque totam prouinciam tantae* [131]) *virtutis exemplo priuare, quam hoc permittere, vt sanctiores ipsis ibidem inciperent apparere. Prout haec* [132]) *omnia supradicta coram Notario et testibus sunt Inquisitori praedicto mediante iuramento, delata ab illis, quae his* [133]) *omnibus praesentes* [134]) *interfuerant, et consciae* [135]) *extiterant* [136]). *Et omnia et plura alia inueniri poterunt ab eismet, quae in congregationibus existunt, si super his debite inquirantur.*

Multa quidem et magna hic Obseruator promittit, aut potius minatur: at pauca tantum praestat. Ostensurum nempe sese in ipso limine significat, Iureconsultorum Coloniensium Responsum caussam fratrum vitae communis haud iuuare: et omnis eius labor in narrandis et explicandis institutis nonnullis *sororum vitae communis* consumitur. De fratribus igitur quum *nihil dicat*, ad quos vnice Coloniense Responsum pertinet, tacite profitetur, nihil esse, quod in illis desiderari possit, et Iureconsultorum Coloniensium rationes, quas infirmare videri vult, reuera confirmat et roborat. Odio scilicet ignotus homo, Monachus sine dubio Dominicanus, mulierum ardebat, quae vitam communem agebant, quia non *Monacho*, sed, quod clare tradit, *presbytero*, animarum suarum gubernationem commiserant, et locum, quem Traiecti incolebant, virginibus concedere noluerant, quas cupido vitae solitariae inuaserat. Ceterum vera esse, quae homo de interiori *sororum vitae communis* disciplina tradit, non dubito, tametsi nonnulla exaggerata et odiosius, quam necesse erat, explicata videan-

131) *tante.*
132) *hec.*
133) *que hiis.*
134) *personaliter.*
135) *conscie.*
136) *interfuerant* i. e. *exstiterunt*. Ita legendum videtur litterarum compendium.

deantur. Lis haec Inquiſitorum et Gerardinorum ad concilium Conſtantienſe tracta, et in eo ſecundum hos compoſita eſt, quod ſuo loco videbimus.

§. XXXXII.

Has inter leuiores velitationes cum illis, quos non tam nouae et receptis contrariae opiniones, quam inuſitatae viuendi leges ſuſpectos reddebant, veri *Beghardi*, tam illi, qui ſupremam perfectionem in mendicitate ponebant, aliorum ceteroquin errorum neſcii, quam hi, qui paupertati *libertatem*, quam nominabant, *ſpiritus* addebant, grauiſſime vexabantur et exagitabantur. Illi quidem domibus, quas habebant, exturbabantur, et ſordidas veſtes, quibus gaudebant, deponere, conuentus nullos agere, denique laborando, non mendicando, victum ſibi parare iubebantur. Hos, qui vbique fere illis admiſſi erant, multi licet etiam eorum ſemoti degerent, et per prouincias errarent, aut publice ſacramento interpoſito ſententias deteſtari, aut, ſi nollent, flammis pertinaciam expiare oportebat. FELIX MALLEOLVS, ſeu, vt vernaculo ſermone dicebatur, HAEMMERLIN, indicem quemdam conficit eiusmodi hominum, qui in Heluetia vicinisque regionibus, aetate eius, aut paullo ante illam aetatem, deprehenſi erant, et peruerſitatis ſuae poenas dederant: quem quidem totum hic apponam *): *Frequenter etiam accidit, vt patet, quod inter illam malam ſocietatem* (*Beghardos* paupertatis ſtudioſos intelligit) *fuerunt ſectae et haereticorum conuenticula in diebus et in terris noſtris: vt patet de quodam Burckardo cum ſuis fratribus, in dominio Thuricenſi* (id eſt, Tigurino), *qui poſt poenitentiam et crucis aſſignationem relapſi in haereſin, igne fuerunt concremati. Item*

*) In *Deſcriptione Lolhardorum*, breui libello, quem opuſculo *contra validos mendicantes* ſubiecit, *Operum* plag. C. 2. a.

de quodam fratre Carolo, qui magnam habuit adhaesionem in terra Uraniae (id est, illa Heluetiae prouincia, quae Vri dicitur vulgo) *et propter eamdem caussam cum sociis igne consumtus est. Item de quodam Henrico de Tierrem prope Constantiam, qui cum magna adhaesione poenitentiam publice suscepit. Item de quodam Iohanne in dominio Vlmensi cum multa societate, qui propter dictam caussam poenitentiam publicam suscepit. Item de vno magno haeresiarcha in dominio de Wirtemberg, qui ingenti difficultate expertorum conuentu fuit conuictus. Item de quibusdam Beghardis venientibus per annos singulos quondam de Bohemia infinitum populum in oppidis Bernensi et Solodurensi ac in multis villis et terris eisdem subiectis in horribilem haeresim perduxerunt. Et summarie quod in tota Alemannia superiore non est contra fidem catholicam heresis introducta, nisi per vulpeculas illius sectae Beghardorum, Lolhardorum et Beghinarum maliciosissime: absque eo quod quamplures latrones et Sodomitae sunt in eorum habitu reperti.* Alio loco idem FELIX breuius motus, quos in Constantiensi tractu, aetate illa, *Beghardi* concitassent, his verbis refert *): *In diebus meis et in dioecesi Constantiensi isti homines infinitos seminauerunt errores. Vnde plerique sunt ad poenitentiam publicam positi, alii igne cremati.* Annum, quo haec et praecedentia in litteras relata sunt, ex sequentibus vides: *Vnde his diebus meis videlicet de Anno Domini MCCCCXXXVIII. quidam nouos fecerunt erroris articulos, in suis libris conscriptos, et in occultis conuenticulis dogmatizatos, qui demum et vix informati poenitentiam publicam peregerunt.* Non omnia vero commemorauit exempla *Beghardorum* in Constantiensi prouincia, tempestate illa, aut combustorum, aut ecclesiae reconciliatorum: aliud, idque eximium, adiicimus ex IOH. NIEDERO Beghardi inter melio-res

*) in Glosa Bullarum per Beghardos impetratarum, C. 3. r.

res optimi, et ipſis etiam hoſtibus a vitae caſtitate laudati. *Circa tempora*, audis NIEDERVM *), *Piſani concilii, me viuente in dioeceſi Conſtantienſi*, BEGHARDVS *fuit, ſeu Fratricellus mere ſaecularis*, BVRGINVS *nomine. Hic eremum ibidem intrauit. In eadem victu et veſtitu auſterus valde extitit, orationi et contemplationi multum, vt videbatur, incubuit, et in his reuelationes* — — — — *habere coepit; quibus etiam nimium credidit. Nam ex viſionibus iſtis regulam quamdam et nouam religionem cudit, et eamdem diſcipulos* — — *docere coepit. Tam rigidam et auſteram vitam in dicta regula ſcripſit, et in ſe et in ſuis ſeruauit, vt, ſi nulla pertinacia et inobedientia acceſſiſſet, veri et boni angeli inſtinctus interceſſiſſe videretur. Nam vna cum ſuis diſcipulis* — — — *captus per epiſcopum Conſtantienſem et examinatus, repertus eſt tam caecam et proteruam habere mentem, vt etiamſi Dominus Apoſtolicus et Dei eccleſia regulam, quam reperit, condemnaret, non ſe, ſed errare illos, omnino crederet. In qua pertinacia perſeuerans per Inquiſitorem iudicio ſaeculari traditus, ab eodem incineratus eſt rector cum regula.* Piſanum concilium, cuius tempore *Burginus* hic in rogo periit, A. 1409. celebratum eſt. Homo iſte, myſticis praeceptis imbutus, ſeueram ſine dubio ſibi ſuisque viuendi formam praeſcripſerat, quo citius et facilius Deo iungeretur, mensque coeleſtis corporea contagione expediretur: neque alia re peccabat, quam immoderato regulae ſuae ſtudio: quam, quum diuinitus ſibi dictatam duceret, iubente antiſtite, repudiare nolebat. Igitur, ipſis aduerſariis fatentibus, non omnes ſectae *Beghardorum* profeſſores homines erant impii, et ad vitia procliues, verum aliqui nimia pietate et ſuperſtitione laborabant. Non deterior erat hoc NICOLAVS ille, vir ſine dubio pius et ſalutis ſuae amans, quem idem NIEDERVS

 paul-

*) in Formicario ſeu de viſionibus, Lib. III. c. II. p. 302.

paullo ante concilium Pisanum, Viennae in Gallia supremo supplicio affectum esse scribit, postquam in Heluetia quoque et prouinciis Rhenanis, multos in sententias suas illexerat. *Viuebat*, ait ille *), *paullo ante purus quidam Laicus, Nicolaus nomine. Hic in linea Rheni circa Basileam et infra, primum velut Beghardus ambulans, a multis, qui persequebantur haereticos — — — habebatur suspectissimus. Acutissimus enim erat, — — et idcirco manus Inquisitorum diu euaserat. Discipulos igitur quosdam in suam sectam collegit. Fuit enim professione et habitu de damnatis Beghardis vnus, qui visiones et reuelationes in praedicto damnato habitu, multas habuit, quas infallibiles esse credidit. Se scire affirmabat audacter, quod Christus in eo esset actu, et ipse in Christo, et plura alia. Quae omnia, captus tandem Viennae in Pictauiensi diocesi, inquisitus fatebatur publice. Sed cum Iacobum et Iohannem, suspectos in fide et sibi conscios suos speciales discipulos, ad iussum ecclesiae in eum inquirentis nollet dimittere, nisi per ignem: repertus in multis a vera fide deuius et impersuasibilis, secularium potestati iustae traditus est, qui eum incinerarunt.* Perobscura mihi est extrema narrationis huius pars; nec enim intelligo, quomodo Nicolaus binos familiares et discipulos suos, contra vim et mandatum potentissimae Inquisitionis, tueri potuerit, et qua ratione factum sit, vt ideo, quia diuelli ab amicis suis nolebat, ignis supplicio addiceretur. Res ita sese habet, si sensum ego NIEDERI capio. Simulabat homo ille primo poenitentiam, et paratum sese ad errores eiurandos ostendebat: quum vero bini eius discipuli caperentur, iidemque magistri exemplum imitari nollent, sed in sententiis firmiter perseuerarent, ipse ad dimissas iam sententias redibat, seque mori malle cum necessariis suis profitebatur, quam extinctis illis viuere. Denuo

*) loc. cit. Lib. II. cap. 11. p. 304.

Denuo itaque exploratus ingenue promebat omnia, quae antea aut dissimulauerat, aut callide interpretatus erat, et dictatum supplicium constans sustinebat.

§. XXXXIII.

Reliquis ex Germaniae prouinciis non tot mortes et calamitates *Beghardorum*, quot ex Heluetia et Sueuia, colligi possunt: nec enim omnes in litteras relatae sunt: at nec desunt tamen, ex quibus manifestum fit, nusquam fere non, aliis locis plures, aliis pauciores, eius ordinis homines Inquisitoribus sese obtulisse. A. 1402. EYLHARDVS SCHONEVELD, celebre haereticorum flagellum, Vismariae *Beghardum* quemdam, cui nomen *Bernhardus*, de medio tollebat. *Similiter*, ait HERM. COERNERVS *), *et in vrbe Vismariensi dictus Inquisitor pro eodem tempore quendam Beghardum, socium Wilhelmi in Lubeke incinerati* (is socius non *Beghardus*, sed *Apostolus* erat) *Bernhardum nomine, examinatum et haereticum inuentum induratum comburi fecit.* Biennio post, A. 1404. Argentorati denuo grauis procella *Beghardorum* gentem affligebat. Agitabat eo tempore Basileenses vehemens disputatio, auctore IO. MVILBERGIO nata: vtrum mulieres *Beghinae* in vrbe tolerandae essent, necne? de qua alio loco ex instituto commentabimur. Eius certaminis rumor quum Argentoratum peruenisset, vbi non *Beghinae* tantum, vti Basileae, verum etiam *Beghardi* plures, libere versabantur, et mendicando ciuibus molesti erant, Senatus, pertaesus sine dubio ignaui generis, ex Iureconsultis, aliisque viris eruditis quaerebat: Quid de hac secta habendum esset? Hi, quaestione diligenter ponderata, respondebant vniuersi, Pontificum legibus eam damnari, nec idcirco ferri debere. Qua sententia cogni-

 ta,

*) Chronico ad A. 1402. in ECCARDI *Corpore scri- ptor. medii aeui*, *Tom. II.* p. 1185. Conf. supra §. VI.

ta, Senatus, edicto proposito, omnes et *Beghardos et Beghinas*, ne illis quidem exceptis, qui tertiam S. FRANCISCI regulam sequerentur, vestes exuere iubebat, quibus a populo distinguebantur, et mendicando desistere, qui obtemperare nollent, vrbe excedere *). Parebant plerique: alii solum mutabant. Mulierum, quibus satius videbatur, patriam deserere, quam legi obedire, quaedam Moguntiam proficiscebantur, vbi socios sociasque instituti sui clam versari, non ignorabant. Verum hic quoque diu illis tranquille viuere non licebat. M. enim HENRICVS de LAPIDE, qui Moguntiae Inquisitoris munere magna cum cura fungebatur, vulpeculas in vineam irrepsisse animaduertens, IOHANNEM II. Nassouicum, Praesulem Moguntinum, impellebat, vt conquiri omnes et poenis affici iuberet. Sed hoc tamen bellum sine caede et sanguine gestum videtur, forte quia miti IOHANNES ingenio erat: NICOL. enim SERARIVS, cui notitiam eius debemus, nullius capitalis supplicii, sed carceris tantum et publicae ignominiae meminit: *Ceterum*, inquit **), *ipse hoc anno id sibi curae habuit, vt Lolhardi et Beguttae, qui iis temporibus furtim et ex occulto Moguntiam insederant, legum, iudiciorumque poenis coercerentur. Cum enim haberentur haeretici, haud tolerandos statuit. Administer operae erat M. Henricus de Lapide, qui omnibus eos viribus persequebatur. Notant Miscella nostra Moguntina, sanctimonialium quampiam in claustro D. Nicomedis, labe ista infectam, carceri mancipatam: iuvenem vero quendam, Rotenburgo ad Tubarim oriundum, in peristylio aedis maioris dolio insidentem, magna populi*

*) Haec CHRIST. VRSTISIVS memoriae prodidit in *Annalibus Basileensibus*, Baßler Chronik IV. Buch, X. Hauptst. p. CCV. Basel 1580. fol.

**) Rerum Moguntiacar. Lib. V. §. 18. in IOHANNIS Scriptor. Rerum Moguntinar. Tom. I. p. 724.

populi corona circumstante, in mantello suo crucem accepisse pro poenitentia, non longe post tamen rediisse ad ingenium, M. Henrico vnam libram depeculatum et vnum dappardium: plures praeterea foeminas, Argentorato huc delatas, in vincula conditas fuisse. Beghardos esse, et ex eo quidem genere, quod reconditae cuidam pietati studebat, qui hic *Lolhardi* nominantur, non modo ex vocabulo *Begutta* liquet, quo instituti eiusdem mulieres indicantur, verum etiam ex aliis rebus, maxime hinc, quod inter eas *sanctimoniales* etiam fuerunt. Nempe, quod iam diximus, et diligentius alio loco docebimus, *Lolhardus* vocabulum non inhonestae originis, communis paullatim nota fiebat omnium, qui hostes ecclesiae, seu haeretici videbantur, et idcirco *Beghardis* etiam imponebatur. Iuuenis, quem poenitentiam publice profiteri oportebat, cur dolio fuerit impositus, non intelligo: ille vero, iniuriae sibi illatae memor, iudici, quae poterat, surripiebat et aufugiebat, et nominatim *vnum dappardium*. Frustra hoc vocabulum apud FRESNIVM similesque scriptores quaeras: at sine controuersia idem est, quod *Tapardus* et *Tabardum*, et longam vestem seu togam significat.

§. XXXXIIII.

Tot aduersus mala et calamitates quo praesidium sibi compararent *Beghardi* et *Beguinae*, qui victum mendicando quaerebant, plerique tertiam S. FRANCISCI regulam adsciscebant, aut potius se adsciuisse simulabant; et quo persuaderent hoc populo, non modo illud vestimenti genus sumebant, quo *Franciscani* sodales humeros solebant tegere, verum etiam vicinis Franciscanae gentis collegiis se, suamque vitam certo modo subiiciebant. Idem dudum remedium contra vim hostium suorum aliae adhibuerant sectae, et in primis *Beguinae* illae *Beghardi*que honesti et laboriosi, quos Romani Pontifices patrocinio suo dignati erant. Faciebant vero id haud

sinuitis Franciscanis, quibus amplificatio familiae suae ipsa Pontificis auctoritate sanctior erat: et tanto facilius facere poterant, quod *Beghardorum* et *Beguinarum* appellatio vulgo illis etiam vtriusque sexus hominibus tribuebatur, qui reuera tertiam FRANCISCI regulam adoptauerant. De hac siue prudentia, siue dolo, certiores facti Patres, qui A. 1414. Constantiae ad tollendum Pontificale discidium, et sananda rei publicae Christianae vulnera conuenerant, prouidendum sibi esse ducebant, ne quid inde detrimenti ecclesia caperet. Itaque omnes tertiae S. FRANCISCI regulae professores vtriusque sexus, *humerale* illud, seu *scapulare* Franciscanum deponere, iisdemque, quibus alii honesti ciues, vestibus et moribus vti iubebant. Digna est, quae tota hic adscribatur, Constantiensis concilii sanctio *): *Quia sub colore tertiae Regulae Beati Francisci ex conuentu fratrum Minorum, quamplures personae vtriusque sexus scapularia deportare videntur, acsi ipsorum viuendi modus distincta foret religio, et ab aliis separata: huiusmodique personae in illo habitu operibus interdum indecedentibus* (sic scriptum extat: at scribendum erat, *indecentibus*) *et mulieribus* **) *se ingerunt, in dedecus sacrae religionis vergentibus, ex quibus inter seculares plurima scandala videntur exoriri: quaedam etiam personae tales continentiam, obedientiam et paupertatem promittunt,*

*) Reformatorii Constantiensis Decretales Tit. X. cap. XIII. in HERM. von der HARDT *Concilio magno Constantiensi*, Tom. I. Part. X. p. 715. 716. 717.

**) *Et mulieribus.* In hoc vocabulo vitium esse, et antecedentia docent, et consequentia. Ex antecedentibus enim patet, *de vtriusque sexus personis*, non de viris tantum, qui *mulieribus se ingerere* soli possunt, hic agi: Sequentia vero: *in dedecus sacrae religionis vergentibus*, factis quidem, at nullo modo *mulieribus* conuenire possunt. Scriptor vetustate attritas codicis litteras quum non assequeretur, sine dubio ex sua coniectura vocabulum *mulieribus* intrusit.

sunt, et tamen in sylvis et plebibus commorantes, cum alias ad laborandum aptae forent, de eleemosynis in praeiudicium pauperum et miserabilium personarum vivunt: BEGGARDIS, BEGVTIS, *quae* SVESTRI OMNES *dicuntur, de haeresi valde suspectis, se eis conversando ingerunt* *): *Ipsorum, ipsarumque sectas et haereses, ut timendum est, sub tali habitu et specie occultant simulata: Idcirco haec sancta Synodus districtius inhibet, sub excommunicationis poena, ne huiusmodi personae, sub tertia regula, huiusmodi scapularia ut antea deferant: sed in conuersatione et statu se aliis honestis ciuibus, sub obseruantia dictae regulae, quae praeclarus quidam modus viuendi est, tanquam regula, conforment penitus. Et omnino non liceat dictorum fratrum superioribus sub tali habitu quascunque personas extra loca sacrata sui ordinis quomodolibet assumere, sub poena praescripta. Quam quidem poenam locorum Ordinarii, tam contra dantes, quam contra recipientes huiusmodi distinctum habitum, scapularia et professionem, procedant, et procedi faciant per ecclesiasticam censuram: Apostolico vel alio quocunque priuilegio et aliquatenus non obstante.* Parum in hac lege prudentiae est, parum etiam lucis, ordinis et perspicuitatis. At constat tamen ex ea, primum, illas virorum et mulierum societates, quae mendicitati studebant, id est, *Beghardorum* et *Beguinarum*, ad tertiam S. FRANCISCI regulam, ut Inquisitores fallerent, se contulisse, atque pallio illo gentis *Franciscanae*, quod *scapulare* dicebatur, humeros ornasse, ne scilicet de hoc transitu dubitari posset. Con-

*) Emendatione hic opus est. Primum pro *Svestri omnes* legendum omnino est: *Svestriones*. Hoc enim vocabulo *mulieres liberi spiritus* vulgo notabantur. Deinde loco sexti casus primus poni debet: *Begardi, Beguttae, suspecti*. Id sequens verbum *ingerunt*, a quo haec nomina reguntur, extra controuersiam ponit.

Conſtat deinde, earum ſodalitatum alias in ſiluis, ab hominum conſuetudine remotas, alias in vrbibus, ſeu *plebibus*, vt lex ait, vixiſſe. Conſtat porro, vtrasque, tametſi mutatae prorſus videri volebant, veterem tamen viuendi formam retinuiſſe, nec modo publice mendicaſſe, verum etiam iisdem, quibus Monachi, votis ſuos adſtrinxiſſe. Conſtat denique, illos *Beghardos*, quibus haereſeos notam tot leges et decreta conciliorum et Pontificum inuſſerant, *Beguttas* item, quae *Schweſtriones* vocabantur, in haec ſeſe mendicorum collegia inſinuaſſe, atque ſub Franciſcanae regulae et veſtis tutela, errores ſuos propagaſſe. Nihil hiſce omnibus fieri certius et verius poteſt. Verum rideat neceſſe eſt, qui medicinam conſiderauerit, quam his malis prudentiſſimi eccleſiae patroni, Conſtantiae congregati, opponunt. Non illi coetus iſtos religioſorum mendicorum diſturbari et deſtrui iubent: non a ſuperſtitione illa *Tertiae regulae* homines ad veram pietatem reuocant: laudant potius illum viuendi modum, tamquam praeclarum et in primis ſalutarem: non alia ſtatuunt ad expellenda vitia, quibus *Beghardorum* natio fauebat, vtilia: verum vnice *ſcapulari*, quod vocant, litem intentant, credereque videntur, illo *Tertianorum* humeris detracto, nihil amplius metuendum fore. Ergone in pallio iſto vis omnis mali, quod extinctum cupiebant, recondita erat, vt ſperari poſſet, amoto illo, ſalua et ſana omnia fore? Id quidem facile intelligo, venerandum illud *ſcapulare* Inquiſitoribus obſtitiſſe, ne commode manus iniicere poſſent illis, qui ſub eo mores et ſententias *Beghardorum* ſequebantur: at hoc tamen aeque clare video, etiam ſine iſto pallio agi et doceri omnia potuiſſe, quae turpia et noxia eſſe Conſtantienſes ducebant. Hinc etiam, quod ſequentia docebunt, nullus decreti eorum fructus oriebatur, Beghardique tam nocentes, quam innocentes, et cum *ſcapulari*, et ſine *ſcapulari*, rem Chriſtianam turbare pergebant.

§. XXXXV.

§. XXXXV.

In eodem Constantiensi concilio, *Clericorum vitae communis*, de quibus paullo ante disseruimus, seu *Gerardinorum* et fratrum *Lolhardorum*, siue *Cellitarum*, aut *Alexianorum* caussa in disceptationem vocabatur. Vtraque enim haec secta cum *Beghardis* non modo componi, verum etiam *Beghardorum* et *Beguinarum* vocabulis vulgo salutari et insigniri solebat, quoniam institutorum et morum cognatione quadam veros *Beghardos* attingebat. Quamobrem qui male volebant his familiis, nomina earum ad Senatum orbis Christiani, Constantiae tum residentem, deferebant, easque tamquam *Beghardorum* socias extirpari volebant. Alexianorum quinam accusatores fuerint, et caussa eorum quanam ratione Constantiae acta et terminata fuerit, neque ex Actis, quae adhuc edita leguntur, concilii constat, neque aliunde discere mihi licuit. Hoc vnum ex EVGENII IIII. litteris *), quas suo loco recitabo, cognitum habemus, iudicem illis a concilio datum fuisse ANGELVM *tituli SS. Petri et Marcelli presbyterum Cardinalem*, eumque visis litteris, quibus mores et instituta sectae a multis magistratibus commendabantur, puram eam et tolerandam pronuntiasse. *Communis vitae fratres*, seu *Gerardinos*, aggrediebatur MATTHIAS GRABON, Dominicanae familiae sodalis. Vixerat is, quod ipse tradit in libello, MARTINO V. Constantiae oblato **), aliquamdiu Groeningae apud Batauos, ibique fratres et sorores *communis vitae*, vti vocabantur, viderat, cum dignitate et existimatione viuere, splendida domicilia sibi construere, praefectos praefectasque creare, nulli-

*) FELIX HAEMMERLIN, seu MALLEOLVS Glosa Bullarum, per Beghardos impetratarum, Opp. fol. C. 3. 1.

**) v. HERM. von der HARDT Acta Concilii Constantiensis, Tom. III. P. VIII. p. 107. f.

nullique licet probatae regulae adstricti essent, omnibus honoribus et commodis frui, quibus Monachi et Sanctimoniales fruebantur. Id male prorsus habebat hominem, status et ordinis sui studiosissimum. Itaque in Germaniam redux, libellis quibusdam demonstrare nitebatur, ferri nullo modo posse, vt qui Monachi non essent, Monachorum tamen legibus et iuribus vterentur. Qui libelli quum minus forte, quam sperauerat, animos commouerent, ad concilium accedere, ipsique Pontifici, recens creato, MARTINO QVINTO, animi sui sensa, et in *Gerardinos* conceptam indignationem, exponere non dubitabat. Breui igitur scripto hoc sibi generatim ostendendum sumebat, neminem, nisi Monachum, et certae cuidam regulae ex illis, quas Pontifex Maximus approbasset, subiectum, tribus illis *consiliis*, quae nominantur, *Euangelicis*, *paupertatis*, *obedientiae et castitatis*, sine peccato, et cum spe praemii apud Deum obtinendi, obtemperare posse: quo posito, concludebat, qui rerum suarum dominio renuntiarent, et bona in commune conferrent, neque tamen inter Monachos nomen profiterentur, non modo nihil apud Deum mereri, verum etiam atrox crimen et intolerabile peccatum admittere, *falsosque illos prophetas* esse, quos Iesus Christus fugiendos esse monuit. Id vero praeceptum homo feruidus et praeceps etiam ad *Beguinas*, seu *Beguttas*, innocentes licet et omnis erroris nescias, nominatim referebat: *Matronae*, ait, *seu mulieres communem vitam ducentes, insimul commorantes, Begutiae vulgariter nuncupatae, quoscunque errores non tenentes aut praedicantes, seu alias de erroribus vel haeretica prauitate non suspectae, aeternae damnationis sunt filiae, et earum status est prohibitus et damnatus* *). Prouide et caute loquitur, ne secus, quam volebat, intelligeretur. Nempe noue-

*) HERM. von der HARDT l. c. p. 112. conf. IAC. LENFANT histoire du Concile de Constance, Tom. II. p. 236.

nouerat, ambiguae poteſtatis eſſe vocabulum *Begutta*, et mulieribus etiam tribui, magnorum errorum nomine ſaepe condemnatis: de quibus ne quis ſe loqui putet, diſtincte ſignificat, ſe non mulieribus malis et impiis, verum bonis, et omni erroris ſuſpicione carentibus, aeterna ſupplicia denuntiare. MARTINVS V. cauſſam hanc examinandam committebat ANTONIO, Cardinali Veronenſi: is eos rurſus in conſilium vocabat, qui Theologos inter Conſtantiae praeſentes principe fere loco erant, PETRVM de ALLIACO et IOH. GERSONEM. Vterque duram valde ſententiam in fratrum et ſororum communis vitae hoſtem ferebat. Ille *tractatum* MATTHAEI GRABON cenſebat *haereticalem eſſe et igni tradendum*, hac nixus praecipue ratione, quod primi Chriſtiani Hieroſolymitani bonorum communitatem introduxiſſent, qui tamen votis Monachorum caſtitatis, paupertatis et obedientiae non fuiſſent obligati. De homine ipſo decernere nolebat, Iureconſultis, quam poenam commeruiſſet, conſtituendum relinquens. Accedebat ad hanc ſententiam in vniuerſum IOH. GERSON, verum idem latius pluribusque argumentis GRABONIS opinionem oppugnabat, et vehementius cum dogma, tum auctorem dogmatis coarguebat. Dogma ſtatuebat *ſtultae et inſanae fantaſiae, immo et blasphemiae inniti:* quo nihil dici poterat formidoloſius. Auctorem vero, ſi monentibus obtemperare nollet, *ſic* iudicabat *arreſtandum eſſe, quod non habeat facultatem redeundi, et deteriora perpetrandi*, hoc eſt, perpetuae hominem cuſtodiae addicebat, ſi mentem mutare recuſaret. Fautores praeterea et defenſores Monachi reprimi debere, arbitrabatur GERSON, *et niſi deſiſtere voluerint, grauiter puniri:* vnde apparet, non defuiſſe in concilio, qui Monacho ſuffragarentur, et *Gerardinos* ſimilisque inſtituti homines extinctos cuperent. Atqui hoc iudicium quum perſpiceret GERSON, *Beghardos* et *Beguttas* mali et improbi moris in rem ſuam trahere poſſe,

haec

haec addenda sibi esse censebat: *Ita tamen, quod non laxetur nimia licentia ad defensionem Begardorum et Beguttarum, si reperiantur effrenes, et discoli, et scandalosi in sacris obseruationibus, praesertim in contemptum Praelatorum suorum saecularium et Curatorum.* Ex his, quid concilii Constantiensis patres de *Beghardis* et *Beguinabus*, a quibus prauarum opinionum studium aberat, existimauerint, apertum est: GERSONIS enim cui notae sunt sententiae, is totius concilii, quod oraculi eum loco colebat, mentem habet cognitam. Igitur tolerari volebant Constantienses huius generis et ordinis homines: at eosdem sacerdotes suos reuereri et superstitionem fugere iubebant *). Erunt, opinor, qui seueritatem GERSONIS, leni alioquin ingenio viri, admirabuntur in negotio non maximi, si quid iudico, momenti, nec religionis summam tangentis: verum mirari desinent, qui cogitauerint, Dominicanae familiae sodalem GRABONEM fuisse, inter Parisiensem vero Academiam, cuius GERSON Cancellarius erat, et Dominicanam gentem graues a longo tempore, nec adhuc satis deletas inimicitias intercessisse: vnde fit, vt in mitiorem rarissime et aequiorem partem Parisienses doctores propendeant, vbi de peccatis Dominicanorum, et omnium generatim fratrum Mendicantium, pronuntiare iubentur. Tantorum hominum sententiis percusso MATTHAEO GRABONI nihil aliud relictum erat, si poenam declinare vellet, quam vt demisse veniam precaretur admissorum, et opiniones, quas imprudens proposuerat, sacramento detestaretur. Id iussus die tertio Aprilis A. 1418. faciebat **) praesente ANTONIO, Veronensi Cardinali, multisque aliis magnae dignitatis et existimationis viris, eius rei caussa congregatis. Formulam HERM.

*) Extat totum GERSONIS iudicium in *Operibus* eius, *Tom. I.* p. 467. f.

**) HARDT Concilium Constantiense, Tom. IIII. P. XII. p. 1544.

HERM. von der HARDT publicauit *). In vtroque, tam PETRI de ALLIACO, quam GERSONIS, iudicio, nulla prorsus mentio fit *Gerardinorum*, aut *communis vitae fratrum*, tametsi, quod libellus ostendit Pontifici exhibitus, hos potissimum GRABON ille adortus erat, sed in vniuersum opinio tantum eius de bonorum communitate, solis Monachis propria, reiicitur et damnatur: neque aliis ex documentis constat, Pontificem, patresque Constantienses decreto quodam, aut sanctione, *Gerardinorum* sectae contra hostes, quos plurimos habebat, consuluisse. At eiusmodi tamen quid tum contigisse Constantiae, AVBERTVS MIRAEVS refert **) ex CHRISTIANO MASSAEO ***): hunc enim MIRAEVS scribit narrare, *in generali concilio, Constantiae celebrato*, quemdam ex aduersariis Gerardinorum *ausum fuisse dicere, eos esse ex illis, quos dudum Romani Pontifices, Bonifacius, Clemens et Iohannes exterminauerant: ei calumniae viriliter restitisse Iohannem Gersonem, eoque perpulisse hominem, vt ipse cum libello famoso, quem Senatui obtulerat, igni adiudicaretur: sed fratres, qui aderant, aduolutos iudicum pedibus, precatos esse veniam reo, vt liber tantum incenderetur, non auctor: incenso igitur volumine, iussum fuisse auctorem exire prouincia: Gersonem pro Gerardinis*

*) Concilio Constantiensi, Tom. III. p. 119. 120.

**) Originum Monasticar. Lib. I. cap. XXVII. p. 65. Col. 1620. in 8.

***) Narrauit haec sine dubio in *Chronico*, quod nondum editum est, suo MASSAEVS, celebris Hieronymitanae familiae Saeculo XVI. Presbyter. vid. FRANC. SWERTII *Athenas Belgicas*, p. 175. IO. FRANC. FOPPENS *Bibliotheca Belgica*, *Tom. I.* p. 172. f. GODOFR. GVIL. LEIBNITIVS *Praefat. ad Tom. II. Scriptor Brunsvic.* p. 40. MASSAEVM dicit *Iohalem* fuisse *Gerardinorum*, seu fratrem communis vitae: temere sine dubio et falso: valde *Hieronymitani*, quibus adscriptus fuit, a *Gerardinis* differunt.

dinis pulcherrimum tractatum edidisse: eosdem concilium, Martino quinto praesidente, plurimum corroborasse, modum eorum viuendi comprobasse, hortatum esse, viriliter agere, scholas erigere, ad pietatem discipulos instituere. Partem horum, nominatim postrema, GODOFREDVS etiam GVIL. LEIBNITIVS sic tradit, ac si nihil dubitationis haberent *): is vero ex MIRAEO, quem paullo ante nominauerat, accepisse sua videtur: quocirca tota res ad MASSAEI auctoritatem redit, quem vnum MIRAEVS testatur. Non admodum difficile est ad credendum, MARTINVM QVINTVM aliosque probos viros, Constantiae congregatos, Gerardinos, quos GRABON cum sociis importunissime lacerauerat, bono animo esse iussisse, praetereaque exhortatos esse, vt de re publica tam sacra, quam ciuili, scholis aperiendis, et erudienda iuuentute, bene mereri pergerent: verum facit ipse MASSAEVS, vt hoc ei, incredibile licet non sit, aegre credamus. Paucis enim vel veris, vel verisimilibus multa homo admiscet sine controuersia falsa: quae quidem fidem eius maximopere labefactant. Id primum turpiter mentitur, GRABONI non minus, quam libello, quem obtulerat, supplicium ignis a iudicibus decretum esse; Gerardinos autem in concilio praesentes, precibus suis obtinuisse, vt liber tantum, non auctor libri, combureretur. Nemo ignis poenam homini dictauit: GERSON perpetuae eum custodiae tradendum esse censebat, si erroribus nuntium mittere nollet. Hoc ergo vnum poscebant iudices, vt iureiurando interposito, quae scripserat, repudiaret: quo facto, incolumis dimittebatur. Quare id etiam, quod ex prouincia eiectus, seu in exilium missus esse dicitur, fictum haberi debet. Et ipsa sacramenti formula, quam recitare iussus est, non patitur, vt hoc verum esse putemus. Libellus vtrum exustus publice sit, nec-

*) Praefat. ad Tom. II. Scriptor. Brunsvic. p. 40.

necne, incertum est: silent Acta concilii: et tantum forte valuit apud iudices docilitas auctoris, vt hanc ei ignominiam remitterent. Quaecumque porro GRABON tulit, ea minime, quod MIRAEO cum MASSAEO suo videtur, ob vexatos et temere accusatos Gerardinos, seu communis vitae sodales sustinuit: nulla nempe huius sectae vel in iudicum sententiis, vel in sacramento, quod edere debuit, memoria: poenas vnice dedit opinionum de communitate bonorum nullis, nisi Monachis, licita, et de vitae religiosae dignitate ac praestantia. Ad extremum falso GERSON *pulcherrimum tractatum pro Gerardinis scripsisse* traditur: non scripsit librum, seu *tractatum*, sed breue iudicium composuit, quod ab eo ANTONIVS, Veronensis Cardinalis, póstulauerat: neque caussam egit *Gerardinorum*, quorum nullo verbo meminit, sed GRABONIS tantum dogmata, quae paullo ante commemoraui, a norma verae religionis abhorrere, docuit. Credo, *Gerardinos*, in Belgio degentes, in vulgus sparsisse omnia, quae hic notauimus, vt existimationem sibi pararent, et securitatem a maleuolis: MASSAEVM vero, nimis credulum, quae illi praedicabant, temere in annales retulisse. Toties autem quum in veritatem homo iste peccet, illud etiam, quod de approbata in concilio Constantiensi *communis vitae secta*, et fratribus a Pontifice ipso et laudatis, et ad constantiam in suscepto vitae genere excitatis refert, merito in medio relinquitur. Hoc certum est, Constantienses non modo nihil in hanc gentem statuisse, quae reapse nulli molesta, et rei publicae vtilis erat, verum etiam tantam lenitatem erga vtriusque sexus *Beghardos*, qui operam mendicitati dabant, ostendisse, vt inter patronos et amplificatores eorum quodammodo collocari debeant.

§. XXXXVI.

Hac de caussa post concilium Constantiense, secundissimis vbique fere rebus in Germania et Heluetia vte-

bantur *Beghardi Beguinae*que mendicantes, multaque sibi domicilia et in vrbibus, et in agris, exstruebant. Aegerrime ferebant hanc licentiam sectae, tot legibus confossae et notatae, viri graues et rei publicae amantes, qui per ignauam hanc turbam populum mirifice vexari, et bonis suis exui cernebant: sed vincebat temporum superstitio, quae ex precibus et sanctis mendicorum istorum operibus, omnis generis salutem et felicitatem expectabat. Inter priuatos nullus eos hoc toto saeculo acrius et vehementius obiurgauit et lacessiuit, quam celeberrimus ille Heluetus, FELIX MALLEOLVS seu, vt Germanice vocatur, HAEMMERLIN, Iuris vtriusque Doctor, et Thuricensis cantor, vir pro aetatis, qua viuebat, modo non eruditus modo, verum etiam facundus et ingeniosus. Eius nempe libelli aliquot extant in *Lollhardos*, *Begardos*, *Beginas* et *Beguttas*, quibus tum Heluetia, contiguaeque regiones abundabant, A. 1438. oratione adeo vehementi et acerba exarati, vt nihil fieri possit iniuriosius. Confunduntur ab eo *Beghardi*, proprie ita dicti, cum *Lolhardis*, siue *Cellitis* aut *Alexianis*, diuersi instituti hominibus: et plures hunc illis temporibus errorem commiserunt, quibus *Beghardorum* et *Lolhardorum* nomina promiscue vulgo adhibebantur, et in omnibus ponebantur, quibus in sancto, quod vocabant, otio, sine certa lege viuere, et alimenta mendicare placebat, moribus licet inter se et vitae ratione magnopere differrent: at nec ita tamen, quae distinguenda erant, FELIX miscet, vt attentos lectores fugere possit, de duplici eum genere loqui. Atque ipse, aliud agendo, in adnotationibus, quibus Pontificum leges quasdam illustrat, homines illos, quos communi *Beghardorum* et *Lolhardorum* vocabulo designat, in binas sectas dispertitur, incautosque tacite monet, ne omnia vtrique communia esse censeant, quae reprehendit. Sic enim *):

Insir.

*) Glosa Bullarum, per Beghardos impetratarum. f. C. 3. 2.

Infirmorum, ait, *curam gerunt illi frequenter, qui in ciuitatibus morantur, et ad hoc opus ſyluestres et anachoretae non conueniunt, ſed in talibus pure quieſcunt.* Et paullo poſt: *In ſepulturis quorumcumque ſe non intromittunt, qui in nemoribus degunt.* Hic *Beghardos* ſuos clare diſtribuit in eos, qui vrbes, et qui agros ſeu nemora et ſiluas incolebant. Vrbani aegrotantibus aderant, et mortuorum funera curabant: ruricolae haec ſua non eſſe putabant officia, ſed otioſi vitam tranſigebant. Illi erant *Alexiani*, ſiue *Lolhardi* proprie ſic dicti, quod ſuo loco monſtrabimus: hi *Beghardi* erant, ex illis nimirum *Beghardis*, qui nihil quidem rei ſibi volebant eſſe cum *fratribus liberi ſpiritus*, ſeu *Beghardis*, prauarum de religione ſententiarum ſaepe poſtulatis et condemnatis, at voluntariam paupertatem ſummae virtutis loco ducebant, et mendicando neceſſitatibus ſuis conſulebant. Luſtremus breuiter libellos FELICIS, pauciſſimis hodie notos et prope ſepultos, quibus mores et vitia vtriusque generis huius perſequitur, et quae in illis ad ſtatum *Beghardorum* aetatis illius cognoſcendum faciunt, obſeruemus. Primus, in ipſo limine *Operum* viri, Baſileae vno volumine editorum, poſitus, inſcriptus eſt: *Contra validos mendicantes, ad Henricum Conſtantienſem epiſcopum*, et, quod in extremo libello legitur, menſe Ianuario A. 1438. conſcriptus. Obteſtatur in eo feruida et exuberanti oratione Conſtantienſem praeſulem, vt *Beghardos, Lolhardos, Beghinas* et *Beguttas* in prouincia ſua commorari, et populum exhaurire, diutius pati nolit: quod vt ab eo impetret, ſemet ipſe inducit cum *Beghardo* aut *Lolhardo*, aſinum mendicatis opibus onuſtum ducente, disputantem. Scenam aperit lepida hominis imago, ex ſacrorum librorum verbis maximam partem conflata, vnde, qui fuerit aſpectus, qui veſtitus eorum, qui *Beghardi* dicebantur, intelligi poteſt. *Erat vir in terra, non re, nec nomine Iob, nec erat vir ille rectus, nec timens Deum — — — habens*

 floccum

floccum, siue cucullam subtus cappam et scapulare, et tunicam talarem — — — et zona qua semper praecingitur. Erat etiam rufus et pulcher aspectu, decoraque facie, 1. Reg. XVI. et tanquam potens crapulatus a vino, Ps. LXXVII. — — — habens tumentes buccas, rubentiaque ora, et fortis vt gygas ad currendum viam suam, Ps. XVIII. Et paucos canos gerebat in barba — — — — et rogabat, vt eleemosynam acciperet, ducens enim asinum plenum panibus et lagenam vini, 1. Reg. XVI. Ex familia *filuestrium* hic sine dubio *Beghardorum* est, id est, illorum, de quibus nunc maxime agimus, quoniam asinum habet comitem, qui collectas mendicando dapes ad fratres, ruri degentes, deuehat. *Vrbani* non indigebant baiuli eiusmodi. Dubium quidem hoc facere videtur FELIX, quum *Beghardum* suum significat S. ALEXII exemplo se tueri voluisse. *Christum*, inquit ille *), *secutus est S. Alexius. Et est optimum argumentum, arguere ab exemplis, quae pietatem continent.* Cui his verbis FELIX respondet: *De Alexio dico tibi, Beghardi, quod errauit mendicando, sed spiritu sancto illustratus rediit ad propria, vt nulli esset onerosus.* S. ALEXIVM patronum adsciuerunt, quod alias planum faciemus, *Beghardi* vrbani, qui propterea Alexiani fratres nominabantur, numquam vero illi, quos *sylvestres* FELIX noster nuncupat. Illius ergo generis, non huius aliquem opponere sibi, in illa disputatione videtur. Verum animaduertimus iam, parum diligenter duplicem hanc sectam a FELICE distingui, quippe cui tantum cum neutra consuetudinis fuerat, vt, quo modo discreparent, explorate cognitum haberet. Igitur ex hac eius descriptione constare putamus, quemadmodum incesserint vulgo, et qua ratione amicti fuerint religiosi mendici, qui extra vrbes in siluis et desertis locis agebant, et ex illis legatos in vrbes mittebant, qui cibos et

vitas

*) Contra validos mendicant. A. 6. a.

vitae necessaria colligerent. Inter vestimenta eorum, quod obseruatu non indignum, *scapulare* est. Sanxerat concilium Constantiense, quod supra vidimus, nequis *Tertiarius* Franciscanae gentis hoc ornamentum humerorum, quod sanctum videbatur, gestaret, sacrorumque communione interdici iusserat, qui eo vti pergerent. FELIX vero noster cum hoc loco, tum aliis, testis est locuples, spreuisse legem illam Constantiensem, qui se *Tertiarios* familiae Franciscanae dicebant, et in his *Beghardos*, atque audacter sacrum illud pallium humeris suis iniecisse, quo superstitiosae plebis beneuolentiam et studium tanto facilius consequerentur. Adiiciam vnum eius hac de re locum, ceteris insigniorem *): *Anachoretas nunc fallaciter se simulant Beghardi et Lollhardi in nemoribus et extra morantes, nullam regulam profitentes, et aliqui de tertia regula fratrum Minorum se recognoscentes, et* FALLACITER SCAPVLARE SVMENTES. Non iniuria igitur FELIX, conspecto homine illo, temeritatem eius increpat, et cum alia, tum *scapulare* illud, ipsi oratione in primis vehementi exprobrat: *Tu inueterate dierum malorum, vere tu ex illis es, videlicet de statu abhominabili quorumdam hominum malignorum, qui Beghardi vulgariter nuncupantur in regno nostro Alemannie, procurante sature malorum operum. — — — Et insuper labores manuum tuarum non manducas, ideo beatus non es — — — Defers cucullam et scapulare, quae sunt signa et habitus verae et approbatae religionis — — — Et etiamsi esses de tertia regula fratrum Minorum, tibi non liceret, cum tales etiam non sint religiosi — — — Nicolaus Papa in confirmatione tertiae regulae nec floccum, nec scapulare illis concessit, nec valido corpore ipsos mendicare voluit, sed iubet eos laborare.* Ab hoc principio longa et taedii plena concertatio nascitur, quae post va-

*) Libro de religiosis proprietariis. b. 5. a.

rias ambages et digressiones ita terminatur, vt frustra litigatum esse appareat. Homo, quem sibi FELIX adversarium constituit, negat primum, se *Beghardum* esse. *Non sum Lollhardus, vel Beghardus, nec nouum habitum religionis assumsi, sed vnus de anacheritis sequendo Heliam.* Haec verba confirmant id, quod antea iam ostendimus, agi hoc in libello non de omnibus, quos *Beghardorum* nomine FELIX comprehendit, non de illis, qui vrbibus habitabant, sed eo de genere, quod in locis solitariis sedes sibi fixerat. Prudenter vero mendicus ille vocabulum *Beghardi* et *Lollhardi* declinat, quippe quod non modo ambiguum erat, verum etiam inuidiosissimum, hominemque tum temporis vulgo indicabat nigrum, ecclesiae inuisum, et magnis erroribus inquinatum. Veterem nempe potestatem suam, honestam quidem, nec mali ominis, nomina haec mutauerant, postquam vsu ad homines translata erant varii generis, eosdemque flagitiosos et improbos. Depulsa ignominiosa ista appellatione, *Beghardus* copiose verba facit, pro se, et sectae suae instituto, victum mendicandi: cuius defensionis caput hoc est, quod inimicum suum eiusdem, cuius accusabatur, delicti postulat. *Vere*, non inepte inter alia ait, *non est differentia inter me et te, nisi quod tibi portatur saccus in domum: ego vero curro cum sacco per ciuitatem — — — Si mendicando delinquerem, nos par facinus coinquinaret.* Sic vulgo caussam suam egisse *Beghardos* puto, contra sacerdotes et sacri ordinis homines, a quibus oppugnabantur. Hanc autem iniuriam FELIX, Thuricensis Canonicus, longa oratione et valde dicaci diluit, in qua demonstrare nititur: *Praebendas Canonicorum non esse elemosynas, sed stipendia et merces laborum et onerum, ad quos et quas Clerici religiosi deputantur. Beghardus* in sententia manet, eamque firmare pro viribus nititur, sensim vero ad aliam quaestionem delabitur, et ex aduersario suo sciscitatur, *Qui fiat, vt, quum omnes Clerici eadem ferant*

onera,

onera, iisdemque laboribus defungantur, non omnes tamen eosdem, sed longe dispares, laborum fructus capiant: alios enim pertenues et exiguos, alios vberes et copiosos habere reditus? Ista quaestio disputantes a re proposita seuocat, et in controuersiam ducit incertam et perplexam; ex qua, post difficilem et iniuriosam altercationem, ita postremo emergit *Beghardus*, vt Christi exemplum testetur, id est, Christum mendicasse, seque cum fratribus eius sequi vestigia, contendat. Haec sacra illa, quod aliunde etiam notum est, anchora erat, ad quam *Beghardi mendicantes* confugere solebant, ceteris praesidiis suis orbati: vnde magna illa lis exorta est de paupertate, seu potius de mendicitate Iesu Christi, quae saeculo decimo quarto et rempublicam et ecclesiam grauiter afflixit, et in maximas turbas coniecit. FELIX seuere, sed, vt verum fatear, non satis solide *Beghardum* Christi exemplo sibi consulentem reprimit. Quis enim, quae sequuntur, valde probabit: *Tu quod sequeris vestigia Christi, maxime nego. Nam Christus nudis pedibus legitur incessisse, sed tu calciasti pedes tuos* (Bellam sane demonstrationem et ad rem, quae agebatur, egregie accommodatam!) — — — *imo tu possides aurum et argentum, pecuniam in zonis tuis, peram in via, videlicet magnos saccos et duas tunicas.* Id igitur tacite, quod poscebat *Beghardus*, concedebat FELIX, mendicum fuisse Christum. Omitto reliqua, paullo quidem his pulchriora, at in se leuia, et ab instituta quaestione aliena. Ea vero, multis contumeliis et maledictis distincta ita mouent et accendunt *Beghardum*, vt mediam disputationem abrumpat, et cum asino suo abeat.

§. XXXXVII.

Excipit hunc libellum alius eiusdem argumenti, non omnibus pariter *Beghardis*, verum illis sigillatim, qui secreti a coetibus hominum, in siluis et agris viuebant, oppositus: quod quidem ipse index significat: *Contra*

Anachoritas Beghardos Beghinasque siluestres. Et hoc opusculum disputationem complectitur, quam FELIX non in via cum ministro et legato quodam, *Beghardorum*, sed in ipso eorum domicilio quodam cum praefecto, seu seniore sodalitatis aut reuera habuit, aut habuisse se simulat. Intermista sunt colloquio etiam huic nonnulla, quae, qua lege, quibus moribus et institutis, ea aetate *Beghardi* viuerent, demonstrant. Ex ipso statim exordio constat, in densis nemoribus domicilia sibi construxisse homines, et ante fores aedium, quas incolebant, agni signum collocasse, corona et cruce signatum. *Ego Felix — — in quodam frondoso nemore ad fores cuiusdam domus solitariorum, seu heremitarum praeteriens, vidi simulacrum, cuius subscriptio fuit haec: videlicet agnus Dei, crucis signaculo et dyademate decoratum, unde pulsanti soleter mihi reserata sunt ostia.* Admissus in has aedes, et comiter ab incolis exceptus FELIX, videt *quosdam homines in habitu religioso cappatos, scapulariatos, et plures ex eis barbatos procedentes, et in vno loco ad horam orationis nonam se* (*vt asseruerunt*) *congregantes.* Ergo fratres hi, ex senibus seu *barbatis* et iuuenibus compositi, et Franciscanae gentis insigni, quod *scapulare* vocabant, decorati, certis in die horis ad preces communes conueniebant. Sodales hi beneuolum sibi hospitem aduenisse primum existimant; verum paullo post ex responsionibus eius lupum adesse cognoscunt: quare subito caput coetus, seniorem et praefectum suum in medio constituunt, qui verbis omnium, insidiatorem reprimat. — Belli principium agnus est, cuius imaginem FELIX ante ostium viderat: ergo scire vult, hic quid sibi velit? Senex, quocum loquitur, respondens, verbose de agno disserit, et postremo totam sententiam his verbis complectitur: *Sicut nobilitas in signum dominationis arma praeponit regum palatiis: ita humilitas nostra, in signum patientiae, agnum mansuetum, cruce signatum, depingit in suis*

feli-

solitariorum tuguriis. Gaudet FELIX, hac responsione accepta, cum hominibus sibi rem esse, modestia et patientia praeter ceteros praeditis; verum documenta virtutum illarum sibi ostendi cupit: *Quia fides sine operibus mortua est, quae sunt opera tua et tuorum fratrum?* Senex igitur pia fratrum suorum opera praedicat: in quibus principem locum tribuit studio, aegrotantibus et morientibus subueniendi: *Inter opera nostra pietatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita retrahere, et maxime in periculo huius et aeternae vitae constitutos, quorum animos confortamus. — — — Et ita multas animas nostra diligentia ab infirmis et aegrotantibus morituris ad coelum duximus prouehendas.* Atqui responsio haec abhorret a persona hominis, quem secum pugnare facit FELIX. Est nimirum ille ex silvestribus *Beghardis*, qui, quod ipse testatur, non solebant aegrotis et morientibus adesse: quod quidem officium vrbani sibi sumebant *Beghardi*, qui proprie *Lolhardi* et *Alexiani* dicebantur. Scilicet quod ipse discrimen inter *Beghardos* suos ponit, quum composita mente scribit, id tollit, distinctas hominum sectas miscens, quum incalescit et irascitur. Pietas autem illa *Beghardorum* minime ipsi sufficit: desiderat inter opera eorum *eleemosynam*, *quae*, vt ait, *dominantior et potentior est inter omnia pietatis opera.* Negat senex, sibi, sociisque suis liberalitatem erga pauperes praescriptam esse. *Nec ad largitionem eleemosynarum tenemur — — quia, quae possidemus, vix nobis et nostris sufficiunt. Aurum et argentum non est nobis, sed tantum, quod habemus, hucusque dedimus.* At patet tamen vobis via, respondet FELIX, ad hanc etiam virtutem perueniendi. Laborate: et habebitis, vnde miseris et egentibus opem ferre queatis. Vere dicis, inquit Senior: patet ista via: *Sed nos optimam partem elegimus: orationibus autem, contemplationibus et in ieiunio et fletu vacando, aliis operibus quomodo insistere possemus? Et ideo in humiliato*

spi-

spiritu ab aliis Christi fidelibus eleemosynam poscimus. Haec oratio consentanea prorsus est sententiis et moribus familiae, cui senex ille praeerat: hac ratione sanctam ignauiam et voluntariam mendicitatem suam defendebant *Beghardi*, qui tum ruri ac in siluis latitabant. Nihil vero senex FELICI nostro persuadet: vrget is acriter aduersarium, et laborandum ipsi, sodalibusque esse demonstrat, vt, quae debeant, pauperibus praestare possint. Repugnat senex argumentis eius, quantum potest, et ex ipso Iuris codice, cuius Doctor FELIX erat, tela depromit, quibus eum configat. Vehementior hinc pugna fit, et in varias partes flectitur: ad extremum in conuitia et iniurias desinit. FELIX Beghardos simulatae pietatis, Pharisaicae perfidiae, aliorumque criminum arguit: illi vicissim linguas acuunt et aduersarium pugnis etiam inuadere velle videntur: qui quidem periculum sibi imminere videns, prudens in fugam sese coniicit. *Circumdederunt me*, ait, *sicut apes et exarserunt sicut ignis — — — Exacuerunt vt gladium linguas suas et irruerunt in me fortes. Oculi autem mei ad Dominum, et dixi in corde meo: Omnipotens pater, respice in me — — — Vnde Dominus exaudiuit me, et eripuit me e manibus eorum. — — Et sic euasi quasi ego solus, vt annunciarem haec in vniuersa terra.* Forte non fabulam narrat homo, sed historiam. Pugnax ille natura erat, biliosus, mendicis religiosis supra omnem modum inimicus. Quid impedit, ne talis ingenii hominem lites cum Beghardis studio quaesiuisse, et oris licentia stomachum bonis fratribus commouisse putemus?

§. XXXXVIII.

Binis, quorum argumenta breuiter suppeditauimus, libellis adiicit MALLEOLVS *Lolhardorum descriptionem*, quam rectius *atrocem accusationem* vocaueris. Quicquid enim vel ex moribus et institutis eorum ratiocinan-

sinando elicere, vel aliunde arcessere potest, ad eos infamandos, et publicis odiis exponendos, id studiosissime in ea conuehit, totque maledictis et iniuriis exaggerat, vt non homines, sed pestes hominum, et principis inferorum satellites, in iudicium vocare videatur. Specimina mendacissimae istius eloquentiae vt hic afferam, quid opus est? pauca vero illa indicare licebit, quae in hac declamatione nonnihil ad Beghardorum rationes, vt illa erant aetate, declarandas, conferre possunt. Horum primum est, quod FELIX sectam, quam tanto feruore insectatur, magnorum et potentiorum hominum praesidio frui commemorat. Eam beneuolentiam meruerant officiis, quae ditioribus, eorumque cognatis, liberis, amicis, morbis forte, aliisque calamitatibus oppressis, alacriter et diligenter, ministrando et consolando exhibere solebant, quum interea inopes et humilioris fortunae homines negligerent, et in morbis, miseriisque perire sinerent. *Potentia magnatum hactenus armauerunt se, quos prae ceteris in suis et suorum infirmitatibus apparatu quodam deuotissimo visitarunt, ipsis astiterunt et dulciter informauerunt, et diuites non dimiserunt inanes, sed nec humiles pauperes et esurientes in suis languoribus nec corporali cibo replentes, nec domibus eorum appropinquantes.* Verissime haec omnia dici, non dubito. Nam et aliis testimoniis haud paucis constat, magistratus virosque primi ordinis *Beghardorum* caussam apud Pontifices, et sacrorum praesules, fortiter et assidue egisse, eorumque miseris, aegrotantibus et morientibus inseruiendi solertiam et sedulitatem vehementer commendasse: nec humanae indolis gnarus difficulter credet, gentem istam, cui liberalitas aliena patrimonii loco erat, citius et hilarius diuitum et potentum palatia, quam pauperum tuguria, vnde nihil auferre domum poterant, accessisse. Hoc vero peccat FELIX, quod nullo discrimine habito, in omnes, quibus *Beghardorum* et *Lolhardorum* nomen imponit, has culpas conicit; quum ipse

alias

alias non diffiteatur, *Beghardos* filuestres otiose, precando et contemplando, vti quidem dicebant, vitam transegisse, *Beghardis*que vrbanis morientium et aegrotorum curam reliquisse. Magnis omnino patronis et fautoribus vtebantur fratres *Alexiani*, seu *Lolhardi*, quos vrbanos *Beghardos* FELIX noster appellat; nec indigni prorsus erant hac beneuolentia, ea praesertim aetate, qua perpauci erant, qui decumbentibus et morti vicinis officia, quorum indigebant, praestare vellent: verum ceteri *Beghardi*, qui remoti ab vrbibus et in filuis degebant, tantum abest, vt viri boni et rei publicae vtiles, viris principibus viderentur, vt potius inter ciuitatum onera, et populorum calamitates, collocarentur. Inter *Beghardorum* fautores non postremi erant Monachi mendicantes, maxime *Franciscani*, cum quibus societatem quodammodo coiuerant, tertiam eorum regulam suscipiendo, quod saepe iam vidimus. Hanc amicitiam aegerrime ferebat FELIX noster, quod intelligebat, saluos tamdiu *Beghardos*, quos extinctos cupiebat, fore, quamdiu Franciscanorum patrocinio gauderent. Ea re his persuadere nitebatur, plurimum ipsis ex *Beghardis* non incommodi tantum, verum mali et detrimenti prouenire: nam quae *Beghardis* tribuantur beneficia, ea Franciscanis eripi quodammodo: ingratam praeterea sectam male de fautoribus et amicis suis loqui solere: *Ita suos fautores et maxime religiosos mendicantes non tantum linguis detrahendo, sed eleemosynas, ipsis de iure debitas, subtrahendo moliuntur defraudare, quia plerumque, quantum ipsis dispergitur, tantum ipsis religiosis in suis donis debendis euacuatur.* Astute satis: nec enim inops erat noster ingenii: verum, vt opinor, frustra. Non tam hebetes erant fratres Mendicantes, quin perspicerent, rem suam in re *Beghardorum* agi, iisdemque, quibus hi oppugnabantur, argumentis et rationibus totam mendicantium turbam commodis suis euerti et destrui posse. Ad extremum, pessimi generis haereticorum

eorum ſeminarium ſectam eſſe *Beghardorum* conqueritur, et indicem quemdam conficit eorum, qui circa tempus illud ex, ea peruerſorum dogmatum nomine accuſati, et ſupplicio affecti eſſent. Eum indicem iam ſupra deſcripſimus. Haec vero querimonia non tam pertinet ad *Beghardos*, vrbium incolas, ſeu Alexianos et aegrotorum miniſtros, quam ad ſilueſtres et ruricolas. Ex illis quosdam errorum ſuorum poenas luere, non memini: inter hos vero mali *Beghardi*, ſiue *liberi ſpiritus fratres*, aſylum ſaepe quaerebant ſibi ab hoſtibus preſſi, et commodum non raro inueniebant. Qui forte patefacti et proditi, aut ipſi ſeſe imprudenter docendo prodentes, magnam inuidiam et infamiam familiae, in qua deprehenſi erant, creabant.

§. XXXXVIIII.

Vltimo libellorum, quos MALLEOLVS in *Beghardos* ſcripſit, nomen eſt: *Gloſa Bullarum per Beghardos impetratarum.* Exhibentur eo binae GREGORII XI. *) et EVGENII IIII. Pontificum maximorum, epiſtolae, ad Germanorum et Belgarum antiſtites datae, quibus *Cellitas*, vti vocabantur, ſeu mendicos illos, qui aegrotorum et morientium curam ſuſceperant, in tutelam recipiunt, et moleſtiis et iniuriis affici vetant. His Pontificum litteris, tamquam clypeo, aduerſus hoſtium ſuorum incurſiones et inſultus ſeſe tegebant cum omnes, qui *Beghardi* appellabantur, tum praeſertim illi, qui *Lolhardi* proprie et *Alexiani* nominabantur: quare FELIX copioſas, ſaepe etiam aculeatas et iniurioſas animaduerſiones, illis adiicit, quo tanto aduerſarios ſuos praeſidio priuet. Dabimus alio loco has epiſtolas legendas, quum *Lolhardorum hiſtoria* tractanda erit:

*) Minus recte: vocari debebat GREGORIVS XII. Cauſas, cur ita exiſtimandum ſit, in Corollario qualicunque noſtro expoſuimus.

erit: nam ad hos vnice pertinent, non ad illos, de quibus hic agitur in primis, *Beghardos:* nunc pauca tantum ex FELICIS ad eas obseruationibus decerpemus: ea nempe, quorum in praesenti negotio nonnulla potest esse vtilitas. In Praefatione lectores monet, EVGENIVM IIII. per totam vitam *Beghardis* valde fauisse, atque ipsum, antequàm magnis muneribus admoveretur, aliquamdiu in Beghardorum quodam collegio vixisse. *Nam et ipse Gabriel, videlicet Eugenius, per se quondam fuit in heremitorio prope Paduam tamquam Beghardus.* Non memini, hoc ab eorum aliquo referri, qui de rebus EVGENII exposuerunt: si verum est, caussa patet, propter quam *Beghardi*, qui semoti ab hominum societate, in siluis degebant, saeculo decimo quarto, rebus tam secundis per diuturnum tempus vsi fuerunt. Necesse erat, vt caussa caderent, qui litem hominibus inferebant, quorum ipse Pontifex sodalis aliquando fuerat.

APPEN-

APPENDIX PRIOR

CONTINVATVR INCHOATA RERVM AD BEGHARDOS ET BEGVINAS PERTINENTIVM NARRATIO

§. I.

Omnium postrema commentarii, iam demum promulgati verba, per se satis testantur, τὸν πάνυ MOSHEMIVM caussa, nescio qua, permotum, inchoatam veluti telam ibi seposuisse, neque vllo posthac tempore pertexere potuisse. Quod iustos rerum existimatores scio, aeque vehementer, ac me, deploraturos. Ille enim solus, quod alio loco iam dixi, instructus erat a praesidiis omnibus, quae viro erudito, simile negotium adgredienti, adesse oportet, vt, quod sequitur, satis prospero assequi possit successu. Verum quoniam mera querela, quamuis iusta pariter ac vehemente, damnum resarciri nullum, nec infectum, quod factum est, fieri potest: liceat mihi, non sine sollicitudine quadam, debitaque tam erga lectores eruditos, laborum discrimen facile animaduersuros, quam defuncti auctoris manes reuerentia, librum Moshemianum edenti, simul esse tam audaci (talem enim fortuna nonnunquam iuuare dicitur) vt tantum supplementi, quantum per praesidia caussasque alias possum, adiicere, eoque id detrimenti, quod litteris paullo ante per inclutí auctoris

mortem fecisse dixi, ex parte sarcire audeam. Quo consilio reliqua hominum, iure, iniuria, male audientium, et hoc nomine misere vexatorum fata, quin violentam denique oppressionem exponere adgredior, vt huius quasi tragoediae exitus plane appareat. — Cuius temeritatis, si cui videatur, veniam, quoniam rara exquisitaque non possum eruditione, breuitate saltem, qua fieri potest, me consequuturum esse spero et confido.

§. II.

Admodum probabile, opinor, sit e commentario Moshemiano, *Beguinas* et *Beghardos*, qui Belgium agrumque Leodiensem prima veluti incunabula habuerant, pedetentim in prouincias finitimas abiisse, ibique sedes nouas fixisse: vel, si illorum quosdam huc profectos neges, in his mature extitisse homines, qui ipsorum vitam, instituta, mores et rationem probarent, neque imitari nollent. Coloniensis ager primus huiusmodi homines vidisse videtur, atque aluisse. Eorum duces primos et principes credibile est, pios sane fuisse, honestos et integros, qui vitae et morum castitati operam darent omnem. Qui vt primum vero isthoc, neque infucato pietatis, honestatis ac religionis studio, laudem et existimationem singularem adepti, atque beneficiis nullibi non cumulati sunt et multis, et magnis; alii, eiusmodi fructibus et emolumentis haud spernendis allecti, voluerunt, vt in eorum collegium adlegerentur; adlecti pietatem ac morum honestatem simularent saltem, eoque tam socios vere pios et simplices, quam alios homines, male deciperent. Quod ita accidere potuisse, quin accidisse, potest effici ex historia Mennonitarum, Quackerorum, aliorum, qui hac, illa, aetate in rep. Christiana exorti sunt, et quorum in posteris non paucos exstitisse constat, qui ab institutorum, quique suorum, simplicitate, honestate et religione quam maxime descicerent, ac pietatis personam prae se ferentes, variis errori-

bus

bus et flagitiis sese inquinarent. Hinc non dubito, quin, a primo fere societatis exordio, inter eos fuerint nebulones et simulatores, qui verbis quidem religionem iactarent, reapse autem opinionibus peruersis, ac nequitia sceleribusque clandestinis dedecorarent. Quod vtcunque vel sit, vel existimetur, hoc tamen minus ambiguum est, *Beghardorum* in vtraque, quam paullo ante diximus, prouincia vixdum exortorum, nonnullos in Coloniensem demigrasse, et instituti sui sectatores ibi conquisiuisse. Quo factum reperimus, vt Arnoldus, Archiepiscopus, A. C. MCXXXXVI. Coloniae synodum cogeret, huiusque praesules, et reliquos sacrorum administros, *de haereticis* recens coortis, videre et statuere iuberet. Igitur in ceteris rebus, ibi peractis, exstat lex singularis *Contra haereticos* *), de quibus haec simul memorantur: „*Nuper apud nos iuxta Coloniam quidam haeretici detecti sunt, quorum quidam cum satisfactione redierunt ad ecclesiam. Duo ex eis, scilicet, qui dicebatur Episcopus eorum cum socio suo, nobis restiterunt in Conuentu Clericorum et Laicorum, praesente ipso Domino Archiepiscopo, cum magnis viris, nobilibus, haeresin suam defendentes ex verbis Christi et Apostoli. Sed cum vidissent, se non posse procedere, petierunt, vt eis statueretur dies, in quo adducerent de suis viros, fidei suae peritos: promittentes, se velle ecclesiae sociari, si magistros suos viderent in responsione deficere: alioquin se velle potius mori, quam ab hac sententia deflecti Quo audito, cum per triduum essent admoniti, et respicere* (perperam, vt puto: verum videtur, *resipiscere*) *noluissent: rapti sunt a populis, nimio zelo permotis, Nobis tamen, in Concilio sedentibus, inuitis, et in ignem positi atque cremati, et quod magis mirabile est, ipsi tormentum ignis non solum cum patientia, sed et cum laetitia introierunt et sustinuerunt.* Quod hominum ge-

*) v. Harzhem. Concil. German. Tom. III. p. 362.

nus etsi *Beghardorum* nomine haud nuncupatur; tamen ex illius haereseos placitis (horum vndecim tradidisse fertur), duobus maxime, prorsus apparere opinor, eos *Beghardorum, Pauperum de Lugduno, Fratricellorum,* si non nomen, omen quidem certe habuisse, et sententias firmissime adseuerasse. Contendisse enim primo dicuntur, *apud se tantum esse Ecclesiam, propterea quod ipsi soli Christi vestigiis insistant, verique vitae Apostolicae sectatores permaneant; rerum terrestrium nullam quaerentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculii possidentes; sicut Christus nihil possedisset, nec discipulis suis possidenda concessisset. Vos autem,* (nimirum Episcopi, cet.) *domum domui, et agrum agro copulatis, et, quae mundi sunt huius, quaeritis.* Porro addidisse memorantur: *Ita etiam, vt qui in vobis perfectissimi habentur, sicut monachi, vel regulares Canonici, quamvis haec non vt propria possident, sed vt communia, possident tamen haec omnia:* contra de se praedicasse: *nos pauperes Christi, instabiles, de ciuitate in ciuitatem fugientes.* Iam lectorum cuique, duo haec placita recte consideranti, et cum iis, quae ὁ πάνυ MOSHEMIVS in commentario de Franciscanis *Spiritualibus*, quos vulgo *Beghinos* dixere, comparanti, obscurum esse nequit, huius globi homines in eadem fuisse haeresi, in qua *Beghardi, Beghini* seu *Fratricelli* fuerunt isti, qui Christum et huius legatos nihil, nec in proprio, nec in communi habuisse asserebant: ideoque a Pontificibus, quibus tantopere aduersati sunt, condemnabantur, etsi a Synodi Coloniensis patribus simili nomine nondum nuncupentur. Haec itaque, si vero conuenienter litteris mandata sunt, coniecturam qualemcunque meam satis, reor, confirmant, et argumento simul sunt, *Beghardos,* in Belgio vixdum natos, vitae suae sectatores in agro Coloniensi conquisisse, et, iniuriane? an iure? de haereseos labe suspectos habitos esse, et castigatos. Quorum nonnullis supplicio affectis, haud dubie sequit, vt reliqui

qui ad pristinam sacrorum rituumque rationem et formulam redirent, vel temerarias, quibus imbuti erant, opiniones et dogmata multo cautius ac circumspectius proderent, metu, ne simili mortis genere afficerentur. Verum, mali caussa non radicitus excisa, contagio clanculum latius serpere, ita, vt ineunte Saeculo XIII. iterum non exigua hominum similium copia ibi versaretur, et vitae suae instituta propagaret. Quo cognito, aliorum indignatio et odium rursus in eos saeuire coepit. Testis est Godefridus, S. Pantaleonis Coloniae monachus, qui ad annum MCCXII. haec memoriae prodidit: *Eodem anno, multitudo populi ex omni Saxonia, Westfalia et Frisia, et diuersis partibus, cruce signati ad expugnandos* BEGVINOS *proficiscuntur; quorum multi, terrore exercitus, relictis ciuitatibus et castris, fugerunt: alii miseratione Dei per Cardinalem, qui a sede Romana illuc missus fuerat, relicto errore ad fidem Catholicam reuocantur: ecclesias cet.* Quem locum HARZHEMIO *) debeo: qui de illis hominibus ita iudicauit: *ego credo, contra* ALBIGENSES, *non contra* BEGVINOS, *hanc expeditionem cruce signatorum A. MCCXII. factam, vt Caesarius coaeuus scripsit.* Sed huic coniecturae equidem adstipulari nolim; propterea quod, si eam amplecti velis, non possis simul non largiri, *Albigenses* iam tum, quod posthac factum constat, *Beghinos* esse appellatos. Quod a vero longe abesse arbitror. Ac qui credas, *Albigenses*, quorum sedem praecipuam fuisse nouimus Galliam Narbonensem, ea iam tempestate, ad Coloniensem finitimasque prouincias penetrare potuisse? Sed vtcunque haec existimes, nostra profecto parum refert.

*) Hic eum protulit Concil. Germ. Tom. IV. in Digressione, quam dixit, ad Saec. XIII. p. 59. et monachi librum exstare monuit in Scriptor. Germ. Tom. I. Freheri cura et studio editis. Conf. etiam Trithem. in Chron. Hirsaug. p. 519. ad a. 1212. qui homines tum vexatos itidem *Albigenses* vocauit.

fert. Etenim homines, hoc anno vexati; etiamsi veri non fuerint *Beghardi:* horum tamen numerus, breui post, tum clandestinis sociorum vtriusque sexus artificiis, tum praesulum negligentia et socordia, vehementer adauctus est. Namque in vna Coloniensi prouincia, quadragesimo fere saeculi XIII. anno, *Beghinarum duo millia*, amplius, vixisse memorat MATTHAEVS PARIS *): quod si verum sit, sane quam credibile est, *Beghardorum* quoque copiam non multo minorem eadem in prouincia fuisse, adeoque coniecturam Moshemianam, quam supra vidimus **), a vero quam proxime abesse. Quid? quod ipsos, ex agro Coloniensi progressos, eodem fere, tempore in Moguntinensi nouas veluti colonias condidisse, apparet ex decreto, Canonem vocant, quod Concilii prouincialis Moguntini, A. MCCLVIIII. coacti, patres, aduersus eos sancitum promulgarunt ***). Legem isthanc in appendice posteriori protuli ****): eoque magis, quod argumento est, iam tum in huius generis hominibus fuisse nebulones, specie quidem probos et laudabiles, re autem perquam scelestos, qui, sub iactata et commendata *Libertate Spiritus*, libidinibus foedis et pestiferis indulgerent atque deseruirent, quales in grege hominum, ex varia colluuione mistorum, nullo non tempore exstiterunt, hodieque existere certum est. Praeterea quum eodem in decreto de *Beginis pestiferis* idem, quod antea de *Beghardis*, statui dicatur: sequitur, ipsius auctores hos non minus, quam illas, *pestiferos*, ideoque ciuitate Christiana pellendos, censuisse. Ceterum quantum momenti ea lex habuerit ad *Beghardos* et *Beguinas* emendandos vel coercendos, nullibi relatum legimus. Suspicor saltem, si singuli, ad quos haec cura pertinebat, illi

*) Hist. Angl. ad A. 1243. Tom. IIII. in Digressione, quam vocauit, ad Saec. XIII. p. 540.

**) pag. 198.

***) v. Hartzhem. l. c. p. 59.

****) Num. I.

illi conuenienter egerunt, videruntque, ne quid detrimenti ex huiusmodi hominibus, horumque vita, institutis et placitis singularibus caperet ciuitas Christiana, sacris Romanis addicta, eorum alios, erroribus, quos animo imbiberant, si non vere, certe quidem specie, repudiatis, ad sacrorum stabilitorum societatem reuersos esse; alios circumspectius agere, nec nisi clanculum haereseos suae instituta sequi et exsequi coepisse; alios denique ad prouincias alias perrexisse, placita moresque propagasse, ac sectatores nouos quasi conscripsisse. Quod posterius effici cogique posse reor ex decreto singulari, quod breui post, super *Beghinabus*, in dioecesi Magdeburgensi degentibus, a concilio A. MCCLXVI. ibi coacto, factum est, et promulgatum *). Patrum enim illorum consessui hoc sancire visum est: *De mulieribus, que* BEGINE *vocantur, statuimus, vt Plebano, in cuius morantur parochia, obedientiam faciant, et ei in omnibus obediant, sicut ceteri parochiales. Alioquin ad id per ipsos Plebanos cum excommunicationis sententia compellantur* **). Quae lex luculento, reor, argumento est, tum eiusmodi mulieres ad dioecesin Magdeburgensem penetrantes, sedes ibi fixisse, tum eas, initio non improbas, effecisse societatem aliquam liberam, nullius nec Sancti, nec Episcopi legibus adstrictam; ideoque patres, veritos, ne libertate isthac abutentes, flagitiose viuerent, praecepisse, vt plebanis seu parochis, qui dicebantur, singulae suis, obtemperarent. Lex similis quidem, sed plenior, breui post, A. MCCLXXXVII. in Concilio Leodiensi scripta et promulgata reperitur. Eam ὁ πάνυ MOSHEMIVS

Hh 4 iam

*) v. Hartzhem. l. c. Tom. III. p. 800. ss. Quo loco etiam adfertur epistola *Guidonis*, S. Laurentii in Lucina Cardinalis Presbyteri, Apostolicae sedis legati ad prouinciam Magdeburgensem, et Episcopatum Kaminensem, Encyclica, quae Concilii Magdeburgensis statuta summatim complectitur. Conf. Luinigii Continuat. II. Spicilegii Ecclesiastici, p. 255—257.

**) Hartzhem. l. c. p. 807.

iam protulit *). Praeter eum HARTZHEMIVS **), qui ex ea palam fieri contendit: (I.) Saec. XIII. exeunte, permultas *Beghinas* in dioecesi Leodiensi sedes habuisse: (II.) eas vna in curia simul habitasse: (III.) habitum, distinctum a vulgari, gestasse: (IV.) priuilegia eadem habuisse, an Pontificalia, an Episcopalia, an ab aliquo Comite Brabantiae, alioue, quis diuinet? (V.) Episcopali iurisdictioni subiectas fuisse: (VI.) negotiationes quasdam exigui pretii habuisse, forte pro victu et amictu acquirendo: consequenter nil haereseos inter eas deprehensum; sed euagatas quasdam sub eodem habitu scandalum dedisse populo: vnde eas priuilegio Beghinali excidisse declarat Episcopus, secus ac manentes in curia Beghinarum. Haec ille: nec temere, si quid video.

§. III.

In Germania nihil, praeterquam quae auctor inclutus memoriae prodidit, vel mihi addenda sunt visa, ea aetate de *Beghardis* et *Beguinabus* constitutum reperio. Fuere quidem, quod vidimus, saeculo medio et exeunte, qui ipsorum viuendi, se vestiendi, sacrorum caussa conveniendi institutum, singulare, et tantum non flagitiosum, ideoque vituperatione dignum, et coercendum iudicarent; sed eos tum religiosas mouisse quaestiones, opiniones ab vsitatis receptisque placitis alienas propugnasse, atque, hoc nomine, haereseos labe adspersos fuisse, nemo scriptorum aequalium, quem quidem sciam, verbis claris et luculentis testificatus est. Etenim quae tam Trithemius ***) de Hermanno Pongilupo, quam alii, eo auctore, de Gerardo Segarello, Dulcino, Catharis, aliis, memorant, ad *Beghardos* et *Beguinas* trahi nequaquam debent. Interim saeculo, quod diximus,

*) p. 132. f.

**) l. c. Tom. IIII. in Digressione, quam vocauit, ad Saec. XIII. §. 19. p. 59.

***) Chronic. Hirsaug. ad A. 1299.

nus, extremo, in Italia quaedam euenerunt, quae rerum faciem mutarent. Nimirum A. C. MCCLXXXXIIII. duo Fratres Minores, quos vocant, *Petrus de Macerata* et *Petrus de Foro-Sempronio*, adiere Caelestinum V. Pont. M. petitum, vt sibi, vltro postulantibus, *eremitice viuere* permitteret, quo D. Francisci legibus, de paupertate praescriptis, ad litteram obtemperare possent. Quod Pontifex, vt erat homo εὐήθης et simplex, nihil mali subodoratus, facile et ipsis, et ipsorum sectatoribus concessit. Haec res, per se leuis et vix memoranda, turbas posthac excitauit cum maximas, tum Archiepiscopi Rom. auctoritati, rebus, opibusque longe perniciosissimas. Homines enim, quibus Caelestinus id, quod postulabant, satis inconsiderate permiserat, breui, mirum in modum sunt adaucti: siquidem ad eos, praeter Minoritas ac de tertio S. Francisci Ordine, complures, ingens aliorum hominum copia accesserunt, eoque facto, non tantum communitatis (scilicet bonorum) statum, et mitiorem Regulae, i. e. legis, a D. Francisco, sodalitatis auctore, sancitae, declarationem atque interpretationem repudiarunt, sed etiam sese *Fratres S. Francisci*, adseclas autem saeculares, i. e. sacris non initiatos, *Bizochos*, *Fraticellos*, et *Vocofatos*, appellari voluerunt. Quo percrebescente, homines tam vere pii et sinceri, quam pietatis simulatores, illos sequi et complecti; quin ipsi oratores per singulas Europae prouincias mittere coeperunt, qui disciplinae suae formulam aliis commendarent inculcarentque, et suum quasi exercitum nulla non via et ratione numerosiorem redderent. Hoc igitur et tempore, et modo, *Fraticellorum* et *Bizochorum* colluuies exorta traditur *). Sed praeter hos, iam antea, Nicolao

*) v. Raynald. Annal. Eccles. ad A. 1294. n. 26. Vol. XIV. p. 469. qui Iordani et Baronii libros MSCC. in Biblioth. Vat. adseruari falso antestatur. it. Hartzhem. Concil. Germ. Tom. III. in Digress. ad Saec. XIV. §. 2. f. p. 621. ff.

IV. Pont. Max. in Gallia Franciscanae familiae quidam fuere, qui iusto vehementiori paupertatis consectandae studio abrepti, sodales minus seueros reprehenderent, et errorum labe veluti infectos detestati, tantum non odissent. Hinc idem Nicolaus, quem dixi, Raymundo, sodalitatis Generali, scriptis ad eum litteris, praecepit, vt in Fratres nonnullos, qui in prouincia Prouinciae schisma conflare et concitare viderentur, atque reliquorum sodalium formulam et instituta damnantes, sese ceteris *spiritualiores* vocitarent *), seuere animaduerteret. Ad quos illaqueandos et abducendos non parum momenti habuisse videntur placita singularia et paradoxa, in Petri Ioannis Oliui Postilla (i. e. commentario), super Apocalypsi, aliisque eius libris, quos lectitabant, proposita **). Cuiusmodi oratores Germaniam quoque adiisse, et *Beghardos* ac *Beguinas*, paupertatem vel mendicitatem potius, ibi similiter consectantes, suas in partes traxisse, verisimile est. Quibus, quoniam plerique erant homines simplices, rerum ignari et indocti, facile persuaderi potuit, ab eiusmodi emissariis, astutis pietatis simulatoribus, placita, quae docerent et inculcarent, et quibus conuenienter viuerent, vnice vera esse, nec quidquam haereseos eis contineri. Quamobrem ab Saeculi quartidecimi initio euenit, vt Pontifices Rom. aliique sacrorum praesules, iis fierent inimiciores, ac leges aduersus eos sciscerent multo, quam antea factum, duriores, et seueriores: quin etiam quaesitores religiosos, *Inquisitores* vulgo dicuntur, crearent, plena eos ad tribunal suum euocandi, examinandi, capiendi, variis poenis, ipsoque supplicio afficiendi potestate munitos. Quo in negotio exsequendo dici non potest, quantum saepenume-

*) Hinc in Pontificiis legibus et litteris non paucis *Fraticelli de opinione*, vel Italice, *Fraticelli de la opinione* nominantur.

**) v. Raynald. et Hartzhem. ll. cc.

numero peccatum sit. Nam nec legum illarum latores satis norant homines, horumque errores, contra quos eas rogabant: nec iudices illi, odio plerumque et cupiditate magis, quam veri indagandi, et insontes a sontibus secernendi studio adducti, qua par erat, prudentia, iustitia et humanitate in huiusmodi caussis decernendis versabantur. Quantum malorum, quantum iniustitiae talis legum latorum ignorantia, et iudicum vel socordia, vel immanitas et tyrannis pepererint, lector quisque per se videat, oportet.

§. IIII.

Verum antequam ad exponendas huiusmodi vexationes et iniurias progredior, duo monere placet, quae ad litteras legesque, ea aetate scriptas, recte intelligendas necessaria videntur. Nimirum *Beghardorum* et *Beguinarum* nomen in Belgio et Germania de eiusmodi hominibus vsurpari coeptum, qui nulla vel monachorum, vel sanctimonialium regula et legibus adstricti, ad ordinem sacrum haudquaquam pertinerent, pedetentim datum esse iis omnibus, qui mendicando, vnde viuerent, parabant, siue initiati essent sacris, siue profani. In primis tamen *Beghardorum* nomine nuncupati sunt in Gallia ii, qui tertio D. Francisci Ordini adscripti, sese non raro *Poenitentes*, vel *Spirituales*, et reliquis eiusdem familiae sodalibus, ob maioris et perfectioris paupertatis studium, perfectiores ducebant dicebantque. Eadem paene viuendi ratio fecit, vt vterque hominum similium globus vno et eodem nomine appellaretur. Neque a vero prorsus alienum videtur, Franciscanorum sodalium eis, quos diximus, nomen *Beghinorum* imponi coeptum, per ipsorum aduersarios, vt eos in maiorem contemtum, maiores inimicitias, maius odium adducerent: maxime postquam *Beghini* per Clementis V. et Ioannis XXII. leges et decreta notati, reprobati, condemnati essent, et quaesitoribus religiosis data libera potestas, eos vexandi,

atque

atque e media ciuitate Christiana pellendi. Namque hi, ex Dominicano plerumque sodalitio lecti, et inuidia adversus *Beghardos* et *Beguinas* omnino omnes inflammati propterea, quod quam stipem hi, publice mendicantes, petere atque accipere solebant, eam sibi, itidem mendicando viuere suetis, quasi praecipi rebantur, nihil non moliti sunt, vt eos, haereseos crimine, vero, falso, postulatos exstinguerent. In quo laborare visi sunt maiori honestatis, iustitiae ac pietatis specie, ex quo tempore per Maximorum, quos diximus, Pontificum sanctiones ita facere, ipsis non solum licitum fuit, sed etiam praeceptum. Quum praeterea Ioannes XXII. Franciscanorum sodalium eos, qui *de tertio ordine* dicebantur, quoniam ipsius, valde seueram D. Francisci legem et regulam lenius et mitius interpretati, ius et auctoritatem id faciendi impugnabant, quin Anti-Christum vocare audebant, veluti ciues impios ac rebelles, per legem: *Gloriosam ecclesiam non habentem maculam*, cet. A. O. R. MCCCXVIII. promulgatam, veluti proscripsisset: quaesitores illi, Pontifici vt placerent, eiusque voluntati quouis modo obtemperarent, *Beghinorum* nomen, plerisque iam odiosum, huiusmodi Franciscanis multo frequentius ac malitiosius tribuere coeperunt, vt hoc facto, plebeculae, verbo specieque deceptae, non tam ordinis et instituti approbati monachos, quam potius grauissimos ciuitatis Christianae, pontificiaeque auctoritatis hostes vexare et persequi viderentur. Hinc, opinor, factum est, vt lex Pontificia, quam alio loco indicaui, inscriberetur: *Damnatio sectae Bizochorum, Beguinorum, Fratricellorum, Pseudofratrum S. Francisci de Assisio*, quamquam simile nomen in ea nullibi memoratum legitur, nec nisi singularia Franciscanorum tertii Ordinis placita, Pontificis auctoritati iuribusque tantopere aduersa et noxia, exponantur; hominesque illi, quos quaesitores religiosi ab A. MCCCXVIII. et insequentibus, in variis Galliarum oppidis, vel flammis, vel carceribus addixe-

dixerunt, aliisue poenis affecerunt, *Franciscani de tertio Ordine*, seu *Beguini*, promiscue appellarentur; haud secus, ac si vocabula isthaec prorsus συνώνυμα essent. Id quod demonstrant loci complures *Libri Sententiarum Inquisitionis Tholosanae* per Philippum a Limborch in lucem editi *), in primis ille **), quo eiusmodi quaesitores sese constitutos iurant, vt ciuitatem Christianam tueantur, in aliis, *contra opiniones erroneas tam scismaticas, quam hereticas quorumdam, qui se dicant Fratres de ordine penitencium appellato, et profiteantur, vt asserant, terciam regulam S. Francisci cum publico instrumento, et portent distinctum habitum, et in provincia Narbonensi et Tholosana Beguini vulgariter appellentur*, cet. Ibidem quoque legitur ***), esse *errores beguinorum, qui se dicant esse de tercio ordine, seu de tercia regula Sancti Francisci.* Quibus dictis, ad reliqua progredi, eaque sic narrare placet, vt primo loco *Beghinorum* in Gallia commoratorum, vexationes tangamus: tum de eorum calamitatibus in Italia disseramus: et tandem, quae iisdem in Germania prouinciisque finitimis acciderint, commemoremus.

§. V.

In numerosa Franciscanorum familia simulac fuere, qui vitae sibi transigendae regulam, quae vocatur, et quasi legem, quam fieri poterat, religiosissime obseruandam censerent, ideoque eam, durissimam quidem illam, et tantum non inhumanam, sed a familiae parente et conditore scriptam sancitamque, quam eandem per Pontifices quosdam, molliorum et delicatulorum quorumdam rogatu, lenius expositam et mitigatam sequi mallent; variae Galliarum prouinciae non paucos prioris generis homines tulerunt, qui talem Pontificum indul-

gen-

*) p. 301. 307. 317. 389. ***) p. 295.
**) p. 386.

gentiam rectam et licitam fuisse negarent, eamque adeo veluti flagitium et sacrilegium quoddam detestarentur. Qua in haeresi quotquot eorum fuerunt (fuerunt autem complures), totidem etiam Pontificum Rom. in primisque Ioannis XXII. auctoritatem impugnabant; quin hunc, veluti Anti-Christum, exsecrari tum ipsi solebant, tum alios iubebant. Cuiusmodi opinionem, praeter alias, hac grauiores, et ecclesiae Rom. perniciosiores, e Petri Ioannis Oliui Postilla, seu commentario, super Apocalypsi, et reliquis eiusdem viri libris petitas, nulla non via et ratione propagabant. Vnde iam ante Ioannis P. M. aetatem, Nicolaus IIII. Pont. Max. Raymundo, vniuersae sodalitatis Generali, quem vocant, per litteras, vti iam diximus, mandarat, vt in sodales tam foedis erroribus imbutos animaduerteret, eoque schisma, quod ipse animo praecipiebat, in prouincia Prouinciae mature opprimeret. Sed Raymundum parum, vel *nihil* effecisse, probabile est: quandoquidem breui post, Nicolai successores tantam similium hominum, vel ex Italia eo profugorum, multitudinem ibi versari intellexerunt, vt longe aliam dissidii, reapse exorti, et quouis modo componendi, viam et rationem ineundam viderent *). Nimirum Clemens V. intellecto, Bonifacium, cuius in locum successerat, nihil in Italia efficere potuisse nec legibus contra rebelles scriptis, nec diris ipsis, nec tormentis denique et suppliciis saeuissimis: vtriusque partis, *molliorum* scilicet Franciscanorum, et *Spiritualium*, viros principes in aulam aduocari iussit, vt, audita vtrorumque caussa, et argumentis recte examinatis, controuersiam tandem diiudicaret. Verum omnis illius opera, omnis labor fuit irritus, propter pertinaciam vincendique

*) v. Moshem. Institutt. H. E. Saec. XIV. Part. II. c. 2. §. 32. ss. p. 580. ss. it. Io. Conrad. Fuesslini neue und unpartheyische Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern Zeit, Theil I. S. 477. ss.

que studium, quo, quasi morbo, pars vtraque visa est laborare. Quin accidit per moram, quae tam graui controuersiae et recte anquirendae, et prudenter decernendae, non poterat non impendi, vt malum longe maius et grauius in Italia nasceretur: quod alio loco tangamus, necesse est. Qua de caussa Antistes Summus Concilium, quod dicunt, Generale cogere, et Viennae habere constituit, vt ex aliorum Praesulum, et tanquam reip. Christianae administrandae sociorum, sententia, litem tam difficilem aleaeque plenam dirimeret. Quibus quum vtrique parti nonnihil concedendum esse videretur, scribi Pontifex Max. iussit, et A. MCCCXII. reapse promulgauit *Bullam*, siue legem Pontificiam, quae a primis ipsius verbis: *Exiui de paradiso*, cet. nominari solet. Qua, quantum facere, et quo progredi, vtrique litigantium parti permiserit, vt pacem et concordiam inter eos instauraret, hoc loco memorare non attinet. Contra vero praetermittere non debeo, eumdem Clementem, consciis et suadentibus sacrorum Praesulibus, ad consilium coactis, legem aliam, anno MCCCXI. promulgasse, *Beghardis* et *Beguinabus* admodum tristem et perniciosam *). Haec verbis quidem ad homines tantum, quos diximus, eosque in Germania degentes, pertinebat, inchoabatque a verbis: *Ad nostrum, qui desideranter*, cet. re autem vel ad familiae Franciscanae sodales nonnihil suspectos trahi poterat, ac trahebatur per Ioannem, eius successorem: id quod posthac demonstratum ibimus. Praeter hanc, promulgauit aliam, qua non nisi *Beguinas* adgressus, harum vitae institutum ac formulam moresque reprehendit. Eam inchoant verba: *Quum de mulieribus quibusdam, Beguinabus volgariter nuncupatis* cet. clauduntque alia, perquam ambigua, ita vt, quid de eis constitueret, ipse ignorasse videatur **). Ver-

*) v. Append. poster. Num. III.
**) v. Append. post. Num. IIII.

Verborum interpreti humano et aequo in ipsarum praesidium scripta; duro contra et iniquo, qualis quaesitor quisque religiosus plerumque legebatur, in perniciem et interitum dicta, poterant videri. Hinc quoque factum, vt sacrorum Praesules alii eas tuendas et magni faciendas, alii premendas et tollendas censerent. Interim praematura Clementis mors effecit, vt laborum in sanando eo, quod diximus, discidio, et in *Beghardis*, ac *Beguinabus* potissimum, exstirpandis adhibitorum, fructum conspiceret nullum. Eo enim vixdum mortuo, renascebatur seditio maxime molesta, et ciuitati Christianae, vel potius Pontificiae, multas ob caussas, periculosa. Namque A. MCCCXIV. centum et viginti *Spirituales* vi armisque ex coenobio Narbonensi et Biterrensi *Fratres de communione*, i. e. Franciscanos molliores et delicatiores, eiecerunt, nouos sibi praefectos adsciuerunt, atque, abiectis antiquis vestimentis, vestes breues, strictas et deformes vna cum caputiis paruis induerunt. Accesserunt ad eos, ex aliis prouinciis, multi alii, ciuesque adeo Narbonenses, inter quos Petrus ille Ioannes Oliua sepultus erat, agminis huius patrocinium susceperunt. Qui homines, siue sacris initiati essent, siue profani, plerumque *Beghinorum* nomine nuncupari suerant: quandoquidem alios ab aliis acute vereque discernere non poterant eius aetatis homines, ac ne ipsi quidem sacrorum praesules, et quaesitores religiosi, qui tanquam iudices sedere, et de caussa tam graui cognoscere iussi erant. Igitur Ioannes XXII. gubernandae ciuitati Christianae a. MCCCXVI. praefectus, malo tanto et tam ancipiti, consequenti statim anno, medicinam adferre adgressus est. Id sanari posse ratus lege ponderis et minarum plena, similem reuera promulgauit, eademque *Fraticellos*, seu *Beghinos*, quos a *Franciscanis Spiritualibus*, ne vniuersum horum agmen aduersus se concitaret, prudenti sane callidoque consilio segregauit, per sacrorum praesules et quaesitores religiosos penitus exstirpari iussit. Eam legem,

gem, sane quam seueram, quae incipit a verbis: *Sancta Romana et vniuersalis ecclesia*, cet. suo loco *), praeterquam alias eiusdem Pontificis, adferre decreuimus. Promulgata igitur hac, quam dixi, eos ex Franciscanorum sodalitio, qui *Spirituales*, et natione Galli erant, Auenionem, vbi commorabatur, aduocauit, cohortatusque est magnopere, vt ad officium redirent, in primisque *habitus curtas, strictos cum caputiis paruis* deponerent. In quo ei plerique non obtemperare noluerunt. Restitit tamen agminis dux, Fr. BERNHARDVS DELITIOSVS, seque, vna cum viginti quattuor aliis, obedire posse, audacter negauit: *regulam enim*, aiebant hi homines, S. FRANCISCI *non discrepare ab Euangelio* IESV CHRISTI: ideoque Pontificis cuiuscunque potestatem haudquaquam fuisse, aut esse tantam, vt eam mutare licuerit: quin non parum deliquisse Pontifices, qui Franciscanis *granaria* et *cellaria* habere permisissent; hosque omnes praeuaricari, qui sese Francisci sectatores esse asseuerarent quidem, sed vestes, ex ipsius mente et lege paratas, induere grauarentur. In quos sodales, adeo intrepidos ac pertinaces, tanquam in *haereticos* (putabantur enim *haeretici*, eidemque pessimi, qui Pontificis Rom. auctoritatem maiestatemque impugnare audebant) animaduerti iussit. Quo factum est, vt eorum antesignanus, BERNHARDVS, carceri perpetuo addictus, misere periret **); reliquorum alius alio supplicii genere afficeretur. Atque hoc idem aliis Franciscanis de tertio Ordine, siue *Beghinis*, accidisse memoratur. Insequenti enim anno, nimirum MCCCXVIII. Massiliae quattuor alios, quaesitorum religiosorum iussu, in rogum positos et combustos reperimus ***). Quae erga hos

*) v. Append. poster. Num. V.

**) Sententia contra eum pronuntiata legitur in Libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanae, p. 268. ss.

***) Praeter locos, a Moshemio indicatos l. c. p. 582. not.

hos feueritas, ne dicam immanitas, tantum abfuit, vt malum penitus leuaret, vt potius magis nutriret, atque propagaret. Horum enim amici et defenfores, furore quodam fanatico acti, non folum fratres combuftos, veluti martyres praedicabant, et magnopere colebant, fed etiam placita, e Petri Ioannis Oliui libris petita, multo audacius tuebantur, et, quidquid ibi fcriptum legeretur, quam certiffime ad ecclefiam Rom. et Ioannem, Pont. Max. pertinere contendebant. Hinc per aliquot annos continuos, a quaefitoribus religiofis et facrorum publicorum praefulibus, tanquam haeretici condemnati funt, et variis affecti fuppliciis in prouincia Narbonae, in Capite-Stagni, et Biterris, apud Lodouam et in dioecefi Agathenfi, apud Lunellum et in Magalonenfi dioecefi *), tum eiusmodi Francifcani pertinaces et obftinati, tum alii, qui fimilem de paupertate Euangelica, et Pontificis Max. poteftate opinionem amplexi, temere *affirmabant*, Fratres Maffiliae combuftos, fanctos effe martyres, eorumque offa cultu fingulari profequenda. Quorum in numero fuit Raymundus de Buxo, Petrus de Maferiis, Petrus Morefii de bellopodio, Bernardus de na iacna, alii, quorum index in Libro Sententiarum Inquifitionis Tholofanae reperitur **). Neque tamen omnes de haerefis, quam imbiberant, veritate perfuafi erant ita, vt hanc

not. x. hoc apparet ex Philippi a Limborch Hiftoria Inquifitionis, p. 69. et Libro Sententiarum Inquifitionis Tholofanae, ab eo edito, p. 299. 301. alibi. item ex Io. Conradi Fuefslini Neuer und unpartheyifcher Kirchen und Ketzergefchichte der mittlern Zeit. Part. I. p. 477. f. nec non ex Eymerici Directorio Sancti Officii Inquifitionis MS. vbi complurium trifte fatum paucis verbis memoratur.

*) Accepi Roma Pontificis huius epiftolam MS. ad Epifcopum Magalonenfem a. MCCCXVIIII. miffam, qua, quidquid in *Beghinorum* cauffa indagata, actum fit, ad fe transmitti iubet. Eam in aliis eius epiftolis in lucem produxi, Append. pofter. Num. VIII.

**) p. 298 — 332.

hanc sanguine suo confirmare, et e vita potius, quam ab hac discedere vellent. Verum nihilosecius haud exigua hominum similium multitudo, per hanc occasionem, in Gallia periisse dicitur: ac MOSHEMIVS sese in manibus habuisse memorat *), praeter monumenta alia, *Martyrologium Spiritualium et Fratricellorum*, A. MCCCCLIV. iudicio Inquisitionis Carcassonae exhibitum, in quo tredecim supra centum vtriusque sexus hominum nomina legerentur, qui ab A. MCCCXVIII. vsque ad Innocentii VI. tempus, quadraginta circiter annorum interuallo, flammis interiissent. Sed bellum, inter *Franciscanos Spirituales*, siue *Beghinos*, et Pontificem Max. per eam, quam vidimus, caussam exortum, ne sic quidem compositum est. Illi huius auctoritatem et iura impugnare, hic eos, veluti haereticos nequissimos, persequi continuauit; et quaesitores religiosi, Pontifici vt gratificarentur, quos eorum poterant, capi iusserunt, captos sine misericordia, Pontificis indignationi immolandos, flammis necarunt. Igitur omnes, qui commode poterant, fuga salutem petentes, in Germaniam, tanquam ad asylum tutissimum, Ludouico Bauaro imperatore, profecti sunt. Verum quocunque demum loco inimicos adeo infensos, nimirum Franciscanos *Spirituales*, siue *Beghinos* et *Beghinas*, commorari audierat Ioannes, eo etiam litteras, tanquam tela, direxit, quibus eos penitus conficeret. Quales, et quo ordine, ab eo datae sint, alio indicare, et pleraque adferre placet loco: hoc non possum, quin moneam, id hominum genus ne in Gallia quidem radicitus exstirpari potuisse. Etenim praeter bullam, A. MCCCXVI. vel quod mihi verius videtur, MCCCXXII. scriptam, et ad omnes, quotquot ciuitas Christiana tum habebat, sacrorum Praesules missam, quam ego integram suppedito **), quoniam Raynaldus

*) Institutt. H. E. p. 583. not. a.
**) Append. poster. Num. VIIII.

non nisi eius particulam in lucem edidit, eodem anno promulgauit aliam, qua Galliarum potissimum Archiepiscopos et Episcopos, vna cum quaesitoribus religiosis, magnopere hortatus est, vt inimicos suos tam peruicaces, quouis modo non persequi nollent. Neque eos in huiusmodi mandatis recte, ne dicam, crudeliter exsequendis negligentes fuisse, testantur Bernardus, Eymericus, et his quasi ducibus, Raynaldus *). Interim multo plures ad sanam redire mentem maluerunt, quam opiniones quasdam per se nec graues, nec fructuosas, flammis expiare: id quod solus Liber sententiarum Inquisitionis Tholosanae satis demonstrat. Accedit, quod eorum, quos recte vereque *Veguinos* appellare possis, tanta in Galliis numquam fuisse videtur multitudo, quanta in Germania, Belgio, et Italia: hinc etiam ibi haudquaquam tot, quot hic, a quaesitoribus religiosis capi, et poenis affici potuerunt. Fieri quoque potuit, vt ignominiosa *Margarethae Porrettae* mors, quod MOSHEMIVS ipse suspicatus est, plerosque alios, veluti vestigia sanguinolenta terruerint, atque perpulerint, vt easdem opiniones amplecti, vel publice tueri grauarentur. Trahebatur nihilosecius bellum, inter Ioannem et *Franciscanos Spirituales* exortum: cuius vicissitudines hic exponere non attinet. Ac quoniam ille non temere totam litem ex Petri Ioannis Olini libris fluxisse iudicabat, A. MCCCXXV. omnia viri huius scripta, et in primis *Postillam*, seu commentarium in Apocalypsin, haereseos nota inussit, legique vetuit **). Addebat etiam vim prudentiae; ac quos argumentis et artificiis ad se trahere non poterat, eos consiliis violentis expugnare iussit: quod testantur eius litterae ad Episcopum Tarraconensem et quaesitores religiosos, ibi versantes, scriptae ***). Sed hac via et ratione aduersariorum ani-

*) Annal. Eccles. ad an. 1318. n. 51. et 1325. n. 21. Tom. XV. p. 184. 304.

**) Raynald. Annal. Eccles. ad an. 1325. n. 21. Tom. XV. p. 304.

***) Append. post. N. XIII.

animos adeo non placauit, vt potius vehementius aduersus se inflammaret, et, qui poterant, in Germaniam confugerent, vbi imperator, quod iam diximus, velut asylum contra quaesitores violentos aperuerat. Quo facto, *Beghini* vel nulli, vel certe admodum pauci superfuisse videntur in Gallia, sibi propter Pontificum praesentiam, minus propitia et tuta; eademque magis adhuc metuenda, postquam Franciscani, certis legibus, pacem cum Pontifice inierant. Igitur praesidium, sub quo adhuc securi latuerant, ab hoc tempore ipsis deesse coepit. At enim vero ne tum quidem a *Fraticellis*, siue *Beghinis*, persequendis desistere voluit Ioannes. Scripsit enim Pontificatus anno XV. i. e. MCCCXXXI. epistolam aduersus eos grauissimam, odiique plenam, qua suam erga illos simultatem satis patefecit. Protuli eam *) in aliis huius Pontificis epistolis; et quisque, reor, ea lecta, mirabitur, tantum irarum et simultatis pectus ipsius alere potuisse. Alias etiam epistolas, veluti tela, in *Beghinos*, extra Galliam viuentes, immisit, odio plus quam Vatiniano incensus: de quibus tamen alio et loco et tempore rectius disputari potest. Atque haec *Beghinorum*, in Gallia degentium, fata fuisse reperimus, Ioanne XXII. Pont. Maximo. Hunc, qui A. MCCCXXXIV. in viuis esse desierat, excepere Benedictus XII. et Clemens VI. qui mansuetudine, clementia et prudentia plus apud Franciscanos efficiebant, quam ille diris et suppliciis, tanquam vi armisque, non potuerat. Redibant multi ad familiam, qua exierant: reliqui nihil amplius contra Pontificum auctoritatem legesque moliebantur, nec tamen, vt antea, cum *Fraticellis*, siue *Beghinis*, conspirabant. Quae haud dubie caussa est, cur eorum neuter quidquam decreuisse memoretur aduersus huiusmodi homines, quos etiam, per id tempus, in Gallia, nihil aut calamitatum passos, aut rerum nouarum molitos esse

*) ibid. N. XIIII.

perhibent. Neque Innocentio IV. Pont. M. Galliae Christianae tranquillitatem, perturbarunt: etiamsi in Germania non parum molestiarum et turbarum crearent, ipsique adeo vehementissime vexarentur; quod suo loco apparebit. At vero Vrbanus V. gubernandae ciuitati Christianae praefectus, Pontificum antegressorum decreta, aduersus vtriusque sexus *Beghardos* scripta, non potuit non denuo sancire, suaque auctoritate munire. Proferemus suo loco illius epistolam, eandemque integram, quoniam τῷ πάνυ Moshemio pauca saltem eius verba transscribere visum est, qua leges vetustas quasi instaurauit, et tam Archiepiscopis et Episcopis, quam religiosis quaesitoribus grauiter et seuere praecepit, vt homines, toties condemnatos, pressos et vexatos denuo adgredi et delere ne cunctarentur *). Ex ea vero liquido patet accepisse Vrbanum, dignitate Pontificia ornatum, Galliae Christianae prouincias ab eiusmodi *Beghardis* rursus infestari, probosque et simplices homines eorum placitis a vero abduci; ideoque habuisse, cur eos, clam grassantes, reique Christianae detrimentum inferentes, agmine quasi armato inuadere, compescere, exscindere iuberet. Praeter haec, sese *Episcopo Parisiensi, sub bulla sua, informationem de Beghardorum locis, vita, conuersatione atque erroribus, sibi traditam, cuius copiam singuli reciperent ab eodem, transmisisse* eisdem litteris significauit, hoc consilio, vt quaesitores potissimum religiosi munere sibi demandato rectius et felicius defungi possent. Cuiusmodi *informationem* MOSHEMIVS luce digniorem ratus, quam ipsam Pontificis epistolam, illius quasi comitem, optauit, vt Raynaldus, omissa hac, quae parum ad rem faciat, eam ex tenebris protractam, cum lectoribus non communicare noluisset: eiusque in lucem haud prolatae caussam suspicatus est, quae mihi quidem perquam dubia videtur. Quid? quod lectura, de

*) Append. poster. Num. XVI.

de qua conqueſtus eſt Vir eximius, ſi non tota, certe quidem ex parte, reſarciri, me iudice, poteſt ex *Cod. MS. Helmſtad.* quem non pauca ad hunc locum neceſſaria ſuppeditare videmus. Etenim eius parte tertia, arbitris et quaeſitoribus religioſis ſubminiſtrantur *cautelae* (ſic vocantur) complures ad cauſſas ſimiles recte explorandas, vereque diiudicandas neceſſariae: quarum decimae ſubiecta eſt haec obſeruatio *): *Sane quia multum intereſt, ad habendum ab haereticis de ſuis erroribus et complicibus veritatem, cognoſcere, cuius ſunt ſequaces haereſis ſeu ſectae: quod ex eorum vita, et* [a]) *moribus ac ritis* [b]) (haud dubie pro *ritibus*) *et* [c]) *ſignis exterioribus patet clare* [d]); *Ea propter vt haeretici, cuius ſectae ſint, citius cognoſcantur, de modernorum haereticorum ritibus, viuendi modis, et eorum habitibus aliqua breuiter perſtringamus.* Quae praemiſſa excipiunt ſigna, primo *Apoſtolorum*, tum *Manichaeorum*, porro *Waldenſium*, inde *Beghardorum;* in quibus haec memorentur **): *Begini ſeu Beghardi haeretici* [e]), *vel* [f]) *Fratricelli, ſiue* [g]) *Fratres pauperes, ſeu* [h]) *Fratres de poenitentia, quas idem* [i]) *ſunt, ſignis huiusmodi dinoſcuntur* [k]). *Iſti Tertiam Regulam beati Franciſci ſe teneri* [l]) (forte *tenere*) *et profiteri aſſerunt: veſtem de burello, aliqui cum mantello, aliqui ſine mantello, deferunt, capucio dimiſſo* [m]) *incedunt, faciem quaſi cooperiunt, crocei in colore quidam apparent in facie* [n]), *ſed pingues. Vt communiter exiſtunt, laute bibunt et comedunt,*

*) p. 438. edit. Venet. in qua nonnulla aliter leguntur, hic indicanda:
a) *ſeu.*
b) *et riſibus.*
c) *ac.*
d) *clare et aperte.*
**) l. c. p. 441.
e) *Beguini haer.*
f) *ſeu.*
g) *Fraticelli, vel.*
h) *ſiue.*
i) *qui iidem.*
k) *dignoſc.*
l) *tenere.*
m) *demiſſo.*
n) *in val. in facie app.*

edunt, conuiuia quaerunt: mulierum consortium non respuunt, sed amplectantur [o]) (forte *amplexantur*) *salutando et resalutando dicunt:* BENEDICTVS SIT IESVS CHRISTVS, *vel*, BENEDICTVM SIT NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: *orantes* [p]) *in ecclesia nec flexis genibus, nec complosis* [q]) *manibus, ut ceteri Christiani, non* [r]) *stant, sed sedent in terra, verso vultu ad parietem, vel obim* [s]), (forte, *obicem*, vel *obiectum*) *et oculos ad coelum non eleuant. Aliqui publice mendicant, aliqui in domibus suis habitant: congregationes maxime iuuencularum* [t]) *sibi faciunt, et adunant: quibus de Postilla Fratris Petri Iohannis super Apocalypsi* [u]) *per ecclesiam condempnata, et de aliis opusculis eiusdem, et praesertim de dicti fratris Petri transitu* [v]), *eis in vulgari de nocte et secrete legunt Hii* [w]) *quam plurimum venenati sunt, et multum ecclesiae Dei se opponunt, et* [x]) *opposuerunt de praeterito, opponunt* [y]) *etiam de praesenti. Quantus autem istorum haereticorum Beghardorum* [z]) *error fuerit, atque sit, et impietas, experientia docet, omnium rerum magistra, et habetur supra in secunda Parte Qu. XV. ubi agitur de haeresibus et erroribus* [aa]) *Beghardorum* [z]). Qualem hic signorum, quibus *Beghardos* aliis ab haereticis internoscere possent quaesitores religiosi, ab EYMERICO, *Directorii Officii Inquisitionis* auctore, (qui ipse, eodem munere defunctus, rem plane

o) *amplectuntur.*

p) *iurantes ad eos sic, ut praedicitur, eos dicere volunt, scilicet, Benedictus sit Ies. Christus, vel, Benedictum sit nomen Domini nostri Ies. Christi: orantes* etc.

q) *complausis.*

r) *non* abest.

s) *parietem obiectum.*

t) *mulierculaarum.*

u) *Apocalypsim.*

v) *de transitu dicti fratr. Pet. Ioannis.*

w) *Hi.*

x) desunt *opponunt et.*

y) *et opp.*

z) *Begard.*

aa) *erroribus et haeres.*

plane scire potuit, ac debuit,) suppeditatum videmus indicem, talem, reor, Vrbanus etiam, si non plane eundem, ad summum sacrorum Parisiensium antistitem transmisit, vt ipse, vna cum belli sociis, hostes explorandos, et igni ferroque domandos, ex vita, ritibus, aliis, recte pernoscere, adeoque feliciori successu arma aduersus eos mouere posset. Vtcunque autem haec sint, Vrbanum credibile est, lege sua hoc adsequutum esse, vt *Beghini* Gallici aut exstirparentur radicitus, aut quam vehementissime vexati, non nisi occulte institutum vitae suae continuarent, et placita sua singularia aliorum mentibus instillarent. Hic enim Pontifex nihil amplius contra eiusmodi *Beghardos* aut sanxisse, aut molitus esse fertur. Interim non ita diu post, sub aliis quidem nominibus, veluti in scenam prodierunt. Nempe qui adhuc *Beghini* vel *Fratricelli* fuerant dicti, populoque Christiano per calumnias, de iis sparsas, odio esse coeperant: ii *Turlipinorum* aut *Lollardorum* nominibus nuncupati, turbas concitarunt, quibus Gregorii XI. Pont. Max. indignationem incurrerent. Hic igitur vehementer irritatus, Carolum V. Galliarum regem, litteris longe grauissimis adduxit, vt hoc hominum genus, quauis via et ratione e medio tolli iuberet. De hac quasi expeditione bellica satis disputauit ὁ πάνυ MOSHEMIVS *). Itaque nihil est, quod addere possim. Hoc vnum monere placet, IO. CONRAD. FVESSLINVM, virum egregie doctum, de his haereticis, vt de aliis, recte ingenioseque statuisse **). Post id temporis nihil de *Beghinis*, *Turlipinis*, *Lollardis*, in Gallia molientibus, reperitur: vnde regis, quem diximus, consiliis atque institutis vel penitus oppressi sunt, vel tanta cura, tantaque seueritate obseruati, vt tanquam vespertiliones, vel noctuae, lucem

 fugien-

*) l. c. §. 36.

**) Neue und unpartheyische Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern Zeit. Theil I. p. 75. et alib.

fugientes, non nisi in latibulis et tenebris salutis spem ponere possent.

§. VI.

Adgredior iam exponere, quantum per monumentorum rationem fieri potest, turbas et calamitates, quas in Italia et excitarunt, et perpessi sunt *Beghini* et *Beghinae*, siue hoc ipso, quod dixi, nomine notati sint, siue *Franciscani Spirituales*, vel *Fratres de paupere vita*, *Fratres poenitentes*, *Franciscani de tertio ordine*, vel denique *Fraticelli de la Opinione* appellati. Sunt, qui eos, praeter haec, *Apostolorum* nomine nuncupatos; item alii, qui ex *Dulcini* et *Gerardi Segarelli* schola egressos esse contendant: neutrum recte et vere: vtramque opinionem ὁ πάνυ MOSHEMIVS supra confutauit. Ac primum quidem in Italia huiusmodi homines non eo statim tempore, quo in Belgio et finitimis Germaniae prouinciis exorsi erant, instituti sodalitiique sui rationem induxisse, atque stabiliisse videntur. Quod quominus auderent, continua eos, reor, impediit praesentia tam ipsius Pontificis Maximi, quam tot aliorum hominum, ordinibus sacris initiatorum, et in primis quaesitorum religiosorum, qui videre iussi erant, ne quid detrimenti caperet res et religio Christiana. Vnde equidem in ea sum haeresi, vt Italiam vix vidisse, multo minus aluisse, credam *Beghinas* et *Beghardos* castos, integros, pietatis verae studiosos, ab omni errore grauiori alienos, quales omnium primos fuisse constat. Fieri quidem potuit, vt singuli eo demigrarent: sed qui eis, per caussam expositam, licuerit, sectatores ad sese pellicere, certasque sedes, vel *Beguinagia* condere? Nihil certe a rerum, ea aetate gestarum, scriptoribus est proditum. Qui itaque *Beghini*, quocunque demum nomine appelles, in ea Europae parte exstiterunt, concitatisque turbis variis, Pontificum Max. pariter, ac quaesitorum religiosorum indignationem in se conuerterunt; ii serius demum,

nium, quam alibi innotuere, nec errorum prorsus immunes fuere. Id quod exeunte Saeculo tertio decimo accidisse putatur, Bonifacio VIII. Pont. Max. *): hic certe legum, quotquot contra *Beguinos*, *Bizochos*, vel *Fraticellos* rogatas nouimus, A. MCCLXXXXVII. omnium primam promulgauit. Hanc vna cum ceteris, ad hanc caussam pertinentibus, alio loco suppeditamus **). Illorum origines, opiniones, litesque cum Pontificibus, aeque graues ac diuturnas, supra paucis attigimus: quas qui penitus perspicere auet, is MOSHEMII Institutiones Hist. Eccles. et ceteros scriptores, a viro summo laudatos, adeat, necesse est. Fuerant quidem, Nicolao IIII. Pont. Max. in Franciscanorum familia, iam nonnulli, qui *Fraticellorum* posthac ortorum placita, et vitae institutum sequerentur: sed eiusdem Antistitis Summi prudentia, auctoritate atque vigilantia factum est, vt ignis gliscens in apertum incendium haud erumperet; nec, quibus haec rectiora, auctorisque legi aptiora videbantur, a reliquis familiae suae sodalibus secederent. Quam ille cautionem adhibuerit ad hoc efficiendum, supra iam satis, pro instituti mei ratione, exposui. Verum qui Nicolai in locum, biennio, amplius, vacuum, successerat Caelestinus V. integritatis quidem opinione inclutus, sed aetate iam prouectior, et solitario asperrimoque vitae generi adsuetus, ideoque tam morum delicatiorum et luxuriae censor seuerus, quam rerum ciuilium prudentia vsuque destitutus, permissu aliquo suo, igni, clanculum gliscenti, tantum nutrimenti imprudens adiecit, vt flamma inde nasceretur longe vehementissima, et ipsi auctoritati Pontificiae tandem perniciosissima. Hac de re supra breuiter strictimque disputaui ***). Vt pri-

*) v. Moshem. Institutt. H. E. Saec. XIII. Part. II. c. 2. §. 39. p. 528. sqq. Reynaldus Annal. Eccles. ad A. 1294. n. 26. Tom. XIV. p. 469.

**) Append. post. Num. II.

***) §. III.

primum igitur nouum vitae institutum, temere et inconsiderate permissum, aliorum oculos ferire, placere, quin etiam laudibus extolli coeperat; ad eius auctores, sectatoresque initio paucos, sensim, vt fit, multo plures abierunt, et familiam auxerunt. Cuius numero et superstitiosae plebis applausu ferociores facti, sibi temere persuaserunt sectae recentis adseclae, se solos D. Francisci legem, de paupertate sancitam, recte vereque seruare, atque adeo Christum et huius legatos, qui itidem bonorum qualiumcunque nihil habuissent, ita, vt deceat, imitari. Inde reliquos sodalitatis Franciscanae socios minus austeros, tamquam minus *Spirituales* habere ac despicere, mitiorem legis interpretationem, varios per Pontifices datam vel confirmatam improbare, quin asseuerare, eiusmodi mitigationem esse prorsus irreligiosam, quin sacrilegam: nec Pontificibus ius potestatemque fuisse, vel vnicum instituti illius verbulum mutandi, leniendi, et contra auctoris mentem interpretandi. Quid? quod sectae recentis socii, adseclarum suorum eos, qui reapse initiati erant, *Fratres S. Francisci*, item, *Spirituales*, vel *Perfectos*; qui non item, *Fraticellos*, *Bizochos*, *Beguinos* et *Bocosatos* vocarunt: aduersarii contra eos omnes, sine discrimine, *Fraticellos* vel *Fraterculos*, quin per contemtum etiam *Fraticellos de opinione*, et Italice *Fraticelli de la opinione* appellarunt. Et initio quidem, praeterquam quod de paupertate et Christi, et sua, praedicabant, nihil errorum credidisse et docuisse videntur: epistola certe, qua A. MCCLXXXXVII. scripta, Bonifacius VIII. Matthaeum de Theate, quaesitorem, religiosum aduersus eos incitauit, placitum ne vnum quidem memorat, quo tuendo religionem Christianam euertere adgressi sint *). Impugnabant hunc Pontificem eo saltem nomine, quod Caelestini legem, caussae suae fauentem, antiquandam censuerat, vitaeque solitariae insti-

*) Append. post. Num. II.

institutum penitus prohibendum. Quod aegre ferentes, vitae suae genus nullo non modo tuebantur. Interim Pontifici, huiusque legibus et auctoritati aduersari, haeresis tum temporis ducebatur et dicebatur longe grauissima. Et controuersia profecto non leuis, non spernenda esse coeperat, postquam Franciscani alii, vehementer offensi, ex Gallia eo venerant, et varios Petri Ioannis Oliui libros, in primisque Commentarium in Apocalypsin, secum attulerant: quos tanquam oracula reuerebantur, assidue lectitabant, et placita, Pontificum auctoritati tam perniciosa, inde hauriebant *Fraticelli*. Ac si vera sunt, quae Raynaldus ex Iordani libro MS. adfert *); hoc iam tempore eo temeritatis progressi sunt, vt Romae, in D. Petri aede, quinque *Beguini* et tredecim mulieres, *Fratrem de Bodicis*, ex prouincia Gallica profugum, Papam crearent. Quod flagitium tantopere irritauit Bonifacium, vt sumtis armis eos castigari iuberet. Quo cognito, ex vrbe in Siciliam aufugisse dicuntur. Atque haud scio, an similis temeritas eundem adduxerit Pontificem, vt eos in finibus Aprutii et Marchiae Anconitanae, locisque finitimis vagantes, per Matthaeum de Theate, quem diximus, quouis modo vexatos vellet. Ceterum hoc ipsum, quod Raynaldus memoriae prodidit, plane demonstrat, in agmine eorum, qui ex Galliis in Italiam venerant, fuisse quoque mulieres, adeoque *Beguinas*, quales haec regio adhuc non viderat: et harum cum illis consuetudinem iusto interiorem atque familiariorem, adduxisse PRATEOLVM, vt de *Fraticellis*, aduersus quos arma sumserat Pontifex, memoraret **), *laruatam eorum sanctitatem in stupra horrenda desciuisse, atque adeo speciosas quasque mulierculas seducere maxime annisos, vt promiscuos cum iis concubitus in damnatis conuenticulis exercerent.* Haec ille: cuius

*) Annal. Eccles. ad A. 1297. n. 55. ss. Vol. XIV. p. 512. ss.

**) Elench. haeres. l. VI.

cuius tamen verbis temere adstipulari iubemus neminem: Liquido enim constat, eius aetatis scriptores tantum non omnes partium studio addictos fuisse, et quae de haereticis, vere, falso, spargebantur, tanquam indubitata et longe certissima, litteris mandasse. Interim *Fraticelli*, seu *Beghini*, vtriusque quidem sexus, donec Pontifices in Italia, et Romae potissimum, commorantes, ipsorum consilia, machinas et progressus, oculis inuidis aeque ac peracutis obseruare poterant, caput, quantum auebant, extollere non poterant, neque tot sectatores, quot aliis in regionibus, Episcoporum Rom. imperio et auctoritati minus obnoxiis, in suas trahere partes. Igitur eos occulte laborare oportuit in placitis, et vitae suae institutis commendandis atque disseminandis: significato enim studio vel minimo nouos alliciendi sectatores, metuere debuerunt, ne per homines male fidos proditi, et a quaesitoribus religiosis in ius vocati, poenas *luerent grauissimas*. Neque tamen Bonifacius, praeter legem, *quam* supra diximus, aliam contra hunc hominum globum sanxisse memoratur: vnde perquam credibile est, lites ipsius, aeque graues ac perpetuas, cum regibus variis, in primisque cum Philippo Pulcro, Galliarum rege, fecisse, vt potentiores potius atque periculosiores, quam leuiores et imbecilliores, hostes adoriretur. Sed per hanc ipsam tempestiue in eos animaduertendi incuriam maiora pedetentim cepere incrementa, ita vt Pontificibus posthac vel maxime metuendi essent. Id quod, reor, eo facilius euenire potuit, quo inconsideratius Clemens V. qui in Bonifacii, quem diximus, ac Benedicti XI. nulla fere re praeclare gesta memorabilis, successerat locum, sibi persuaderi passus est, vt sedem Pontificiam ex Italia in Galliam, Roma Auenionem transferret. Quo temere et imprudenter facto, non parum detrimenti cepisse constat Antistitum Rom. auctoritatem. Eo, in aliis, pertinet mirifice adauctus Franciscanorum rebellium, siue *Fraticellorum* et *Beghinorum* globus: vtpote qui, per

Pontificum absentiam, et indies crescentem sociorum fautorumque numerum, leges et comminationes illorum prorsus despicerent, quin eos negarent recte vereque summos sacrorum antistites vocari, qui Anti-Christi potius nomine digni essent. Cuiusmodi sententias si *Beghini*, Italiae turbatores, iam tum amplexi sunt, et propugnarunt; Clementem opinionum, auctoritati suae tam perniciosarum, prorsus ignarum fuisse oportet: qui, etsi in Concilio Viennensi, A. MCCCXI. coacto, *Beghardos* et *Beghinas* in Germania degentes, horumque octo errores condemnabat *), de *Beghinis* tamen Italicis et ipsorum placitis pestiferis pariter, ac temerariis, plane nihil statuisse reperitur. Quos, Bonifacii lege ac decreto iam notatos, et per Matthaeum de Theate exstirpari iussos, quod ignorare non poterat, certe quidem non debebat, cur ipse notare et premere, dirisque persequi neglexerit, factum esse auguror propterea, quod Episcopi Italici, si qui interfuere Concilio, de ea hominum classe, et de exitio, inde fluente, cladem que vniuersae ciuitati Christianae non mediocrem minante, minus quam Germanici conquesti erant, et tanti mali medicinam postularant. Sed legem, Viennae scriptam, et tandem promulgatam, credibile est nihilosecius ad Italiae Christianae proceres tandem perlatam, eisque commendatam esse. Ea autem quam vim ad *Beghinos*, qui Italiam turbabant, compescendos habuerit, penitus ignoratur. Episcopi Italici, non temere indignantes, Pontificatum maximum ab homine, populari suo, in Franco-Gallum, eumque adeo, qui Auenionem Romae anteponeret, translatum esse, Clementis leges non magnopere curasse videntur; multo minus voluisse, vt fidei censores legislatoris, quasi vitio creati, decretum exsequerentur. Quae eorum socordia, siquid video, caussa fuit praecipua, cur eo tempore in Italia finitimisque prouinciis, legum contra

*) v. Append. post. Num. III.

tra *Fraticellos*, seu *Beghinos*, scriptarum, sanctio nulla memoretur in annalibus ecclesiasticis. Nec maius ad emendandos, aut delendos, homines tam noxios momentum habuisse reor tam Clementinas, a Ioanne XXII. Pont. M. in lucem exire iussas, quam leges multo plura, ab hoc ipso Antistite summo rogatas et sancitas. Rerum enim in Italia Christiana gestarum scriptores nulla similis vexationis exempla suppeditant, quum de Gallicanis contra et episcopis, et quaesitoribus religiosis longe alia memoriae prodita reperiantur. Quare probabile est, eo potissimum tempore complures *Franciscanos spirituales* et *perfectiores* (haec cognomina praeoptabant) e Gallia, vbi a quaesitoribus perspicacissimis saeuissimisque sese indagari, vexari, necari videbant, cum Abbatis Ioachimi et Petri Ioannis Oliui libris, in Italiam profugisse, et haereseos suae socios per singularia eorum placita, inde hausta, et copiosius enarrata, in erroribus magis etiam confirmasse. Non igitur est, quod miremur, tot auctoritatis Pontificiae aduersarios ibi prodiisse, qui Caelestini V. successores contenderent, Pontifices fuisse vitio creatos; quin Ioannem XXII. vocarent ipsum Anti-Christum. Quae contumelia et capitis, vt ita dicam, diminutio, quamquam eum non poterat non male haberet, adeoque etiam perpellere, vt decreta et bullas non paucas, veluti tela quaedam, in eos spargeret: pleraque tamen irrita ceciderunt, tum propter ingens locorum interuallum, quod quasi permeare debebant, tum propter Ludouici Bauari, imperatoris, potestatem calliditatemque, qua eiusmodi homines non solum tuebatur, sed etiam in Ioannem, hostem adeo infensum, vehementius instigabat. Cuius praesidio freti, nihili faciebant Pontificias litteras vniuerse scriptas *): quas vero sigillatim, vel ad Robertum, Siciliae regem, A. MCCCXXV. dederat **), vel anno post, ad omnes praesules, per Lombar-

*) Append. post. N. V. VIIII. XIIII. **) ib. N. XI.

bardiam et Tusciam rei sacrae praefectos *), eae effectu sperato prorsus caruerunt. Interim vt Pontifex, quem diximus, Imperatorem, donec in viuis erat, odio plus quam Vatiniano persequutus est, ita quoque Franciscanos rebelles nullo non loco et tempore exstinguere percupiit. Vnde, intellecto, eorum globum non exiguum in Sicilia latius grassari, et Angelum e valle Spoletana, hominem sacris non initiatum, eis praeesse, veritus, ne quid detrimenti ibi caperet sua auctoritas, extremo fere A. MCCCXXXI. litteras scripsit ad Episcopum Melphiensem, et fidei censores, auctoritate Apostolica videre iussos, vt res sacra, in Sicilia et terris citra Pharum, sarta, tecta, perstaret. Anno post misit alias ad Banciam, Siciliae reginam, Franciscanum sodalitium singulari studio et obseruantia complecti suetam, quibus eam identidem cohortatus est, caueret, ne sese a quibusdam pseudo-minoritis, labe Michaelis Caesenatis male inquinatis, temere et inconsiderate abripi pateretur, nec mala plura et maiora Geraldo, summo Minoritarum praefecto, simulatores illos nequissimos in ius vocanti, moliretur. Quibus ex epistolis, quas Raynaldus integras in lucem protulit **), effici cogique potest, fuisse tum quidem in Sicilia quaesitores religiosos; hos autem id hominum genus, quamuis Ioannes, odio inflammatus, quouis modo extinctum cuperet, seuerius persequi aut noluisse, aut non debuisse per reuerentiam, Reginae, eos indulgenter et humaniter tuenti, praestandam. Itaque hanc, pietatis specie, ne dictis grauiter offenderetur, monendam duxit, non exigua in fouendis familiae Franciscanae sociis, cautione opus esse; nec his, quae eorum quosdam, a Geraldo in ius vocatos, tutando iam fecerit, plura et maiora tentanda. Quos inde fructus collegerit Ioannes, nullibi relatum legimus: idque auctorum silentium facit,

*) ib. N. XII. . . . 1331. n. 6. et ad a. 1332. n.
**) Annal. Eccles. ad a. 19. Tom. XV. p. 419. ff.

cit, vt hos valde mediocres, vel plane nullos, fuisse credam. Verbo, tantum aberat, vt hostes adeo infensi et pertinaces, vel acerbissimis huius Pontificis legibus et artificiis possent opprimi, vt ei potius, per omnem vitam, molestias creare non desinerent. Qui in ipsius, A. MCCCXXXIIII. mortui, successerat locum, Benedictus XII. et posthac, Clemens VI. bellum, cum *Franciscanis* siue *Beghinis* adhuc gestum, longe prudentiori ratione componere adgressi sunt. Haec quae esset, et quo successu ab iis inita, supra iam dictum est. Atque haec est caussa, cur neutrum ipsos telis, alias consuetis, petiisse reperiamus. Quare credibile est, Italicos etiam, si non omnes, certe plerosque, ad saniorem mentem rediisse; et qui in opinionibus animo anteceptis perstare mallent, aut non amplius turbas mouisse, aut Italia egressos, alia tuta asyla quaesiisse. Quod non raro factum, auctore Raynaldo. Nihil etiam neque Innocentius VI. neque Vrbanus V. contra eiusmodi *Franciscanos rebelles*, vel *Beghinos*, sanxisse memoratur; praeterquam quod posterior prouinciam, eorum reliquias ibi occultatas, indagandi et vexandi, Golferio, Abbati S. Seuerini maioris, Neapolitano, et Bernardo, electo Boianensi, demandasse fertur *). In quo negotio perficiendo, hosce fidei censores iusto negligentiores fuisse, haudquaquam probabile est. Verum ne tum quidem ad vnum omnes exstincti sunt. Supererant eorum complures, Gregorio XI. ad dignitatem pontificiam euecto; in Sicilia potissimum, vbi homines, honesti quidem illi, sed simpliciores, pietatis specie, quam simulatores quidam prae se ferebant adlecti et decepti, combustorum *Fraterculorum*, i. e. *Fraticellorum* aut *Beghinorum*, ossa putrida, cineresque inanes, veluti Sanctorum, per Pontificum Rom. decreta coli iussorum, reliquias venerari, et tantum non

ad-

*) v. Raynald. Annal. Eccles. ad an. 1365. n. 17. Tom. XVI. p. 446. f.

adorare coeperant. Quo intellecto, nouus hic Antistes summus, summo animi moerore affectus, per epistolam singularem, anno dignitatis Pontificiae secundo, i.e. MCCCLXXIII. exaratam, sacrorum Siculorum Praesulibus, quotquot ibi erant, omnibus praecepit, ne eiusmodi superstitionem, diris deuouendam, diutius ferrent, sed plebeculam misere deceptam, ab eo reuocarent atque deterrerent. Epistolam eam alio loco integram proferre placet *): eoque magis, quo plenius ex ea apparet, Siculos simpliciores in venerandis *Fraticellorum*, supplicio affectorum, ossibus cineribusque eo superstitionis delapsos esse, quo de *Beghinis* Gallicis complures, qua similem quattuor Fratrum Minorum, Massiliae combustorum, cultum et venerationem, abiisse docet Liber Sententiarum Inquisitionis Tholosanae, Philippi a Limborch studio diuulgatus. Neque dubium esse potest, quin Antistites probi et honesti tam foedam et detestandam plebis Siculae superstitionem, quod praeceptum erat, et quantum poterant, coercuerint. Veruntamen perniciosa haec secta ne tum quidem prorsus exstincta est: quod palam facere erat vetita, id clam et occulte continuauit. Quare si hoc loco seuerius castigabantur, inde profugi alio, eoque tutiori, quasi repullularunt, atque pietatis simulatae specie homines simpliciores facile ita ceperunt, vt in ipsorum sententias abirent. Quod malum non potuit maiores non capere auctus, ex quo tempore magnum illud schisma occidentale (sic vulgo appellant) existere coeperat. Etenim Pontificum, ciuitati Christianae simul praefectorum, vnusquisque suae potius auctoritatis potestatisque augendae, prouehendae, confirmandae, quam religionis recte et vere tradendae ac tuendae, studio inflammatus, tantum aberat, vt communem rei Christianae hostem honesto et salutari consilio, ad verum videndum et sequendum, adeoque ad meliorem frugem perduce-

*) Append. post. Num. XVIII.

ducere voluerit, vt potius non nisi aduersarium suum, huiusque sectatores, hostili animo adgressus, diris deuovere, et quantum in ipso fuit, radicitus exscindere tentarit, eaque mente vel homines, a vero aberrantes, indulgendo, ad partes suas traxerit, eorumque numerum pedetentim succrescere siuerit. Eorum certe decretum, contra *Fraticellos* seu *Beghinos* Italicos scriptum, quod quidem sciam, exstat nullum. Igitur credibile est, hosce homines, quos inter non pauci erant perquam astuti et callidi, tempus tam opportunum percupide adhibuisse ad familiam suam quouis modo augendam et propagandam, quin et ibi stabiliendam, vbi ipsis antea haud licuerat commorari. Sublato tandem per Concilii Constantiensis patres tam tristi discidio, et tribus, qui adhuc fuerant, Pontificibus veluti magistratu abire iussis, Martinus V. eorum in locum suffectus, primo statim dignitatis Pontificiae anno, i. e. MCCCCXVIII. facere non potuit, quin aduersus eos, in ipso Pontificum Rom. agro latentes, legem sciscerет seueriorem, eademque tam episcopos, quam quaesitores religiosos, impelleret ad eos indagandos atque coercendos. Ex ea vero, quam suo loco integram adfero *), satis potest intelligi, illorum multos in ipsa prouincia Romana delituisse, et in castrorum villarumque dominis habuisse, qui ipsos beneuolentia complexi, quouis modo tuerentur. Morbus interea, qui per quinquaginta fere annos haud releuatus, altiores egerat radices, non illico sanari potuit: isque, si quo loco depulsus videbatur, alio loco, alia in prouincia, denuo ingrauescere coepit. Nam idem Martinus, anno statim consequenti, accepit, *Manfredum*, familiae Dominicanae sodalem, singulari sua de Anti-Christi aduentu opinione et institutione, multos vtriusque sexus homines perpulisse, vt, spretis rebus, opibus, deliciisque humanis, iuuenes et virgines, aetate prouectiores pariter ac iunio-

*) Append. post. N. XXIII.

niores, eius suasu, tertii Ordinis, siue de poenitentia, D. Dominici habitum induentes, in communi, quod dicitur, vitam transigerent, mares tamen a feminis seiuncti, vitamque sellulariam, non sine sudore exercentes, sacris publicis nullam non impenderent operam, praeuaricationes suas frequenter et deuote professi, ad epulum longe sanctissimum accederent, et mirificum honestatis, modestiae et amoris mutui studium prae se ferrent. Huiusmodi homines, mares centum, trecentae feminae, amplius, quamuis *Beghardorum* et *Beguinarum* nomine a scriptoribus haud notentur, tamen reuera tales fuisse existimo, quales integri castique *Beghardi* et *Beguinae*, in Belgio primum, et finitimis Germaniae prouinciis exorti. Idem certe vitae genus, eademque instituta sequuti, et errorum super placitis religiosis immunes fuisse videntur. Verum ne hoc quidem institutum, per se probum et laudabile, ferendum censuit idem, quem dixi, Pontifex Max. ideoque eius pedetentim tollendi cepit consilium; nec tamen calidum et violentum, sed lene potius, prudens et consideratum: quo id, quod sequebatur, facile etiam assequutus est. Breui post, anno MCCCCXXI. denuo *Fraticellorum*, quibus *de la Opinione* cognomentum erat, non exiguae indagabantur reliquiae, quas coerceri et prorsus exstirpari iussit scriptis ad Albanensem et Portuensem episcopos Cardinales litteris *), quibus eos auctoritate atque potestate muniuit necessaria, vt eiusmodi homines pestiferos (tales certe erant ex ipsius sententia) summo, quo possent, studio persequerentur, expellerent, caperent, suppliciis afficerent: hos enim, aduersarios Ioannis XXII. graues pariter ac pertinaces, magis metuendos esse sciebat, quam simplices et innocentes illos sellularios, quos paullo ante diximus, perquam leni via et ratione haberi iussos. Qui duo patres purpurati prouinciam sibi demandatam, strenue administrasse, et

*) Append. post. N. XXIIII.

Fraticellorum sectam in agro Piceno versatam, penitus excidisse feruntur. De quorum expeditione Antoninus haec litteris mandauit: *Papa Martinus misit in Marchiam gentes armorum ad extinguendum gladio materiali haereticos* FRATICELLOS, *scilicet* DE OPINIONE, *qui ibi multum abundabant, et aliqua castra errore illo tota infecta erant, vt Massatium, Meliorata, cuius homines vel occisi, vel expulsi sunt, destructis locis habitationis eorum, qui fugientes in Graeciam se transtulerunt.* Verum pertinaces isti auctoritatis pontificiae hostes ne sic quidem prorsus deleti sunt. Pontifex enim, incredibili sectam tantopere metuendam exstinguendi studio incensus, accepit A. MCCCCXXIIII. in Piceno, quem agrum nuper penitus expurgatum credidisset, rursus nonnullos succreuisse *Fraticellorum* frutices nefarios, qui alios ad suas partes pellicerent, eoque haereseos virus indies magis spargerent. Quod aegerrime ferens, non solum Orracum e Torrente, *ordinis* Praedicatorum, quaesitoris religiosi sparta in prouinciis, vbi huiusmodi homines supererant, defungi iussit, sed etiam Petro, Abbati Rosatiensi, per litteras longe grauissimas atque seuerissimas, praecepit *), vt nebulones, in haeresi detestanda adeo obfirmatos, nulla vel dignitatis, vel ordinis, vel sexus, vel denique aetatis ratione habita, meritis affici suppliciis, et ciuitate Christiana expelli curaret. Quae epistola sane quam grauis, et tantum non immanis, certo, reor, argumento est, quanto aduersus *Fraticellos* odio flagrarit. Quid? quod biennio post, Ioannem Capistranum, Ordinis Minorum, virum eximia integritate et constantia, ne dicam saeuitia, celebrem, eisdem aduersariis opposuit, eundemque potestate amplissima veluti armatum, vt ipsos indagare, opprimere, et pro arbitrio plectere posset. Litteras, quibus ei iurisdictionem tam late patentem credidit, suo loco proferam.

*) Append. post. N. XXV.

ram *). Mandata non dissimilia eum quoque dedisse memorant Iacobo Antonii e monte Brandono, Minoritae, eximio oratori sacro, ac Bernardino e Boyandis, Ordinis Praedicatorum. Hic dioeceses varias, extra Italiam sitas, vt, Barcinonensem, Gerundensem, Vticensem, similium hominum, pietatisque simulatorum faece liberare et repurgare iussus, quos in perficiendo isthoc negotio progressus fecerit, non liquido constat: illius in laudibus numeratur plena haereseos tam pestiferae, tam metuendae quasi strages, et victoria, post aliquot tandem annos mero singularis eloquentiae praesidio deportata. Etenim quum non solum Eugenius IV. Pont. Max. qui in Martini, A. MCCCCXXXI. mortui, locum successerat, sed etiam Nicolaus V. ad dignitatem Pontificiam euectus, magistratu vixdum inito, accepissent, eiusmodi *Fraticellos de la opinione* adhuc superesse, et ciuitatem Christianam hic, illic, infestare: vterque necesse fore peruidit, vt eorum reliquiae sine mora delerentur. Vnde ille Episcopo Anconitano **), hic Antonio Ostiensi, ac Iordano Sabinensi, Cardinalibus episcopis, per epistolam ***) praecepit, vt in illos pietatis infucatae simulatores, iusto studio animaduerterent, neque eos ciuitatem Christianam diutius perturbare sinerent. Patres purpurati prouinciam sibi traditam recte administrare cupientes, tanti et tam diuturni belli strenue gerendi conficiendique socium sibi iunxerunt Ioannem e Capistrano, qui, quam idoneus esset ad huiusmodi expeditionem, aliquoties iam demonstrauerat. Neque ille spem de se factam hoc in negotio fefellit. Opera enim ipsius in hostibus conquirendis atque compescendis, Praesulum sacrorum exspectationi ita respondit, vt ab vtroque Pontifice, Eugenio nimirum et Nicolao, quaesitor religiosus crearetur, et *Fraticellis* potissimum opponeretur ****). Qua

 hunc

*) Append. post. N. XXVI.

**) ibid. N. XXVII.

***) ibid. N. XXVIII.

****) Raynaldus Annal. Ecclesf.

hunc quidem epistola illi tale officii munus iniunxisse memorant, istam suo loco transscriptam dabo *): hoc silentio praetermitti non debet, Ioanni vel mortuo singularem *Fraticellos* indagandi, et ad meliorem mentem cogendi dexteritatem, vel, si mauis, calliditatem, in primis honori verti a scriptoribus plerisque curiae Rom. addictis. Ceterum nemo facile dixerit, vtrum graues illi rei Romanae hostes, qui suos errores supplicio non expiarunt, sincera fide ad sacra Romano-Catholica redierint, an sese redire saltem simularint. Quin ne hoc quidem satis exploratum est, quam perennes fuerint fructus laborum, quos censor ille religiosus in hac caussa laudabiliter suscepisse dicitur. Credibile est, plerosque hominum similium, non nisi metu suppliciorum fere immanium, quibus, Pontificum Maximorum permissu, fidei censores nullo non loco praesentes, vel leuissimam haeresis suspicionem castigare et poterant, et solebant, tertiam D. Francisci regulam, quae vocatur, amplexos esse, ne diutius misere vexarentur: contra qui in erroris opinione perstare mallent, vel fuga salutem petiisse, vel vera animi sensa ita occultasse, vt nemo ipsos, hoc nomine, ad iudices religiosos deferre; nemo, per leges canonicas, damnare ac punire posset. Sed haec vtcunque aut existimentur, aut reapse habeant; id certe per aetatis illius monumenta asseuerare licet, nomen *Fraticellorum*, siue *Beghinorum*, toties legibus pontificiis, tanquam telis, petitorum et confixorum, post id temporis admodum raro in Italia, et prouinciis finitimis, auditum esse: maxime posteaquam collapsa in familia Franciscana disciplina et obseruantia, redintegrata est, ac pristino splendore veluti condecorata. Hoc enim facto, *Fraticelli* nihil magnopere habuerunt, cur mitiorem et leniorem legis Franciscanae interpretationem, a Pontificibus

clef. ad an. 1432. n. 24. Tom. XVIII. p. 107. et ad an. 1447. n. 23. eiusd. Tom. p. 343.

*) Append. post. N. XXI.

cibus antegressis pronuntiatam et declaratam, reprehenderent, et a ceteris illius sodalitii sociis secederent. Nihil igitur superest, quod de *Beghinis Italicis* memorare possim: vnde progredi placet ad eos, qui alias Europae prouincias turbarunt.

§. VII.

Germaniam, praeter Belgium, ingenti *Beghardorum et Beguinorum* multitudine, saeculo tertio decimo iam abundasse, varias quoque leges et decreta, eos compescendi delendique caussa promulgatas habuisse, supra iam demonstratum est. Quorum omnium primos, credibile est, homines simplices, Dei metuentes, et integritatis studiosos fuisse; eos etiam talem vitae rationem secutos, qualem cuique viro integro, honesto, pio, facile probarent. Sed posteaquam Bonifacius VIII. P. M. abrogatis Caelestini V. institutis et priuilegiis, sectatores familiae Franciscanae eos, qui vitam longe durissimam et pauperrimam in locis desertis transigere mallent, quam cum aliis eius sociis mollius et lautius viuere, atque ipsorum Pontificum auctoritatem, eo nomine, quod duriorem D. Francisci legem contra ius fasque lenius interpretati sint, impugnarent, veluti haereticos longe nequissimos et perditissimos, in Italia vexari iussit: horum *Franciscanorum Spiritualium, Fraticellorum de la opinione, Bizochorum, Beguinorum* (sic eos vocabant) nonnulli, ibi vitae suae metuentes, in Germaniam, tanquam asylum, perfugerunt, vt hic, in reliquis *Beghardis*, nondum suspectis, et vexatis, laterent, et a fidei censoribus non tanto, quanto in Italia, vindictae studio obseruari, explorari, et poenis affici possent. Neque eos haec spes fefellisse videtur. Aliquamdiu certe ipsis asylo fuit Alemannia; nimirum Ludouico, Bauaro, imperium administrante: qui vt Ioanni XXII. aduersario infensissimo, sibi nihil non molestiarum creanti, contra aegre faceret, eiusmodi Franciscanos rebelles et obstinatos, quam liben-

mento sunt litterae transscriptae, *Beguinas*, extremo saeculo decimo tertio, non solum exstitisse Goslariae, sed etiam ita vixisse, vt eas sacrorum administri non tolerare nollent: quas hanc ob caussam probabile est, admodum probas et honestas fuisse *). *Beguinas* similes, eodem iam tempore, Berna quoque habuit; quod ex reip. Helueticae annalibus apparet. Quum enim in oppidi, quod diximus, obsidione, A. MCCLXXXVIII. inchoata, hostium iniuriis et deuastationi obnoxium esset *Beguinagium*, id est, Beguinarum domus, extra moenia, prope pontem, Ararim, siue Arolam iungentem, aedificata: hanc demoliri, et intra moenia ipsa, alia in platea, rursus exstruere, ipsis permissum est. Quo factum, vt illa, vel diu post eam aetatem, *domus Sororum prope pontem* vocaretur **). Interim quidquid malorum aut vexationum *Beghardi* et *Beguinae*, in Germania finitimisque prouinciis degentes, ante erant perpessi, quam Clemens V. et Ioannes XXII. *crearentur* Antistites supremi: id non tam Pontifices antegressi, quam singularum prouinciarum antistites, tanquam fidei censores, poenae loco irrogatum voluerunt. Illi enim, quales essent *Beghardi* et *Beguinae*, Germaniae Christianae pacem et tranquillitatem turbantes, qui eorum status, quod vitae institutum, quae placita, quae inter id hominum genus discrepantia, vt prorsus ignorasse, ita sectam recentem despexisse videntur. At enim vero CLEMENS V. quum in Concilio, Viennae A. MCCCXI. coacto, ex Germaniae episcopis, aut horum legatis, de illo hominum vtriusque sexus globo, eorum vitae ratione, moribus, placitis et opinionibus admodum ingrata acce-

*) Io. Mich. Heineccii Antiquitt. Goslar. l. III. p. 289.

**) Annales, oder gründl. Beschreibung der fürnemsten Geschichten und Thaten, welche sich in ganzer Helvetia u. s. w. verlauffen, oder Beschreibung Nüchtländischer Geschichte, durch Michael Stettlern.

accepisset, talem ciuitatis Christianae pestem non diutius ferendam, sed, vt primum fieri posset, sanandam, quin exstinguendam ratus, Bullam, quae vocatur, longe seuerissimam eo ipso tempore scripsit *), eaque totum agmen, haereseos nomine suspectum, reprobauit, et opprimi iussit. Verum edicto isthoc vixdum conscripto, et cum singulis consilii sacri adsessoribus communicato, in his haud dubie fuerunt nonnulli, qui *Beguinas* omnino omnes, nulla discriminis ratione habita, reprobari nollent; satis persuasi, in eis esse non paucas vere pias, honestas, errore grauiori liberas, et ciuitatibus, quasque suis, ad res plurimas perutiles: adeoque non esse, cur tam male audirent, atque ab iniquis aduersariis vexarentur. Atque haud scio, an iidem humaniores iudices legislatorem ac censorem iusto calidiorem, veriora de mulierculis illis edocuerint, et adduxerint. vt sententiam edicto priori latam, altero nonnihil leniret, ac *Beguinas*, probas ab improbis, pias et honestas ab impiis et turpibus, recte secernere; illas indulgenter haberi, has premendo exstingui iuberet. Huiusmodi edictum, reor, itidem consilio illo sacro super caussis religiosis adhuc deliberante et decernente, conscribi curauit. Ac posterius quidem **), exorsus a verbis: *Quum de mulieribus quibusdam*, cet. callido sane consilio ita concinnauit, vt priori nihil derogare videretur. Repetiuit enim fere omnia, quae ipsis crimini data, legem illam, quantumuis duram, veluti maxime necessariam extorserant; extremae saltem subiunxit appendiculam, feminis istis propitiam: *Sane per praedicta prohibere nequaquam intendimus, quin si fuerint fideles aliquae mulieres, quae, promissa continentia, vel etiam non promissa, honeste in suis conuersantes hospitiis, poenitentiam agere voluerint, et virtutum Domino in humilitatis spiritu deseruire, hoc eisdem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit.* Patrocinatur

*) Append. post. N. III. **) Ibid. N. IIII.

natur igitur, quod lector quisque videt, piis et honestis *Beguinabus;* ita tamen, vt quaesitor quisque religiosus, calumniando, facile locum inueniret, eius vim eludendi, et mulieres, quas tutari debuit, misere vexandi. Etenim fidei censor quisque, quo durior, quo cupidior fuit, ideoque callidior et seuerior legis interpres; eo facilius ex eiusmodi mulierculis simplicibus, per quaestiunculas male ambiguas, astutas, perplexasque nonnihil elicere potuit, quod religionis placitis repugnans, adeoque castigatione dignum pronuntiaret. Legum interim Clementinarum neutra vno eodemque tempore et scripta fuit, et vbique locorum promulgata. Effici hoc cogique potest, MOSHEMIO τοῦ πάνυ saltem iudice, ex silentio IOANNIS de OCHSENSTAIN, qui ab eodem Clemente, ex Aichstadiensi episcopo, Argentoratensis creatus, in edicto grauissimo, A. MCCCXVII. aduersus *Beghardos* et *Beguinas* edito, legum earum ne verbo quidem meminisse reperitur; etiamsi eas tangendi caussam non vnam haberet. Vtramque demum ab ipsius successore, Ioanne XXII. in Clementinis diuulgatam esse constat; eoque facto, non leues exortos esse motus, qui ad *Beguinas* et *Beghardos* indagandos, compescendos, exstinguendos spectarent. De turbis inde natis vehementer grauiterque conquestus est IO. Vitoduranus *), qui eas sane quam graphice depinxit. *Ioannes XXII.* inquit, *contra prohibitionem sui praedecessoris, VII. Decretalium publicauit, propter quod tanta pericula, scandala — — — in Theutonia ebulliebant — — — specialiter per vnam Constitutionem libri VII. incipientem:* CVM DE QVIBVSDAM MVLIERIBVS *etc. Qua diuulgata et pessime intellecta, et pertinaciter mendaciterque in cancellis per vniuersam Alamaniam pronuntiata, innumerabilia corda Sororum tertii S. Francisci Ordinis, et etiam aliarum multarum fuerunt grauissime*

*) Chronici in Thes. Scriptor. Heluet. editi, p. 24.

vissime fauciata. Nam deposito habitu religioso, oportebat eas induere secularem. Multae enim in domibus propriis vel parentum, et XL. et vltra annis, griseis nigris bel albis, Domino in castitate et aliis virtutibus, et bonis operationibus famulabantur vestibus, et cogebantur per Parochianos suos sibi assumere vestimenta rubea, vel crocia, viridia et blauia, cet. Nam constitutio, de qua iam est mentio, non loquitur, nec intendit — — — nisi de BEGINIS, *quae nulli promittunt obedientiam*, cet. Auctorem, cuius verba hic attuli, *Beguinarum* calamitates et vexationes, ex diuulgatis Clementinis profectas, vero plus non exaggerasse, perquam facile largietur is, qui, quam caeco legibus pontificiis obtemperandi studio, plerosque tum homines, in primis ordinibus sacris initiatos, et quaesitores religiosos, quasi actos fuisse non ignorat. Ac de iis omnibus haud dubie actum fuisset, nisi hic, illic, velut asyla essent patefacta per viros aeque humanos, ac potestate plurimum pollentes, vt eo perfugere possent.

Aduersus illam mortalium classem, arma in primis mouit Argentinensis ille, quem ante dixi, Episcopus: qui quos eo in bello progressus fecerit, et quibus litteris singulos per agrum suum religionis curatores atque iudices, quin vel Wormatiensem Episcopum, ad simile bellandi studium cohortatus sit, MOSHEMIVS eruditissimus supra explicate narrauit *). Et initio quidem *Beguinabus* quodammodo pepercisse videtur: postea vero eis omnibus, sine delectu et discrimine, bellum indixisse, tradita sibi lege Clementina, qua Concilium Viennense, auctore Pontifice, *Beguinarum* vitam et statum prorsus reprobarat, et interdixerat. Habuit Commentarii antecedentis auctor Celeber. codicem MSC. quo belli illius ratio et exitus copiose narrabatur; ideoque totam expeditionem, conuenienti loco, plenius persequi apud

*) Cap. III. §. XI. sq.

apud animum constituerat. Sed vt is, morte occupatus, quod volebat, exsequi non potuit, ita ego, eiusmodi monumento destitutus, de rebus ea occasione gestis, distincte et abundanter exponere haudquaquam possum. Ne tamen prorsus immunis ad hunc locum venisse, et inde abiisse iudicer, quae pauca per monumenta licet, breuiter strictimque narrabo. Nimirum quo tempore Argentinensis Episcopus *Beguinas* sine discrimine omnes, pariter ac *Beghardos*, duro consilii Viennensis, et Clementis decreto improbatos et condemnatos, cum ipse vexabat, tum per alios premi volebat: eo huius successor, Ioannes XXII. sua sponte promulgauit edictum aliud, contra *Fraticellos*, seu *Fratres de paupere vita*, *Bizochos*, siue *Beghinos* *), idque secundo dignitatis Pontificiae anno, h. e. MCCCXVIII. Eo quamquam mares quauis via et ratione indagari, et exstingui iussit; feminarum tamen, h. e. *Beguinarum*, ne mentionem quidem iniecit, neque adeo eas misere vexatas voluit. Accedit, quod isthoc edictum maxime pertinuit ad *Fraticellos*, Italiam finitimasque prouincias turbantes. Verum Germaniae Episcopi, iudicesque et quaesitores religiosi nihilosecius eo, veluti telo, simile hominum genus inuadere potuerunt. Id quod, inter alios, fecit PETRVS, Moguntinus Antistes, qui vna cum Synodi, A. MCCCXVIII. coactae, adsessoribus hanc legem sanxit: *Item exequendo Constitutionem publice nuper editam, sub poena excommunicationis in eadem Constitutione prolatae, praecipimus firmiter et mandamus, ne aliqua pro* BEGINA *se de cetero teneat, statu, habitu, re vel nomine, aut alio quouis modo, et ne aliquis hominum ipsas foueat in statu vel habitu* BEGINARVM. Quibus verbis subiungit, cui ea debemus, HARZHEMIVS **), hoc decretum superiori (a. MCCCX. per similem synodum

*) Append. post. N. V.

**) Concil. Germ. Tom. IIII. p. 174. ff.

n Moguntinam scripto), longe seuerius, haud dubie
:itum esse propterea, quod Clemens V. in Concilio
nnensi, et Ioannes XXII. promulgatis iam Clementi-
, *Beguinas* non amplius tolerandas esse censuissent,
: perperam iudicasse mihi quidem videtur. Interim
e eiusdem Ioannis epistolae liquido demonstrant, Ar-
tinensem Antistitem, quem paullo ante dixi, habita
ıi in captas *Beguinas* quaestione, didicisse, eas omnes
dquaquam esse vnius eiusdemque generis homines:
quas aliae imbibissent ac tuerentur opiniones temera-
et peruersas, ab his alias maxime alienas esse, eas-
ıque recte et vere detestari: reliquam quoque vitam
rum esse turpem et sceleſtam, aliarum contra hone-
ı, commendatione dignam, et reip. fructuosam. Hoc
llecto, Pontifex Max. eo ipso, reor, adhuc anno, quo
m *Fraticellis*, siue *Beghinis* Italicis aduersam et per-
ıem rogauerat, aliam sciuit, *Beguinabus* honestis et
gris valde gratam et salutarem: quippe qua feminas,
ıs quidem eiusdemque nominis, sed admodum di-
i vitae generis et instituti, recte et prudenter feceri-
:, improbas saltem et audaces, de sanctioribus reli-
ıis placitis temere et dementer disputare suetas, ad-
li, opprimere et exstinguere; probas contra, hone-
et religionis castae amantes tueri ac fouere iussit, ita
en, vt sacrorum publicorum administros simul mo-
t, viderent, ne posteriores, per se commendabiles
ıdulgentia dignae, priorum foedis erroribus et placi-
rreligiosis deceptae, a vero abducerentur. Legem
:, in aliis, profero integram *), vt a lectoribus, si-
um rerum amantibus, animo expendi, et litis illius
ı plenius cognosci possit. Sed vt simul palam fiat,
tificem Max. non nisi Ioannis, Episcopi Argentinen-
epistola, super manifesto *Beguinarum* discrimine
ta, adductum fuisse, vt edictum hoc recentius scribe-
ret,

*) Append. post. N. VI.

ret, non possum eius responsionem ad huius litteras non proferre, in hac caussa maxime necessariam *). Ea enim continentur varia, quorum caussa optabile esset, vt Antistitis, quem dixi, litteras itidem haberemus. Offendi quidem, in Cod. MSC. Helmstadiensi, episcopi, vt videtur, ἀνωνύμȣ epistolam apologeticam pro *Beghardis* et *Beguinabus* ad Pontificem Max. nescio quem, scriptam: haec vero, loco suo proferenda, neque a Ioanne Argentoratensi, neque ad Ioannem XXII. missa esse potest, quoniam de *Beghardis* non minus, quam de *Beguinabus* disserit, et vtrosque vehementer commendat. Accedit, quod ei verba quaedam, posthac indicanda, subscripta reperio, quae locum, quo scripta sunt, Romae fuisse testantur. Iam vero summus hic sacrorum Antistes, quod inter omnes constat, non Romae, sed Avenione, commoratus est: igitur etiam non ex ea, sed ex hac saltem vrbe, ad ἀνωνύμȣ epistolam *rescribere*, et postulatum concedere potuerit, si haec reapse ad eum missa fuisset. Hanc ipsam rem alio loco iterum attingam, necesse est. Interim recentius hoc Ioannis XXII. edictum, et id, quod ad Argentinensem Praesulem rescripserat, vt *Beguinabus* honestis et religiosis non parum praesidii et securitatis attulit, ita contra fidei censoribus plurimum difficultatis in quaestione super eiusmodi mulieribus habenda. Nam quaesitor quisque religiosus, si quidem aequior esset et honestior, facile falli poterat talium feminarum verbis et specie; callidarum quidem et astutarum simulata pietate et religione, dictorumque lenociniis, vt ipsas iudicaret esse probas, commendabiles, et propter Summi Antistitis sententiam, metuendas; simplicium contra et piarum, sed non satis disertarum atque versipellium verbulo quocunque non exquisito, sed ambiguo, quod erroris speciem prodere videretur, ut ipsas vexandas, et flammis alioue supplicio tollendas censeret:

*) Append. post. N. VII.

: ſin minus aequus et humanus, per quaeſtiunculas
tas et captioſas, ex ſimplicioribus quidem ac minus
ıentibus ſubdolisque, quamquam per ſe honeſtiſſimis,
quam, quod animaduerſione, quin ſupplicio dignum
aret, elicere potuit; quum contra ſagaces aſtutaeque
ſtiuncularum et technarum vim viderent, aliisque
us eluderent. Verbo, quam facillime fieri potuit,
factum eſt ſaepenumero, vt, contra eiusmodi le-
multo vehementius in pias, honeſtas et inſontes,
ı in improbas et noxias, ſed callidas aſtutasque, ſae-
ur. Quod, vt erat iniquum et prorſus inhumanum,
rgentinenſem epiſcopum, iudicem alioqui ſatis ſe-
n, perpuliſſe videtur, vt ſcripta, quam dixi, epi-
, Ioannem XXII. de huiusmodi iniuſtitia certiorem
et, tantique mali medicinam poſceret. Idque, reor,
ı magis faciundum credidit, quanto maiorem in
eſi ſua et finitimis reperiri audierat talium mulier-
um copiam, quae ad *poenitentes*, vel *liberi Spiri-*
aut *voluntariae paupertatis Sorores* haudquaquam
ıerent, ſed pietatis ſtudio, honeſtis moribus, caſti-
perpetuaque continentia commendabiles eſſent. Ha-
multitudinem acceperat *quaſi ducentorum milium*
rum excedere: idque Pontifici Max. ſignificarat,
ıs, ne, ſi ſingularum viuendi ratio morte expiare-
earum pleraeque iniuria vexarentur, et haud exigua
ris humani clades contraheretur. Quam propter
ım Antiſtes Summus *Beguinas* omnino omnes,
diſcriminis ratione habita, vetuit quidem vexari,
tque, vt piis, honeſtis et continentiae ſtudioſis par-
ıt, nec niſi in *liberi Spiritus* et *voluntariae pauper-*
Sorores animaduerterent quaeſitores et iudices reli-
. Sed haec cautio multo facilius ſcribi, ſuppeditari
ımmendari potuit, quam in ſingulis explorandis et
licandis, quod iam monui, recte et, vt fas erat, ad-
i. Vnde credibile eſt, Ioannis conſilium ad Ar-
nenſem Epiſcopum perſcriptum, non minus, quam

edictum ea opportunitate promulgatum, si non prorsus irritum et infructuosum, certe quidem valde anceps fuisse, et quaesitores ac censores religiosos vtrumque ingenio et sensui, quemque suo, conuenienter interpretatos et exsequutos esse, neque adeo singulas *Beguinas*, in ius vocatas, pro merito tractasse. Sed praeter id, quod MOSHEMIVS ἐ πάνυ narrauit, et coniecturam hic expositam, nihil certi habeo, quod de *Beghardorum* et *Beguinarum*, eo tempore in Germania degentium, satis memorare possim. Augebant eam, quam dixi, difficultatem, ex ambiguitate legum Pontificiarum profectam, concertationes graues pariter et pertinaces, inter Ioannem XXII. et Ludouicum Bauarum, Imperatorem; quibus factum est, vt, quos alter impugnatos ac prorsus exstinctos cupiebat *Franciscanos rebelles*, *Fraticellos*, seu *Beghinos* vtriusque sexus, alter in Germaniam, velut asylum, perfugientes, reciperet, atque tam in patria, quam in Italia, quauis via et ratione tueretur. Quo praesidio freti et defensi, pedetentim, mirum, quantum aucti sunt. Etenim quamquam erant Antistites, censoresque fidei ac quaesitores, Pontifici Max. tam obstricti et obnoxii, vt homines ab eo reprobatos et diris deuotos, legibus conuenienter indagare, in eorum opiniones et placita curiosius anquirere, et erroribus contaminatos poenis afficere percuperent; vt, hic ipse Argentinensis episcopus, atque HENRICVS, Coloniensis antistes, de quo vterque MOSHEMIVS satis disputauit: tamen omni hoc animi ardore parum profecerunt, tum quod *Beghini*, vbi socios hoc in agro conquiri et vexari audiebant, in alium profugi, aliquamdiu laterent, tum quod in ipsis iudicibus, quibus demandabatur similis quaestio, non raro erant, qui vel iisdem, quos supprimere iussi erant, erroribus infecti, sodales clandestinos non vexarent, sed potius leniter et indulgenter tractarent, vel Imperatori, patrono eorum non contemnendo, gratificaturi, prouinciam sibi traditam satis negligenter administrarent. Verba,

bo, Ludouico Bauaro, imperante, *Beghini* per Germaniam sparsi dies agebant quasi halcyonios, etiamsi tot sacrorum antistites, vt WALRAMVS, Henrici Coloniensis successor, alii, legibus iteratis eos opprimi et exterminari iuberent. Praeter edicta alia, quae pleraque in appendice posteriori exstant, Ioannes XXII. Pont. Max. legem adhuc ineditam sanxisse fertur, de qua MOSHEMIVS nonnihil scripsit *). Omnem equidem impendi operam, vt eam e tenebris protractam, tandem in lucem edere possem. Nequicquam. Etenim eam ne Romae quidem reperiri, docuit me per epistolam Celeb. atque Eruditissimus Caietanus Marini, vir politissimus mihique amicissimus, qui, qua est humanitate incredibili, complures et aliorum, et huius ipsius Pontificis epistolas et bullas, ad hunc locum pertinentes, haud grauate describi curauit, et mecum communicauit. Euolui *Magnum Bullarium Romanum*, Luxemburgi A. MDCCXXXXII. vulgatum: frustra: ne hic quidem, quod quaerebatur, offendi. In hoc exstat quidem **) huius Pontificis lex, inscripta: *Damnatio sectae Bizochorum, Beguinorum, Fraticellorum, Pseudofratrum S. Francisci de Assisio;* non vero, quod MOSHEMIVS docet: *Contra singularia dubia, suspecta et temeraria, quae Beguardi et Beguinae praedicant et obseruant;* tum ea incipit: *Gloriosam ecclesiam, non habentem maculam*, cet. non autem sic: *In agro Dominico* cet. ac denique A. MCCCXVIII. non MCCCXXX. promulgata est. Nihil itaque de hac lege cum lectoribus communicare possum. Et mirum profecto est, eam, si reuera fuit sancita, hodie nullibi locorum reperiri. Verum enim vero per tot et tam grauia edicta, quot tum sacrorum Antistites contra *Beghardos* et *Beguinas* condiderant, fieri non potuit, vt Germania, donec imperator, quem supra dixi, in viuis erat, tali hominum genere

*) Commentar. Cap. III. §. XVII. **) Tom. I. p. 193. ss.

prorſus liberaretur. Mulieres in primis, pietatis et integritatis ſpecie, officioſa erga alios, maxime quidem morbis affectos, peregrinos hoſpitio carentes, cet. voluntate, inuiſendo, conſolando, fouendo, pleroſque ciuitatum magiſtratus aeque, ac ciues, ita ceperunt, vt eas ſedem in moenibus ſuis figere paterentur, variiſque beneficiis cumularent. Praeter oppida alia, in quibus eiusmodi *Beguinas* honeſtas et commendabiles fuiſſe, vel MOSHEMIVS demonſtrauit, vel aliunde conſtat, Muihlhuſam quoque earum complures aluiſſe docuit BENIAM. CHRISTOPH. GRASHOFIVS *), vir conſultiſſimus et doctiſſimus, qui dicta monimentis ex oppidi Annalibus et tabulario publico depromtis, confirmauit. Ibi ex litteris Syffridi, Scholaſtici eccleſiae S. Seueri Erfordienſis, iudicis per Thuringiam generalis, RICHARDIS, *Bekina*, domus et conuentus *Beguinarum* in parochia S. Pauli, oppidi Erfordienſis, conditrix eo potiſſimum nomine laudatur, quod *Beguinarum*, quotquot in aedibus, quas dixi, morabantur, omnium voluntate ac conſenſu, iſthanc vna cum ſingulis iuribus, et quicquid ad eam pertineret (*pertinentias* vulgo appellant) dediſſet pure ac ſimpliciter Magiſtro Eſchenewege, protonotario Archiepiſcopi Moguntini, nomine dicti Domini Moguntini. Poſt alia, quae idem ſcriptor de *Beguinarum* diſcrimine ex Ioannis XXII. P. M. Extravag adfert a re noſtra aliena, Muihlhuſae varios *Beguinarum* honeſtarum conuentus fuiſſe ſcribit; qui vetuſtis in chartis memorari teſtatur *Beguinas de parentela Dominae Margarethae*, idque in documento Conuentus Praedicatorum, A. MCCCVII. ſcripto; tum in alio, A. MCCCLVIIII. confecto, duo conuentus ſimiles (cuiusmodi aedes *Beguinagia* vocitabant) videlicet apud Omnes San-

*) Commentat. de Originibus atque antiquitatibus Muhlhuſae, monimentis adhuc ineditis illuſtrata, Lipſ. et Gerlic. 1749. form. 4. p. 68. ſſ.

Sanctos, et apud S. Iacobum. Quid tam his aedificiis, quam ipsis *Beguinabus Muihlhusanis*, aliquamdiu post acciderit, deinceps exponere placet. Erunt fortasse, qui scire cupiant, num *Beghardi* quoque in hoc oppidum, velut asylum, abierint? Sed nihil certi habeo, quod aut asseuerare, aut negare queam, auctore, quem indicaui, de maribus tacente: quod eius silentium satis, opinor, demonstrat, tales eo non accessisse. Venerunt autem Magdeburgum, Erfordiam, Constantiam, quod ὁ πάνυ MOSHEMIVS iam docuit, qui et *Beghinorum* vtriusque sexus, his in oppidis indagatorum, fata exposuit. Eius cum narratione de *Beghardis* Constantiensibus comparari merentur, quae de eisdem scripsit IO. CONRAD. FVESSLINVS *). Quamquam autem horum duumuirûm in sententiam alioqui lubens abire soleo: est tamen, cur ab eis nonnihil dissentiam. Nimirum ille *Beghinorum*, vtriusque sexus, agmen suspicatur, medio fere saeculo quartodecimo, in agro Constantiensi, et in Heluetia, nouum et inauditum fuisse, ideoque ibi amicos et fautores habuisse vel plane nullos, vel admodum paucos: quam suspicionem tantum abest, vt hic refellat, vt potius itidem contendat, eiusmodi homines, feminas in primis, non nisi ineunte saeculo decimo quinto, in Heluetiam penetrasse, et varias ibi turbas, Bernae potissimum et Basileae, concitasse **). Quod equidem non prorsus verum certumque esse arbitror, si quae de *Beguinagio* Bernensi, propter obsidionis furorem, intra oppidi moenia aedificato, supra sunt exposita, fidem merentur. Sed rem curiose indagare, et quasi ad viuum resecare, iam non placet: reuertamur potius ad sectae, de qua quaeritur, in Germania latius serpentis,

 fata

*) Neue und unpartheyische Kirchen- und Ketzergeschichte der mittlern Zeit. Theil II. Abschn. IIII. Cap. I. S. 20. ff.

**) Am angef. O. Cap. II. S. 39. ff.

fata memoranda. Nimirum dum antiſtites varii, vt Moguntini, Colonienſes maxime, Treuirenſes, Argentoratenſes, Magdeburgenſes, alii, eius adſeclas, nulla ſexus ratione habita, vehementer premebant vexabantque; calamo eos, veluti telo, adgreſſus eſt CONRADVS de MONTE PVELLARVM, et ſingularem aduerſus eos librum conſcripſit: de quo quae ſcitu neceſſaria ſunt, legi poſſunt in commentario Moshemiano. Eius Conradi querela de *Beghardis* et *Beguinabus*, incredibile, quantum, adauctis, ſi cui intempeſtiua, abſona, modumque omnem excedens videatur, is animo ſaltem expendat, primo, ipſum vixiſſe Ratisbonae, et eo quidem tempore, quo *tertii Ordinis Franciſcani*, adeoque *Beghardi* et *Beguinae*, eorum quaſi ſatellites, vel potius ſocii, alio ſaltem nomine nuncupati, per Ioannis XXII. et leges, et clientes vexati, vndique ad Ludouici Bauari, imperatoris, prouincias, Ratisbonam *quaſi* cingentes, confugerunt; tum vero meminerit, *Antiſtitem* Argentinenſem per epiſtolam eidem Pontifici Max. quod huius reſponſio docet, ſignificaſſe, ſimilium hominum, in ſua ſaltem dioeceſi viuentium, globum adeo accreviſſe, vt *ducentorum millium numerum exſudat*. Quorum agmen ſi tantum fuit in prouincia, cuius ſacris procurandis tuendisque praeerat ipſorum hoſtis aeque grauis, ac Pontifex Maximus: quantum id fuiſſe ſuſpiceris in prouinciis Imperatoris multo patentioribus, cui ipſos, vt aegre faceret Pontifici, hoſpitio excipere, tueri, nulla non ratione adiuuare et defendere, decretum fuiſſe conſtat? Igitur CONRADI querela vt non iniuſta, nec iuſto vehementior, ita parum efficax et fructuoſa videtur fuiſſe, dum Ludouicus in viuis eſſet, et in conſilio, eiusmodi homines fouendi, perſtaret. Fuerunt quidem in Germaniae prouinciis nonnulli ſacrorum antiſtites, qui eos premere, et tollere inchoarent, vel viuo adhuc, quem dixi, imperatore. Vexationum exempla memo-

riae prodidit IO. MICH. HEINECCIVS *) ad A. MCCXXXVI. et sequentem, his quidem verbis: *Dici non potest, quanta seueritate in Saxonia nostra* (sc. inferiore) *in eos saeuitum sit, quibus haereticorum nomen Clerus impegerat. Magdeburgi prodibant aliquot mulieres communem saeculi superstitionem aspernantes. Has* BEGVINAS DE ALTO SPIRITV, *nomine satis barbaro appellabant, custodiaeque mancipatas non patiebantur in liberam auram prodire, donec, dimissis erroribus suis, cum vulgo se in posterum sentire velle promitterent. At multo crudelius consultum in ciues quosdam Angermundanos,* LVCIFERIANORVM *nomine* **) *infames. Missi illuc Fr. Iordanus, haereticae prauitatis inquisitor, Fr. Nicolaus, Gardianus Fratrum Minorum Berolinensium, et Magister Vinearum praepositus Sehusanus, qui conuocatis reis, et ad purgationem Catholicam compulsis, XIIII. vtriusque sexus homines in purgatorio deficientes, viuicomburio excruciandos statuerunt. Quae feralis sententia Erphordiae quoque in quendam Constantinum,* BEGARDICAE *haereseos postulatum, ab eodem Iordano pronunciata est.* Quibus perlectis, nemo non videat, necesse est, Ludouici, Imperatoris, auctoritatem efficere haudquaquam potuisse, vt *Beghardi* et *Beguinae*, per omnem Germa-

 niam,

*) Antiquitatt. Goslar. L. IV. p. 340.

**) Hoc nomen, vel potius conuicium, non fuit nouum, sed superiori iam saeculo vsurpatum de hominibus, super placitis quibusdam a sententia recepta dissentientibus. Eorum caussa agitata est in Concilio Moguntino, A. MCCXXXIII. coacto. Vltra Coloniam fuisse fertur quaedam synagoga talium hominum, in qua responsa dederit imago *Luciferi:* et nomen, quod diximus, inde fluxisse. Plura de toto hoc negotio qui scire cupit, is adeat Hartzheimii Concil. Germ. Tom. III. p. 542. sq. Nomen abominandum a superstitiosis sacrorum administris huic hominum globo impositum, imposuit haud dubie multis adeo, vt eos, vel caussa indicta, detestarentur, et exstirpatos vellent.

niam, tuti et ab omni vexationis metu securi versarentur, et institutis suis conuenienter viuerent. Plurimum momenti ad eos vel indulgentius, vel durius tractandos habuisse videntur diuersus animus, et diuersa studia cuiusque eorum, qui sacris prouinciarum singularum praeerant, vel tanquam fidei censores ac iudices in eis renuntiati erant. Qui enim ab Imperatoris stabant partibus, ii sexus vtriusque *Beghinos*, quantum licebat, indulgenter habuere: quibus contra Pontificis beniuolentia erat potior, hi eos nulla non via et ratione premere, atque opprimere contenderunt. Interim omne horum studium sectae tam perniciosae prorsus exscindendae adeo nihil efficere potuit, vt eam, aliquamdiu oppressam, breui post, alio loco rursus emergere viderent. Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin id genus homines, si non prospero et optato, certe tamen satis placido rerum suarum cursu fruerentur. Verum laetior hic eorum status mutari, Carolo IV. ad dignitatem imperatoriam euecto. Hic enim, vt summum, quem dixi, magistratum, Pontificis Max. fauore et commendatione potissimum consequutus erat, ita etiam ipsius votis studiisque, et ecclesiae, cuius nomen, commoda et incolumitas, nunquam non satis speciose praeferuntur, obsecundare voluit, nec grauate fieri passus est, vt Innocentius VI. pontificio diademate vixdum ornatus, fidei censores et quaesitores in Germania aduersus eiusmodi homines crearet, qui singulos haereseos labe notatos indagarent, caperent, contumaces necarent. Quid? quod Imperator plebeculam misellam per eiusmodi homines non tantum impune vexari sinebat, sed hos etiam, vt id libere ac veluti iure quodam suo possent facere, legibus et armis tuebatur. Huiusmodi quaesitorum, siue censorum, qui omnium primus fuerit, ex RAYNALDO docet ὁ πάνυ MOSHEMIVS *): qui simul testatur, eius

*) Cap. IIII. §. 24. p. 324.

vius in Annalibus Ecclesiasticis exstare Pontificis, quem dixi, epistolam ad Imperii Germanici proceres eo consilio scriptam, vt hominem hoc in negotio exsequendo nequaquam impedirent, sed potius quauis via et ratione non adiuuare nollent. Quas litteras, a MOSHEMIO non transscriptas, suo loco integras adferre placet *), vt inde intelligatur, quo ille dicendi genere tot viris populi Germanici primariis summisque principibus voluntatem vel verius mandata sua significare ausus sit. Neque tamen Innocentius, MOSHEMIO saltem iudice, quod sequebatur, assequutus videtur imperiosa hac commendatione quaesitoris religiosi, in Germaniam missi. Censurae enim et quaestionis suae fructum, rerum eo tempore gestarum scriptores commemorant nullum: et, quos vel *Beghardos*, vel alios similis faecis homines, in ius vocatos scribunt, eos errorum suspectos, quaestione habita, pro rei ratione castigarunt antistites nonnulli, satis promti ad iussa Pontificis exsequenda, et ad promerendam eius prolixam voluntatem. BERTHOLDI, Spirae A. MCCCLVI. combusti, fata id, quod affirmo, plane demonstrant. Anno post, GVILIELMVS, Coloniensis antistes, legem aduersus *Beggardos* et *Beguinas*, quas *Schwestriones* appellat, valde seueram sciuit, a MOSHEMIO prolatam: qui simul ex hoc, quod post ea tempora, successorum nullus similem edidisse legem reperitur, sequi iudicat, sectam, de qua quaeritur, ab eo tempore sensim defecisse in agro Coloniensi. Singulares GVILIELMI huius tali in negotio progressus, et singula tum instituta, tum consilia, ad id exsequendum capta, per monumentorum penuriam enarrare non licet: ac si secta haec tum vere desiit pedetentim et quasi exspirauit, perquam credibile est, similium hominum alios Antistitis, quem dixi, mansuetudine et clementia captos, ad mentem saniorem rediisse, et *Tertiariis*

*) Append. post. N. XV.

tiariis Ordinis S. Francisci ſeſe adſcribi paſſos, tranquille et legibus Pontificum conuenienter viuere inchoaſſe; alios, metu quaeſitoris illius religioſi, qui breui poſt auctoritate tum Pontificis Max., tum Caroli, Imperatoris munitus, in ſcenam prodiit, et acceptam prouinciam non ſine ſaeuitia et multorum tormentis ac caede adminiſtrauit, errores ſuos, ſpecie quidem eiuraſſe, re autem callide occultaſſe, ne ad inhumanum fidei cenſorem delati, miſere vexarentur; alios denique, ſi commode poſſent, in loca alia et tutiora fugiſſe. Sed haec vtcunque aut ſint, aut exiſtimentur, vere tamen affirmari poteſt, *Beghardos* et *Beguinas*, Carolo IIII. imperante, pluribus in prouinciis vehementer premi coeptos. Illos impugnatos voluit, per quaeſitorem cum ſocio miſſum, IOANNES Luxemburgicus, antiſtes Argentinenſis. Is erat HENRICVS de AGRO, ex Dominicana familia, videre iuſſus, ne Moguntina, Bambergenſis et Baſileenſis prouinciae, et ſacra ibi ſtabilita, detrimenti quidquam ex eo hominum globo caperent. Quo fidei cenſore, quid hac in cauſſa peractum ſit, MOSHEMIVS ſupra narrauit. Neque tamen ille, hoc opus aggreſſurus, auctoritate imperatoria munitus fuiſſe videtur. Vnde probabile fit, ipſum, quantum iuſſus eſſet, perficere haudquaquam potuiſſe. Alia via et ratione, adeoque etiam certiore effectu, hoc idem negotium ſuſceperunt WALTHERVS KERLINGER et LVDOVICVS de CALIGA, duo quaeſitores religioſi, ab VRBANO V. Pont. Max. creati, et Germaniae proceribus omnibus maximopere commendati: quin, Imperatoris voluntate et iuſſu, tanta poteſtate inſtructi, vt maxime metuendi eſſent cuique, vel tantillum ab eccleſiae Rom. placitis diſſidenti. Qua poteſtate aduerſus *Beghardos* et *Beguinas*, probos, improbos, honeſtos, turpes, ita vſi, ne dicam abuſi, memorantur, vt eius aetatis ſcriptores, quod MOSHEMIVS iam obſeruauit, illorum diligentiae, curae et ſagacitati laetiſſimum huius negotii exordium

ordium et successum tribuere, eosque hoc nomine, laudibus efferre soleant. Eorum prior tamen miles praecipue strenuus, victoriaeque appetentior, collegam sibi datum fortitudine et constantia, versutia et tyrannide longe superauit, ideoque belli confecti gloriam paene solus adsequutus est. Quod pluribus demonstrauit Commentarii antegressi auctor praestantissimus *). Seueritatis, ne dicam saeuitiae, speciminibus, ab ipso editis, et ab hoc memoratis, vnum atque alterum adnectere placet. Muihlhusam, oppidum non ignobile, circa A. MCCCLVIIII. varia *Beguinagia* habuisse, supra demonstratum est. Sed anno decimo post, *Beguinae*, quotquot in eis, instituto suo conuenienter, tranquille honesteque viuebant, fortuna valde aduersa pressae sunt, et penitus oppressae: vtpote quo huc venit idem ille WALTHERVS KERLINGER, munitus GREGORII XI. Pont. Max. bulla, Caroli, imperatoris, legem de *Beguinarum* aedibus et reliquis facultatibus rogatam sanciente, bonas mulierculas ad vnam omnes, aedibus eiectas, bonis spoliauit omnibus: eoque facto, *in charta* (haec sunt verba auctoris **), quem veluti ducem sequor) *data a. 1369.* ***), *feria sexta ante Dominicam,*

qua

*) Cap. IIII. §. XXVII. ss.

**) v. GRASHOFII Commentat. de Origg. atque Antiquitt. Muhlhusae, p. 69.

***) Haec si, quod addubitare non audeo, reapse a. 1369. acciderunt, quaesitor religiosus non nisi edictum Caesareum exsequi potuit, non item Pontificium, a Gregorio XI. promulgatum. Hic enim in Vrbani V. exeunte a. 1370. fatis defuncti, locum anno demum post successit, adeoque biennio ante bulla aliqua sua edictum Carolinum sancire non potuit. At si quis eum quidquam iniussu Pontificis Max. hac in caussa egisse neget: is bulla Vrbani, hodie incognita, munitus fuerit, necesse est. Gregoriana enim, a Celeb. Grashofio prolata, ad res A. 1369. gestas, nullo modo pertinet: nisi sumas, Kerlingerum ipsam, biennio post acceptam, ad Senatum Muihlhusanum misisse, vt sese in negotio peragendo recte fecisse demonstraret.

qua cantatur: EXSVRGE, *Senatui Muhlhusano tradidit quatuor domus seu habitationes, quas Beginae conventuales, vbi appellantur, prohibitae possederant, et quae ratione officii ad Inquisitorem cum in finem deuolutae essent, vt magistratus eas in vsus pios conuertere posset.* Haec *Kerlingeri* via et ratio *Beguinas Muihlhusanas* tractandi, quamquam laudari non potest propterea, quod probas et honestas ab improbis et turpibus, recte et prudenter secernere, ac Clementis V. et Ioannis XXII. legibus conuenienter, has solas exstirpare, illas fouere noluit; tamen in illarum quaestione et castigatione non eo crudelitatis progressus esse videtur, quo eum aliis in locis abiisse constat, nimirum, vt vnam pluresue carceri perpetuo, aut flammis addiceret. Igitur credibile est, *Beguinarum Muihlhusanarum* nullam adeo aut imprudentem, aut noxiam esse visam, vt quaesitoris, hominis alioquin duri et iracundi, bilem moueret. Quem censorem, aeque seuerum ac callidum, credibile est, *aliis* etiam in oppidis, omnem adhibuisse operam, vt spartam sibi demandatam ornare iudicaretur. Verum quoniam hic solus, cum collega sibi dato, tantam *Beguinorum* vtriusque sexus vim, per omnes Germaniae prouincias sparsam, et modo hic, modo illic, quasi dominantem, explorare et exstinguere non poterat: GREGORIVS XI. Pont. Max. A. MCCCLXXII. summo familiae Dominicanae magistro praecepit, vt bellatores quinque alios, huic expeditioni idoneos, ex vniuersa, quam dixi, cohorte lectos, in locis opportunis veluti excubias agere, ecclesiaeque hostes periculosos e medio tollere iuberet. Id quod iam memorauit MOSHEMIVS *), in his rebus exponendis satis copiosus. Cuius narrationi pauca addamus, necesse est. Nimirum athletae isti, recens in arenam prodire iussi, non segnes fuisse videntur in bello isthoc continuando. Eorum enim vigilantia spar-

*) Cap. IIII. §. 32. p. 380.

ſpartaeque ornandae ſtudio effectum ferunt, vt diſciplinae *Beghardicae* ſectatores ex Magdeburgenſi et Bremenſi prouinciis, itemque ex Thuringia, Haſſia et Saxonia aufugerent, atque, vt ab eorum inſidiis et ſeueritate tutiores forent, ſeſe conferrent in prouincias, quas Rhenus alluit, tum in Hollandiam, Brabantiam ac ducatum Stetinenſem, vbi ipſorum impietas iamdudum radices egerat altiores *). Sed praeter mandatum, ſummo familiae Dominicanae magiſtro datum, Carolum, imperatorem, quoque ſollicitauit GREGORIVS, quem dixi, rogauitque, vt ipſe ſingulari quadam lege, principes, proceres, aliosque Germaniae magiſtratus iuberet fidei cenſoribus, omni, qua poſſent, via et ratione ſubvenire. Quin et ipſe litteris, quas *Apoſtolicas*, itemque encyclicas vocant, vniuerſos Archiepiſcopos, et Epiſcopos, Principes, Proceres, vrbiumque magiſtratus Germaniae, Poloniae, Sileſiae, ad ſerium et probabile religionis integritatem tuendi, *Beghardos*que exſtirpandi ſtudium cohortatus eſt. Litteras illas, apud Villam nouam Auenionenſem A. MCCCLXXII. ſcriptas, quas, Roma transmiſſas in manibus habeo, ſuo loco integras adferre placet **): argumento enim ſunt luculentiſſimo, KERLINGERVM, vna cum nouis ipſius ſociis, in exſequendo munere ſibi demandato, non ſegnem, nec negligentem fuiſſe, ſi, quod praedicatur, ſuo labore, ſtudio et vigilantia, res in prouinciis, quas epiſtola nominat, eo deducta eſt, vt *Beghardi* et *Beguinae*, ibi degentes, aut, erroribus eiuratis, ad ſacra ſtabilita redirent, aut, eis penitus perſuaſi, ſolum, quam opiniones, mutare mallent. Ceterum qua humanitate, prudentia, vel ſaeuitia, eiusmodi homines tractarint quaeſitores illi, non ſatis liquet. Rerum eo tempore geſtarum ſcriptores ſimilium iudiciorum rationem et euentum vel ignorarunt, vel de induſtria

*) Raynaldus Annal. Eccleſ. ad A. 1372. n. 34. Tom. XVI. p. 513.

**) Append. poſt. N. XVII.

ſtria praetermiſerunt. Ceterum tempeſtatis, aduerſus id hominum genus concitatae, furor non ſemper aeque vehementer ſaeuiit: calidum enim ipſius CAROLI, imperatoris, eos prorſus exſcindendi conſilium, extremis imperii annis, nonnihil remiſiſſe videtur; eo quod complures ſacrorum Antiſtites, *Beghardorum* et *Beguinarum* aſtu technisque decepti, bellum ſtrenue inchoatum, neglexerunt, ac tantum non finire iuſſerunt. Argumentum ſuppeditat alia eiusdem GREGORII XI. epiſtola, de qua commentarii auctor differit *), quamque *Beghardis* non leui praeſidio fuiſſe memorat eo ipſo tempore, quo, ne a LAMBERTO, Argentinenſi epiſcopo, non minus, quam ſorores, id eſt, *Beguinae*, vexarentur, maximopere metuebant. Idem breui poſt **) alias adfert GREGORII cuiusdam litteras, in *Beghardorum* et *Beguinarum* gratiam ſcriptas, et ad Germaniae Antiſtites miſſas: quas ipſe quidem pariter ab XI. illius nominis Pontifice datas contendit, non XII. quod HEMMERLINVS *affirmauit*; easque effeciſſe ſcribit, vt vexationis furor eo tempore nonnihil ſedaretur. In quo vt Viro Summo adſtipuler, a me impetrare nequeo. Diſſenſionis meae cauſſas alio loco exponere placet. Ab anno MCCCLXXVIII. acceſſerunt alia, quae captum de *Beghardis* et *Beguinabus* prorſus exſtirpandis conſilium, magis adhuc impedirent. Nimirum in Caroli, imperatoris, locum ſucceſſit WENCESLAVS, filius, rerum et ciuilium, et ſacrarum iuſto (ſic aiunt) negligentior: qui, nullo religionis caſte ac ſincere tuendae docendaeque ſtudio affectus, errores et peruerſas quorumcunque opiniones aequo, quin laetiſſimo, animo tuliſſe fertur, eoque potiſſimum nomine apud homines religionis, quae tum erat, amantes male audiit. Quo ingenio ſi reapſe fuit, neque ob alias potius cauſſas, quod multis videtur, ab aetatis ſuae ſcriptoribus iniquo dente laceratus, non eſt profecto, quod mire-

*) Cap. IIII. §. 34. p. 396. **) ib. §. 35. p. 401.

mireris, si filius non tantam, quantam pater, impendit curam et sollicitudinem, qua pestiferam hominum illorum faecem oppritmeret. Mors praeterea Gregorii XI. quae eodem anno euenit, vt *magni*, quod vocant, *Schismatis occidentalis* caussa, ita etiam impedimentum fuit ad sectam, de qua quaeritur, delendam. Eo enim per duos, interdum tres, Pontifices Maximos simul creatos, turbae in ciuitate sacra nec leues, et rei Christianae perniciosissimae concitatae sunt: quandoquidem eorum quisque suae potestatis auctoritatisque augendae, quam religionis tuendae atque prouehendae studiosior, sectatores vel eos non magnopere detestatus, multo minus persequutus est, quos errorum labe non prorsus liberos esse norat; quod supra iam demonstratum est. Vnde indulgenter habuit, certe quidem non vexauit alter, quos exosus e medio tolli iussit alter. Quod idem fecerunt alii Praesules sacri, prout vel ab huius, vel ab illius partibus stabant. Quotquot eorum ad Antistitem summum, *Beguinis* vtriusque sexus iniquum sese adiunxerant, hos etiam odisse et vexare solebant: quotquot contra beneuolentiam Pontificis, *Beguinis* indulgentis, aucupabantur, his itidem; si non fauerunt, certe quidem nullo modo aduersati sunt. Quo quis non videt, fieri debuisse, vt haec secta non tam facile, quam alioqui potuerit, exstirparetur; maxime quum plerique, vtriusque sexus homines, sese *sodalitio Tertii D. Francisci Ordinis* adscribi finerent, vt tanto facilius et securius laterent. Accedit, quod in Pontificum Maximorum numero fuere, qui non ita explorate perceperant et cognouerant *Beghardos* et *Beguinas*, horum placita et instituta singularia, errores non leues, communem viuendi, stipem petendi et se vestiendi rationem, ingens tandem proborum atque improborum discrimen, vt ipsi per se videre, ac recte vereque de iis statuere possent. Ipsorum enim sententia pendebat omnis ex eis, quae ex Germaniae prouinciis, modo ab hoc illoue sacrorum Antistite, modo a fidei censori-

bus ad ipſos perſcripta fuerant, vel alia via et ratione percrebuerant. Vnde idem ille Antiſtes Summus, breui temporis interuallo, ſaepenumero leges in *Beghardorum* vel *Beguinarum* cauſſa, promulgauit longe diuerſas et inter ſe diſſidentes: alia enim eos, feminas potiſſimum, tuendos ac fouendos cenſuit, alia prorſus exterminari iuſſit. Luculentum huius rei documentum habemus in BONIFACII VIIII. Pont. Max. epiſtolis, quas MOSHEMIVM τὸν πάνυ ignoraſſe, ſaltem non tetigiſſe video. Earum vnam ſcripſit ad Germaniae, Brabantiae, Flandriae Antiſtites ſacros, eosque cohortatur, vt *perſonas pauperes vtriusque ſexus, diuiſim, viros ſcilicet coniunctim in ſuis, et mulieres etiam coniunctim in domibus ſuis, absque mutua ipſorum conuerſatione commorantes* cet. moleſtiis et vexationibus affici ne ſinant, ſed tueantur potius et foueant. Quam legem Pontificiam A. MCCCLXXXXV. ſcriptam, ALBERTVS, Magdeburgenſis Archiepiſcopus, omni, quam res poſtulabat, cura exploratam, inſequenti anno confirmauit, et prouinciae ſuae homines, ad quos in primis pertinebat, recte et ſtudioſe obſeruare iuſſit. Vtriusque ἀπόγραφον alio loco reperitur *). Ex lege, quam dixi, pontificia, lector quisque prudens et ingenioſus non poteſt non intelligere, fuiſſe virum aliquem non infimum, nec contemnendum, qui *Beguinis* vtriusque ſexus bene cupiens, et ſine dubio miſeratione erga eos, indigne, idque iniuria, cruciatos, adductus, per litteras ſupplices ad Pontificem Max. ſcriptas, eorum cauſſam egerit, effeceritque, vt legem, eiusmodi hominibus aequam et benignam, promulgaret. Vir ille qui fuerit, ignoratur: litterae ſupplices, quas legis ſciſcendae cauſſam fuiſſe puto, in manus meas peruenerunt: has igitur itidem iuſto loco in lucem exire iubeo **), vt lector quisque tam patroni ἀνωνύμȢ epiſtolam, quam Bonifacii legem, inter ſeſe com-

*) Append. poſter. N. XX. **) ibid. N. XXXI.

comparare, eoque facto ipse iustum coniecturae qualicunque meae, prout ei vel verisimilis, vel a vero penitus aliena esse videbitur, pretium statuere possit. Epistolae auctor ita inchoat: *In diuersis ciuitatibus et locis Alamaniae ab antiquo fuerunt, et hodie sunt nonnulle persone vtriusque sexus, que propter Deum seculum relinquentes, et insimul absque sexuum societate habitando, humilem vitam ducunt et honestam*, cet. Ad haec respiciens Pontifex Max. in lege, post exordium, rescribit ad Episcopos et alios: *Sane nuper accepimus, quod in Vestris ciuitatibus et dyocesibus atque locis existunt nonnulle persone pauperes vtriusque sexus, diuisim, viri scilicet coniunctim in suis, et mulieres etiam coniunctim in domibus suis, absque mutua ipsorum conuersatione, commorantes, que humiliter et honeste in paupertate et continentia, sub humilitatis spiritu viuunt* cet. Quorum locorum alterum alteri ita, vt ouum ouo, similem esse, quis est, qui non peruideat? nisi quod is, qui legem concinnauit, verbis enuntiauit pluribus, quod paucis dixerat epistolae auctor. Hic homines, quorum patrocinium susceperat, eo nomine commendat, quod *de more in locis eorum deuotas personas adinuenientes ad hospitia recipiant nocte, ad hoc infirmos custodiant, ac mortuos ad sepulturas deferant, ac alia exerceant, prout possint, opera caritatis, et Romane ecclesie dyocesanisque locorum ac etiam ecclesiarum parochialium rectoribus et aliis superioribus suis in omnibus obediant, et Deo, et sibi inuicem seruiendo desiderent sic in humilitatis spiritu Altissimo famulari — — praeterea — dicte persone nullis erroribus se inuoluant, nec ritum aut sectam habeant cuiuscunque religionis noue, nec alios mores obseruent illicitos seu reprobatos, aut aliud quodcunque agere seu obseruare consueuerint, quod contra sanctam Rom. ecclesiam scripturasque approbatas, seu contra fidem Catholicam existat.* Legis auctor de iisdem hominibus eadem, sed ordine inuerso, praedicat: *et ecclesias deuote fre-*

quentant, Romane ecclesie earumque Prelatis et Curatis in omnibus reuerenter obediunt, nullis erroribus se inuoluunt, neque ritus, neque modos reprobatos a iure, seu aliter illicitos aut repugnantes salutaribus preceptis, obseruant, sed pauperes et miserabiles personas, petentes, ad eorum recipiunt hospitia, et alia exercent, prout possunt, opera caritatis, infirmos scilicet visitando, et, si opus sit, in eorum infirmitatibus eos forsitan requisiti custodiendo et fouendo, ac decedentium corpora fidelium in locis, vbi degunt, rogati, ad sepulturam ecclesiasticam deferendo. Horum quoque similitudo tanta, mihi certe, videtur, praeterquam quod lex paullo verbosior est, vt locum alterum alterius verba subministrasse credam. Tum apologiae auctor ἀνώνυμος et humanus ita queritur: *tamen sepe — — pro parte ordinariorum ab Inquisitoribus heretice prauitatis — — — aliquando ab aliis personis de facto contra iusticiam in premissis et aliis multipliciter inquietantur, et eisdem contra premissa diuersa grauamina inferuntur;* simulque supplex rogat, velit Antistitibus et fidei censoribus praecipere, *vt singuli eorum, quotiens opus erit, — — — de huiusmodi personis vtriusque sexus, ibidem pro tempore commorantibus, et de ipsarum vita et conuersatione, etiam an aliquos errores — — — teneant, aut sectam aut ritum habeant, contra prohibitionem — — — aut alias in aliquibus casibus excedant, — — — diligenter inquirant, seque plenarie informent — — — culpabiles — — — corrigant et puniant — — — innocentes — — — quamdiu Sedes Apostolica de ipsis aliter non disposuerit, libere citra tamen formam et ritum religionis — — — conuersari et commorari, ac Deo laudabiliter in premissis seruire permittantur, et — — — ab aliis molestari non patiantur* cet. Bonifacius, intellecto, qua iniustitia aduersus homines innoxios hic, illic, saeuirent quaesitores religiosi, aut sacrorum Antistites, vtrosque leuiter increpat, quod, *quum personis istis auxilio*

lio in premissis esse debuissent, eas contra ius fasque vexari, et eisdem circa premissa diuersa grauamina inferri essent passi. Quibus, et paucis aliis, velut praefandi caussa, dictis, plane sic, vt epistolae auctor *ἀνώνυμος*, suppliciter orando, suaserat, de *Beghardis* et *Beguinabus* statuere atque agere iubet: nimirum probabiles ab improbis discernere, et hos quidem sanctionibus canonicis conuenienter corrigere aut castigare, eos autem indulgenter habere: extrema tamen lege se per hoc decretum negat *statum dictarum personarum aliquatenus approbare.* Vtriusque, nimirum, epistolae supplicis et legis inde profectae, vinculum nexusque, reor vel ex hoc effici posse, quod postremis prioris verbis subscripta reperiuntur versu primo: *Fiat, vt petitur, p.* altero: *sine alia limitatione, p.* tertio tandem: *Datum Romae apud Sctum Petrum, Septimo Idus Ianuarii anno quinto:* quo ipso die lex Pontificia itidem est conscripta. Quae consensio tantum abest, vt mere fortuita esse possit, vt potius coniecturam qualemcunque meam confirmare, et verisimillimam reddere videatur. Sed haec vtcunque vel sint, vel existimentur, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illud potius lector pro se quisque animum acriter attendat, quod paullo ante dixi: nimirum plerosque Pontificum Maximorum non penitus cognouisse atque perspexisse *Beghardorum* et *Beguinarum* rationem, vitam et instituta, permagnam inter vnius eiusdemque nominis homines discrepantiam; aliorum mores castos et probabiles, aliorum turpes et abominandos; aliorum veri videndi studium, aliorum errores perniciosissimos cet. atque per rerum similium ignorationem, de iis plerumque sic statuisse, vti sectam, illius vel patronus, vel aduersarius infensus, non raro cupiditate adductus, in litteris ad ipsos missis, descripserat. Quod alterum eiusdem BONIFACII, quem dixi, edictum, anno insequenti vulgatum *), item tertium, quinto fere post scri-

 ptum,

*) Commentar. Cap. IIII. §. 56. p. 408. ff. coll. not. ad h. l.

ptum *), demonstrat. Quum enim edicto omnino sexus vtriusque *Beghinos* probabiles, honestos, ribus non infectos, nec legibus Pontificiis aduersos tueri iussisset ac fouere; altero *Beghardos* et ZWESTRONES vexare et persequi praecepit, *abrogatis exemptionibus et concessionibus*, quas vocat, omnibus, quibus tutos ac ferendos esse iactitabant; tertio denique Priori *Prouinciali Ordinis Fratrum Predicatorum Prouinciae Saxoniae* imperauit, vt *sex dicti ordinis Fratres* ad id *ydoneos*, h. e. satis astutos et sagaces, duros et immites legeret, ac renuntiaret *quaesitores religiosos*, qui in dioecesi, vel prouincia Maguntinensi, Coloniensi, Magdeburgensi, Bremensi, Rugensi et Caminensi, omnes haeresos labe suspectos, horumque patronos indagarent, ad obsequium Ecclesiae stabilitae praestandum redigerent, tergiuersantes poenis variis, *ipsoque supplicio* afficerent. Quo consilio fidei censores, a Priore Prouinciali recens creari iussos, eadem muniuit auctoritate, *iisdem* iuribus atque priuilegiis, quibus quosuis alios ornare et Pontificibus et Imperatoribus visum erat. In edicto ipso tantum quidem abest, vt BONIFACIVS vtriusque sexus *Beghinos* vexari et exstirpari diserte iubeat, vt eos ne nomine quidem consueto notet: eum tamen hos ipsos aduersarios edicto, de quo quaeritur, veluti telo quodam petiisse, tum ὁ πάνυ MOSHEMIVS iam contendit, tum rerum, eo tempore in ciuitate Christiana gestarum historia plane confirmat. Vnde vtrumque decretum esse potest documento variae et mutabilis summorum Antistitum erga *Beghinos* voluntatis, ex diuersa aliorum, ipsis vel bene, vel male cupientium, descriptione pendentis. Pluribus igitur fidei censoribus per nouam hanc legem pontificiam creatis: (creasse enim plures, quis dubitet, *Priorem Prouincialem Ordinis*, sedi Romanae nunquam non addictissimi?) *Beghinorum* statum et res,

ne-

*) Commentar. Cap. IIII. §. 32. p. 384. s. coll. not. ad h. l.

pesse est, si non peiores, certe quidem aeque deplorabiles esse coepisse, ac fuerant, antequam BONIFACIVS simum illud, quod dixi, decretum promulgarat. Namque tot quaesitores recentes haud dubie omnem adhibuerint diligentiam et sagacitatem in conquirendis examinandisque hominibus de errore quocunque suspectis, vt haberent, quod agerent, et operam suam Summo Antistiti probarent. Interim vexationis, quam tum ortam esse non temere suspicor, exemplum adferre possum nullum: multa enim ab illorum temporum scriptoribus aut memoriae non sunt prodita, aut hic, illic, in prouinciarum et oppidorum monimentis ἀνεκδότοις adhuc latent. Fieri potest, vt commentarius Moshemianus, tandem aliquando in lucem exire iussus, viros, harum rerum amantes, permoueat ad vetustarum chartarum tabularia curiosius exploranda, et, quae ad hunc locum pertinent, in lucem proferenda. Sed ad id, vnde digressi sumus, reuertatur oratio. Praeter Pontifices Maximos, etiam alii non defuere sacrorum Antistites, qui *Beghardos* et *Beguinas*, toties iam reprobatos et exstingui iussos, alio tempore incolumes, et quasi sartos, tectos; alio vexatos et e medio sublatos vellent. Quorum ex numero hic nominare placet ALBERTVM IV. Archiepiscopum Magdeburgensem, qui, quam vario et mutabili erga id hominum genus animo esset, duplici facto significauit. Primum enim, quod ante iam dixi, BONIFACII, Pont. Max. legem, a. MCCCLXXXXV. *Beghinos* vtriusque sexus tuendi caussa scriptam, consequenti anno, in dioecesi sua non tantum publici iuris fecit, sed etiam velut edictum, religiose obseruandum, inculcauit. Prolixam itaque, hoc facto, voluntatem erga eos patefecit. Quam breui post mutarit, necesse est. Concilium enim prouinciale, incertum, quo exeuntis saeculi decimi quarti anno, coegit, in eoque, vt vetustiores contra *Beghinos* leges, a maioribus latas, denuo sanxit, ita recentiorem aliquam condidit, et stricte obseruari voluit,

ptum *), demonstrat. Quum enim edicto omnium primo sexus vtriusque *Beghinos* probabiles, honestos, erroribus non infectos, nec legibus Pontificiis aduersantes, tueri iussisset ac fouere; altero *Beghardos* et ZWESTRIONES vexare et persequi praecepit, *abrogatis exemptionibus et concessionibus*, quas vocat, omnibus, quibus sese tutos ac ferendos esse iactitabant; tertio denique *Priori Prouinciali Ordinis Fratrum Predicatorum Prouinciis Saxonie* imperauit, vt *sex dicti ordinis Fratres ad hoc ydoneos*, h. e. satis astutos et sagaces, duros et immanes legeret, ac renuntiaret *quaesitores religiosos*, qui in dioecesi, vel prouincia Maguntinensi, Coloniensi, Magdeburgensi, Bremensi, Rugensi et Caminensi, omnes de haereseos labe suspectos, horumque patronos indagarent, ad obsequium Ecclesiae stabilitae praestandum redigerent, tergiuersantes poenis variis, ipsoque supplicio afficerent. Quo consilio fidei censores, a Priore Prouinciali recens creari iussos, eadem muniuit auctoritate, iisdem iuribus atque priuilegiis, quibus quosuis alios ornare et Pontificibus et Imperatoribus visum erat. In edicto ipso tantum quidem abest, vt BONIFACIVS vtriusque sexus *Beghinos* vexari et exstirpari diserte iubeat, vt eos ne nomine quidem consueto notet: eum tamen hos ipsos aduersarios edicto, de quo quaeritur, veluti telo quodam petiisse, tum ὁ πάνυ MOSHEMIVS iam contendit, tum rerum, eo tempore in ciuitate Christiana gestarum historia plane confirmat. Vnde vtrumque decretum esse potest documento variae et mutabilis summorum Antistitum erga *Beghinos* voluntatis, ex diuersa aliorum, ipsis vel bene, vel male cupientium, descriptione pendentis. Pluribus igitur fidei censoribus per nouam hanc legem pontificiam creatis: (creasse enim plures, quis dubitet, *Priorem Prouincialem Ordinis*, sedi Romanae nunquam non addictissimi?) *Beghinorum* statum et res, ne-

*) Commentar. Cap. IIII. §. 32. p. 384. f. coll. not. ad h. l.

necesse est, si non peiores, certe quidem aeque deplorabiles esse coepisse, ac fuerant, antequam BONIFACIVS primum illud, quod dixi, decretum promulgarat. Namque tot quaesitores recentes haud dubie omnem adhibuere diligentiam et sagacitatem in conquirendis examinandisque hominibus de errore quocunque suspectis, vt haberent, quod agerent, et operam suam Summo Antistiti probarent. Interim vexationis, quam tum ortam esse non temere suspicor, exemplum adferre possum nullum: multa enim ab illorum temporum scriptoribus aut memoriae non sunt prodita, aut hic, illic, in prouinciarum et oppidorum monimentis ἀνεκδότοις adhuc latent. Fieri potest, vt commentarius Moshemianus, tandem aliquando in lucem exire iussus, viros, harum rerum amantes, permoueat ad vetustarum chartarum tabularia curiosius exploranda, et, quae ad hunc locum pertinent, in lucem proferenda. Sed ad id, vnde digressi sumus, reuertatur oratio. Praeter Pontifices Maximos, etiam alii non defuere sacrorum Antistites, qui *Beghardos* et *Beguinas*, toties iam reprobatos et exstingui iussos, alio tempore incolumes, et quasi sartos, tectos; alio vexatos et e medio sublatos vellent. Quorum ex numero hic nominare placet ALBERTVM IV. Archiepiscopum Magdeburgensem, qui, quam vario et mutabili erga id hominum genus animo esset, duplici facto significauit. Primum enim, quod ante iam dixi, BONIFACII, Pont. Max. legem, a. MCCCLXXXXV. *Beghinos* vtriusque sexus tuendi caussa scriptam, consequenti anno, in dioecesi sua non tantum publici iuris fecit, sed etiam velut edictum, religiose obseruandum, inculcauit. Prolixam itaque, hoc facto, voluntatem erga eos patefecit. Quam breui post mutarit, necesse est. Concilium enim prouinciale, incertum, quo exeuntis saeculi decimi quarti anno, coegit, in eoque, vt vetustiores contra *Beghinos* leges, a maioribus latas, denuo sanxit, ita recentiorem aliquam condidit, et stricte obseruari voluit;

Recentior haec, quam dico, lex verbis quidem enuntiata est iisdem, quibus alii similium auctores, iam vsi sunt: eam tamen nihilosecius huc transscribere placet, vt *Beghardorum* mores, diu iam reprobatos et exui iussos, et in prouincia adhuc obseruatos esse, inde appareat. Neque a vero prorsus alienum est, ipsos instituta sua vetusta et temeraria tanto licentius et audacius seruasse, quanto plus praesidii in lege Pontificia, nuperrime ab Alberto confirmata et magis sancita, habere sibi videbantur. Cuiusmodi temeritas facere potuit, vt Antistes concilium, quod dixi, cogeret, scriberetque legem, cuius verba haec sunt: *Sectam et habitum, nec non conuenticula suspicioque mali non vacua* BOBECHARDORVM, *clamantium per plateas et vicos ciuitatum, oppidorum et villarum, hoc vulgare:* BROT DVRCH GOT; *nec non quaslibet alias singularitates a sancta Dei ecclesia non receptas colentium reprobamus, mandantes sub pena suspensionis vniuersis Prelatis per ciuitatem, Diocesin et prouinciam Magdeburgensem constitutis, vt tales* BOBECHARDOS *et Vicarios publice tribus Dominicis diebus et festiuis ammoneant, quos et Nos presentibus ammonemus, vt huiusmodi singularitatibus derelictis, se teneant, sicut alii Christiani, et quod non predicent in cauernis et in aliis locis publicis, et cum Beguinis, se conformantibus eisdem moribus, habitu et incessu. Alioquin extunc ipsos extra terminos suarum Parochiarum per excommunicationis sententiam, authoritate huius Concilii, repellere non obmittant, denuntientque vicinis sacerdotibus, vt tales sic repulsos in suis parochiis non admittant. Idem de Beguinis pestiferis duximus statuendum* *). Praeter id, quod iam dixi, *Bobechardorum* nomen hac in lege vsurpatum, lectoris animum haud dubie nonnihil suspensum

*) Hartzhem. Concil. Germ. Tom. V. supplemento, p. 676. qui eandem legem in Luinigii Spicileg. Eccles. Continuat. II. p. 270. ff. itidem exstare testatur.

ſum tenebit: quod equidem reor aut per errorem eſſe ſcriptum, pro *Bothardorum*, quod alii *Bogardorum*, alii *Begardorum* ſcribere ſolebant; aut ab agri Magdeburgenſis hominibus nonnihil immutatum, itaque, vt hic ſcribitur, pronuntiatum eſſe. Sed res haec tanti non eſt, vt ei indagandae quidquam temporis operaeue impendamus. Poſthac idem ALBERTVS, lecto altero BONIFACII VIII. decreto, per epiſtolam ad *Prouinciae Saxonicae Priorem Prouincialem*, quem vocant, miſſo, quo huic ius poteſtatemque ſex familiae Dominicanae quaeſitores religioſos creandi conceſſiſſe vidimus: (cuius particulam ὁ πάνυ MOSHEMIVS attulit *), neque tamen ſine leuiuſculo errore qua verum, quo editum fuerat, annum, quem in nota ſubiecta me indicare oportuit:) lecto, inquam, altero hoc decreto, Antiſtes hic Magdeburgenſis in conſilio *Beghinos* vexandi, haud dubie magis confirmatus, et facile fieri paſſus eſt, vt plures fidei cenſores ac quaeſitores ſuam in dioeceſin miſſi, homines erroribus contaminatos indagarent ac compeſcerent. Quod quo fructu, religioni ſalutari, factum ſit, non liquet. Eos homines in negotio ſuo exſequendo non ſegnes fuiſſe, ad credendum perquam facile eſt; vti ne antea quidem prorſus otioſi fuerant, MOSHEMIO, viro incluto, auctore **). Herbipoli enim et Erfurti, A. MCCCLXXXXII. quaeſtione habita, eiusmodi hominum nonnullos, eosque pertinaciores, flammis addixiſſe memorauit. Poſtrema BONIFACII lege, A. MCCCC. lata, eademque per alios ſacrorum Antiſtites magis diuulgata, et, quantum fieri poterat, inculcata, *Beghardi* et *Beguinae*, laudabiles, illaudabiles, promiſcue vexari coepti ſunt. Ineunte enim quintodecimo poſt C. N. ſaeculo Bernae et Baſileae, eorum cauſſa, turbae exortae ſunt variae pariter,

*) Cap. IIII. §. 32. p. 383. ſ. Eam integram protuli in Append. poſter. N. XXII.

**) Cap. IIII. §. 36. p. 406. ſ.

ac graues; quas quidem *Beguinas* potissimum male habuerunt. IOANNES VITODVRANVS *) eas iniuria pressas credidit, ipsarumque hostes non nisi calumnia quadam, seu callida et malitiosa Bullae alicuius Pontificiae interpretatione adductos, inimicum erga eas animum significasse contendit. Id quod IO. CONR. FVESSLINVS a vero alienum esse iudicat **), propterea quod magistratus tam sacri, quam ciuiles, earum vitae rationem probare et ferre noluissent; hanc potissimum ob caussam, quod ipsae, suo instituto et quasi voto conuenienter pauperrimae, necessarii victus parandi gratia, per aedes discurrerint, et pro seruitiis sponte susceptis, stipem petierint, ita quidem, vt non raro stupri adulteriique nomine suspectae fierent. In quo quantum veri insit, ignoramus. Non ignoramus contra, eas ab anno MCCCCIII. hostem habuisse infensissimum in Ioanne Muilberg ***), oratore sacro familiae *Dominicanae*, qui sacerdos Basileensis in concionibus sacris quam vehementissime in eas inuectus, vrbis senatum ira odioque erga istas inflammauit. Quarum orationum plures et apud se habuisse, et compluribus in bibliothecis exstare testatur commentarii antegressi auctor; earumque epitomen, vel argumenta praecipua, haud dubie cum lectoribus communicarit, si ei contigisset, vt laborem inchoatum conficere, et ipse in lucem edere posset. Interim vere asseuerare possum, similis epitomes defectum non esse magnopere deplorandum, si quidem ipsius in *Beguinas* quasi Philippicae eiusdem farinae et furfuris fuerint, cuius est libellus ab eodem viro *Contra Beguinas et Beghardos super reprobatione status eorumdem scriptus:*

*) v. eius Chronic. in Thesauro Scriptorum Helueticorum, p. 24.

**) Neue und unpartheyische Kirchen- und Ketzergeschichte. Theil II. Cap. 2. S. 99. ff.

***) *Hans Maulberger* appellat eum *Stettlerus* in Chron. Heluet. Germanice scripto. De eo v. MOSHEM. Instit. H. E. p. 602. not. *h*.

ptus: quem non nisi manu exaratum e bibliotheca longe instructissima, mecum communicatum voluit Celsissimus atque Reuerendissimus S. R. I. Princeps et Abbas Coenobii D. Emrami Ratisbonensis, FROBENIVS FORSTERVS, Vir summus et immortali laude dignus, cuius quum eruditionem exquisitam et accuratam, cum singulari erga artes optimas amore, easque prouehendi studio sociatam, tum indulgentiam atque humanitatem incredibilem et sane quam honorificam, qua me, Ratisbonae degentem, nunquam non complexus est, et inde in patriam reuocatum adhuc prosequi non dedignatur, satis pro merito praedicare, ac cui meam erga ipsum, Senem maxime venerabilem, gratitudinem, reverentiam et pietatem significare non possum, nisi nuncupatis votis castissimis pro Tanti Patroni et Musarum Euergetae incolumitate et vegeta crudaque senectute, vt quam diutissime rebus humanis saluus et sospes intersit, et litterarum optimarum florem et incrementum tueri ac prouehere queat. Etenim libellus ille scriptus est ita, vt viro, eum totum vnoque tenore perlegere iusso, aes triplex circa pectus esse debeat, quo, praeter creberrimos barbarismos atque soloecismos foedissimos, ineptorum quoque placitorum argumenta aeque inepta et insulsa, ex patrum ecclesiasticorum, et decretorum in primis pontificiorum, magistrorumque scholasticorum libris, temere et inconsiderate deprompta et coacervata, concoquere possit. Quales nugas qui fastidit stomachus, is hunc libellum, etiamsi in lucem aliquando exeat (quod aequus litterarum genius auerruncet!) susque deque habeat, et veluti portentum infelix abominetur, necesse est. Locum, quem disputando persequi aggreditur sacerdos ille Basileensis, nimirum *super reprobatione status Beginarum et Beghardorum*, inchoat (quis lector eum non magis irrideat, quam Venusinus vates poetam, qui gemino bellum Troianum ordiri velit ab ouo) ab hac enuntiatione: *Creatura rationalis eo est peccabilis originali*-

vestibus ecclesiasticis, nec anniversariis, nec eleemosynis debent vti, cum non sint religiosi, sed laici — — — adeoque laboribus suis: — — — inde viri et mulieres sub Tertia Regula degentes, statum, habitum et viuendi modum Beghardorum et Beginarum tenentes, non obstante regula eadem, sunt reprobati, et per censuram latae sententiae a sancta ecclesia repulsi: quo loco ex Ioannis XXII. edicto, seu bulla, *Sancta Romana ecclesia*, cet. dicta complura, velut sagittas e pharetra, contra aduersarios depromit. Tum edicti *Clementini* et *Ioannei* dissensionem attingit quidem, neque tamen longe diuersissimam *Beguinorum* rationem, a MOSHEMIO inclyto explicatam, satis definit, et honestas, vt par erat, ab inhonestis segregat: vnde huiusmodi consectarium subiungit: *item illae de Tertia Regula conueniunt cum aliis Beginis nomine, cum tam illae, quam istae, vulgariter Sorores, Swestriones, Beginae, et aliis similibus et eisdem nominibus nuncupentur.* Dissertationem hanc vere polemicam claudit tandem hoc modo: *ex istis conclusionibus super mendicitate de statu Beghardorum et Beginarum, et de Tertia Regula, infertur, quod litterae apostolicae pro statu Beghardorum et Beginarum tolerando, ante reuocationem Domini Bonifacii VIIII. impetratae* *), *videntur fuisse subrepticiae ex eo, quod in eis de mendicitate ac aliis eorum ritibus a iure reprobatis, veritas est suppressa: qua expressa, tales litterae non fuissent obtentae.* Atque haec ex libello Muilbergiano, typis nondum descripto, adferre visum est, vt lectores Basileensis, quem dixi, sacerdotis viam et rationem aduersus *pauperes illos* pugnandi, quodammodo perspicere possint. Eum, si plura, ad belli istius historiam plenius intelligendam narrandamque necessaria traderet, integrum in lucem exire iussissem: sed quoniam me

*) Spectat haud dubie ad edictum A. MCCCLXXXXV. promulgatum: v. supra p. 546. et Append. post. N. XX.

me operae pretium haud facturum videbam, si eum promulgassem, lateat ille diutius: et vt auctor aduersus *Beghardos* et *Beguinas* pugnare, se haud indignum credidit, ita eius libellus cum tineis et blattis, ne eo pascantur, dimicare ne dedignetur. Cui si similes fuerunt reliqui auctoris libelli atque orationes: non est profecto, quod orbis eruditus de iis nondum vulgatis conqueratur. Sed quamuis illi nec ingenii, nec ponderis, nec stili cultioris, nec lucidi ordinis nomine commendari queant: effecerunt tamen, vt plausu non mediocri exciperentur, et oratoris fama vel Bernam peruaderet. Vnde huius vrbis ciues, non satis certi, quid consilii in caussa tam dubia, graui, ancipitique capiendum sit, vna cum Antistitis Lausannensis *Officiali*, quem vulgo vocant, numerum non contemnendum virorum ciuitatis suae eruditorum, et rerum sacrarum in primis peritorum, conuenire, eosque vtrum *Beguttarum*, seu *Beghinarum* status, quali tum essent, vitamque transigere solerent, in rep. permittendus et ferendus sit? nec ne? omni, quo deceret, studio anquirere et decernere iusserunt. Qui viri, quoniam, re deliberata, *Beguinas* nullo modo tolerandas esse censuerant, magistratus Bernenses earum ordinem, siue sodalitatem, prorsus abrogarunt, simulque edixerunt, rectius et laudabilius facturas esse mulierculas illas, si necessaria vitae tuendae praesidia laborando mererent, quam per domos, ex alia in aliam, discurrendo, ciuibus molestae essent, ac rem, non suam agentes, familiarum discidia gignerent, alerentue. Qua de caussa ipsas, aut societatem suam penitus dirimere, aut vrbe et agro simul excedere oportuit *). Quod idem eis, quae Basileae adhuc commoratae fuerant, imperatum est. Sed quamquam in duabus his ciuitatibus aut oppressae sunt, aut inde migrare iussae: in aliis tamen Heluetiae locis quasi emergentes, turbarum caussae exstiterunt: quod breui post

*) FVESSLIN l. l. Part. II. cap. 2. p. 40. ſ.

post ex noui, eiusdemque infensissimi *Beghardorum* et *Beguinarum* aduersarii libellis, contra eos scriptis, apparebit. Ad quem antequam accedimus, ipsiusque tela, in eos iacta, consideramus; cum nonnulla alia, quae ad id hominum genus pertinent, attingere, tum nouum eorum patronum laudare debemus. Nimirum quinto vel sexto fere anno post, in agro Constantiensi, in Helvetia, et Sueuia, varii *Beghardi*, aut homines, eorum haud dissimiles, comparuere, quorum plerique a fidei censoribus condemnati, flammis addicti sunt. Haec quoniam copiosius exposuit commentarii auctor, tangere saltem placet. Plura de eorum patrono dicenda. Is fuit GREGORIVS XII. Pont. Max. ex illustri Venetorum stemmate Corrario prognatus, et A. MCCCCVII. a Patrum aulae Rom. purpuratorum parte, in Italia quidem, ad dignitatem Pontificiam euectus. Hic septimo anno post, talibus, opinor, litteris supplicibus, quales ad Bonifacium VIIII. scriptas supra dixi, *adductus*, *vel*, *si mauis*, deceptus, edicto satis clementi *Beghardos* et *Beguinas*, temere et iniuste perturbare prohibuit: quod, aliquamdiu post, Eugenius IIII. Pont. Max. denuo promulgatum, auctoritate sua confirmauit sanxitque. Gregorii edictum intexuit commentario antegresso auctor immortalis *): sed subiunxit simul animaduersionem, qua Hemmerlinum eo nomine reprehendit, quod hic edictum, de quo quaeritur, a Gregorio XII. scriptum contendisset, cum tamen Gregorius XI. ipsius auctor fuerit. Contra ego in nota, ibidem subscripta, iam monui, me ipsius in sententiam abire non posse, mihique videri, Cantorem Thuricensem non temere id affirmasse, etiamsi in alio libelli loco vere allucinatus sit. Caussas, quibus permotus sic censeo, exponere decet, vt de eo, quod verum est, rectius iudicari possit. Ac primum quidem si vnus Gregorius XI. duo edidisset decreta, *Beghardis et Begui-*

*) Cap. IIII. §. 35. p. 401. 403.

Beguinabus aequa et propitia, credibile est, eum in posteriori, vno certe vel altero vocabulo prioris, et rerum in eo scriptarum, mentionem facturum fuisse: quam eum haud fecisse, quemque docere potest accurata vtriusque comparatio. Tum posterioris auctor *Beghardos*, quos ne nominat quidem, sed saltem tanquam *nonnullos pauperes vtriusque sexus* depingit, nullius plane nec flagitii, nec haereseos, aut ipse arguit, aut ab aliis argui scribit; eamque ob caussam non, vt prioris conditor, eorum rationes recte explorare iubet, vt innoxii a noxiis, sceleris puri ab impuris segregari, et vtrique pro meritis tractari possint: sed praecipit saltem, vt Archiepiscopi, Episcopi, alii, *huiusmodi pauperes* OCCASIONE VESTIVM *indebite et iniuste perturbare* nec ipsi velint, nec alios patiantur. Hic igitur multo, quam ille, moderatius et aequius de *Beghardis* et *Beguinabus* iudicat: adeoque alter ab altero non potest esse non diuersus. Et vt Gregorius XI. promulgato priori edicto, caussas habuerit, cur in posteriori conficiendo nonnihil mutaret; eas non dubito, quin breuiter strictimque significasset. Quod non factum, res ipsa loquitur. Vnde probabile fieri opinor, ipsum posterioris auctorem non exstitisse. Duplex sententiae suae argumentum habuit MOSHEMIVS perillustris: alterum suppeditauit EVGENIVS, Pont. Max. eo, quod in litteris, quibus Gregorianam legem denuo sanxit, huius conditorem diserte et *κατὰ τὸ ῥητὸν*, *Gregorium vndecimum* appellauit; alterum MALLEOLVS, siue HEMMERLINVS, qui in commentarii, quo vtramque legem pontificiam illustraturus erat, exordio, *Gregorium XII. sedisse legitime in papatu vno anno, mensibus quinque, diebus decem*, asseruit, ideoque *septimo Papatus anno* legem scribere potuisse negauit. Sed vtriusque argumenti pondus tantum non est, quantum MOSHEMIO visum sit, necesse est. Id vt palam fiat, Gregorii XII. vitam et fata breuiter perstringere oportet. Nimirum is, quod supra iam dixi,

A. MCCCCVII. ad dignitatem pontificiam peruenit *). Quum vero creatis, breui post, quatuor nouis Patribus purpuratis, eos, quorum suffragiis electus erat, vehementer offendisset, hi ab eo desciuerunt, ideoque diris deuoti, et sacris interdicti sunt. Quod ipsi aegre ferentes, in Concilio, A. [illegible] Pisis coacto, eum vna cum ipsius aduersario, *Benedicto*, d. XV. Iun. dignitate exuerunt. Quo factum, vt MALLEOLVS eum non nisi annum vnum et aliquot menses diesque, *in papatu legitime sedisse*, contenderet. Vocabulum *legitime* non temere vsurpauit. Etenim quamuis magistratu abire iussus, et Alexander V. vtriusque depositi loco, Pontifex Max. renuntiatus esset: tamen Gregorius XII. pristini officii munera, modo Aquileiae, modo Caietae, modo Arimini commoratus **), exsequi continuauit, donec in Concilio Constantiensi, A. MCCCCXV. a. d. IV. Iul. sua sponte, per legatum, Carolum de Malatesta, Pontificatu prorsus abiit ***). Itaque hic Gregorius ab A. MCCCCVIII. quo dignitate exuebatur. vsque ad A. MCCCCXV. quo ea semet ipse exuit, *illegitime sedit in papatu* (MALLEOLI verbis loqui liceat): vnde octo fere annos, partim iure, partim iniuria, Pontificem Max. sese gessit, et Pontificatus anno septimo legem, ab Eugenio repetitam sancitamque scribere potuit. Accedit, quod in Magno Bullario Romano, diserte, annos VIII. menses VII. dies V. Pontifex fuisse dicitur ****); et quod RAYNALDVS multa affert argumenta †), quibus hunc Gregorium, vel post concilii Pisani sanctionem, vere Pontificem Max. fuisse asseuerat, cumque itidem octo annos, amplius, di-

gni-

*) MOSHEMII Institutt. H. E. Part. II. p. 612. et WALCH Geschichte der Paepste, S. 330.

**) MOSHEM. l. c. p. 612. et WALCH, ib. p. 332.

***) MOSHEM. l. c. p. 614. et Walch. l. c. p. 337.

****) Vol. I. p. 283.

†) Annal. Eccles. ad a. 1408. n. 80. f.

gnitate Pontificia ornatum demonstrat. Quae quum ita sint, Cantoris Thuricensis animaduersio nihil falsi affirmat, dummodo τὸ *legitime*, ab eo prudenter additum, haud negligatur: et edictum, de quo quaeritur, recte et vere saeculo post C. N. quinto decimo scriptum censetur. Sequitur alterum, quod lectori dubitationem afferre oportet: nimirum EVGENII IV. verba ea, quibus, suo in decreto, legis iteratae magisque sancitae conditorem vocat *Gregorium vndecimum*; quem *duodecimum* nominare debuisset, si, quae FELIX ille scripsit, quaeque non nisi ad hunc, ad illum haudquaquam trahi possunt, vera esse censeamus. Sed hic scrupulus cuiusque animo, reor, facile euelli potest sumtione hac valde probabili, *Eugenium*, Italum, pontifices aduersarios, qui Galliam Italiae, Auenionem Romae anteposuerant, pro legitimis non habuisse; neque adeo *Gregorium*, *vndecimus* qui vulgo vocatur, reliquis adnumerasse. Hunc in Italiam turbarum, ibi coortarum, et indies crescentium, cumulus reuocauit quidem extremo vitae tempore; sed idem fecit etiam, vt plurimum temporis Anagniae moratus, reditum in Galliam pararet, nec Romam veniret, nisi vt ibi a vita discederet. Quare vix credi potest, eum, curis et morbo confectum, Romae de edicto qualicunque scribendo et promulgando cogitare potuisse. Superest argumentum aliud, quod vt Moshemianae refragari, ita meae suffragari videtur sententiae: quod tamen breui post, vbi MALLEOLI commentationes de industria recenseo, rectius, opinor, attingere possum. Ad Gregorianam itaque legem redeo. Ea, *Beghardis* et *Beguinabus* quantumuis aequa, propitia et fauorabilis, haud dubie parum momenti habuit, ad eorum calamitates leuandas, et prosperum contra rerum statum firmandum atque prouehendum. Legislatoris fluxa tenuisque auctoritas, et breui post abdicatus pontificatus, impedimento fuerunt, quo minus id, quod rogata hac lege sequebatur, reapse assequeretur. Praeterea, quoniam concilii

Pisani decreta ciuitatis Christianae mala et calamitates non tam tollebant, quam augebant; et breui post Constantiensis patres de disciplina *Beghardica* statuebant ea, quae, quod commentarii auctor immortalis monuit *), vtramque in partem trahi possent: valde credibile est, sacrorum Antistitum, pro ingenio quemque suo, alios duros et immanes, alios lenes et humanos erga disciplinae istius sectatores fuisse. Quemadmodum igitur eorum non pauci, *Fraticellorum* nomine plerumque nuncupati, in prouincia Romana aliisque supererant, adeo vt Martinus V. reip. Christianae praefectus, lege perquam seuera, quod supra iam dixi, eos deleri iuberet; ita similis generis homines Germaniam finitimasque prouincias turbasse docent scriptores rerum, eo tempore gestarum varii: quin ὁ πάνυ MOSHEMIVS contendit, hos ex eo tempore secundissimis vbique fere rebus in prouinciis, quas diximus, esse vsos, *multaque sibi domicilia et in vrbibus, et in agris exstruxisse.* Quod mihi quidem non verisimile videtur. Etenim quinque MARTINI V. decreta, ab a. MCCCCXVIIII. vsque ad MCCCCXXVIII. scripta, per se quidem non nisi ad *Fraticellos della Opinione*, Italiam perturbantes, pertinebant: ea tamen Praesules et quaesitores religiosi, in Germania videre iussi, ne quid detrimenti caperet fides et ecclesia Romana, facile trahi poterant ad vtriusque sexus *Beguinos*, hosque vel contra Gregorii XII. voluntatem legemque, quouis modo vexare et poenis afficere. Id, quod reuera factum esse, demonstrat lex EVGENII IV. qua Gregorianam, quod supra dixi, quasi instaurauit, suaque auctoritate denuo sanxit: vtpote qua scribit, fuisse in Germaniae prouinciis, quas nominat, nonnullos, qui *voluntariae paupertatis pauperes communiter nuncupatos, occasione vestium, quas gestarent, diuersis molestiis et iniuriis afficerent, in eorumdem pauperum detrimentum,*

*) Cap. IIII. §. 34. ff.

tum, quorum tamen indemnitati prouidere voluerit ipsius praedecessor, nimirum Gregorius ille duodecimus, quem equidem fuisse opinor, et cuius legem iterum confirmat. Etenim si *Beguinos*, in Germania degentes, tum nemo vexauit, esse etiam nemo potuit, qui de immeritis eorum molestiis ac calamitatibus conquestus, Eugenium perpelleret, vt Gregorii, Pontificis antegressi, edictum, eis hominibus propitium atque salutare, iteraret, et studiosius exsequi iuberet. In Germania igitur fuisse oportet alios, qui, neglecta Gregoriana lege, vtriusque sexus *Beguinos* indagarent ac premerent; alios, qui tanquam patroni, eorum caussam apud Eugenium, Pontificem Max. recens creatum, agere non grauarentur *). Horum etiam deprecatio tam efficax ad eius, *Fraticellis della Opinione* alioquin infensissimi, animum mouendum fuit, vt *pauperibus illis* succursum vellet, viaque et ratione, qua dixi, censeret, parci oportere. Eius edictum, legis Gregorianae sanctionem, lectores suo loco reperiunt **): ideoque non est, quod plura de eo scribam. Vtrumque vehementer impugnauit hostis *Beghardorum* et *Beguinarum* acerbissimus, eoque efficere voluit, vt ipsorum vim obligandi infirmaret ac conuelleret. Quo de viro disputare, ipsiusque libros, contra hunc hominum globum scriptos, veluti recensere coepit commentarii antegressi auctor immortalis ***): inchoatum ab eo, necdum finitum illorum examen iam continuare placet, vt lector optimus ne huius quidem viri argumenta et quasi tela desiderare debeat. A FELICIS MALLEOLI, siue HEMMERLINI *Glosa Bullarum*

 per

*) Ex Eugenii, Gregorianam confirmantis bulla, et Malleoli animaduersione ad eum locum pertinente, suspicari licet, Episcopum et Officialem Coloniensis et Wormatiensis dioeceseos, *Beguinorum* caussam suscepisse.

**) Append. poster. Num. XXVIIII.

***) Cap. IIII, §. 46. ff. p. 468. ff.

per Beghardos impetratarum, ordiendum est. Huius in prooemio, ex EVGENII, Pontificis Max. vita deducit caussam valde probabilem, si non certissimam, cur *Beghardis* nunquam non bene voluerit, nec eos accusatos, caussa cadere siuerit: nimirum *eum ipsum*, ait, *quondam fuisse in heremitorio prope Paduam tanquam Beghardum.* Sed, vrgere possis, et Cantorem Thuricensem interrogare, hic si fuit, adeoque *Fraticellorum* fere socius, cur nihilosecius *Fraticellos*, in Italia degentes, variis legibus impugnauit, ac vexatos exstinctosque voluit? Tum Gregorianam bullam post quatuor et viginti demum annos, Eugenii decreto sancitam esse scribit. Quod tempori, quo hi Pontifices bullas, quisque suam, condidisse dicunt, repugnat, adeoque a vero alienum est. Eugenius enim suam edidit *Pontificatus anno primo*, h. e. quod ipse addit, MCCCCXXXI; Gregorius contra, A. MCCCCVII. Pontifex Max. renuntiatus, promulgarat suam septimo dignitatis Pontificiae anno, adeoque A. MCCCCXIIII: quem numerum ab antegresso si demis, superant anni saltem septemdecim, non viginti quatuor, per quos decretum Gregorianum a successorum nullo confirmatum est. In quo Felicem lapsum esse, quis est, qui non videat? Verum vtcunque hoc sit, id tamen argumento esse potest nouo, cur edictum, de quo quaeritur, non tam a Gregorio XI. quod auctor inclutus contendit, quam potius a duodecimo eiusdem nominis Antistite summo, conscriptum esse debeat: siquidem inter prioris obitum, quem A. MCCCLXXVIII. euenisse constat, et primum Pontificatus Eugenii annum, nimirum MCCCCXXXI. anni interfuerunt quinquaginta tres; adeoque multo plures, quam FELIX indicauit. Quibus dictis, ad ea progrediamur, quae in ipsa Glossa reperiuntur, et ad locum nostrum pertinent. Nimirum hanc bullam a Gregorio XII. scriptam editamque esse iterum testificatus, eius αὐθεντίαν quodammodo demonstrare videtur. Namque *ipsius bullae transsumptionem*, ait, *facere*

facere fidem tanquam principalem per vniuersum mundum: tum *in ea esse stilum et obseruantiam romane curie, quod faciat probationem:* denique *bullam plumbatam tam Eugenii, quam Gregorii praedictorum esse, vt seruatur integra apud congregationem fratrum illius conuersationis* (h. e. sodalitatis vel sectae) *in ciuitate Coloniensi.* Pauperes illos, quorum *piis votis* per hasce litteras satisfacere se voluisse scribit Pontifex, appellauit *dilectos fratres de cellis, seu voluntariae paupertatis pauperes communiter nuncupatos.* Ad quae Felix in nota adiecta: *de Cellis. hoc est nomen cuiusdam domus illius fraternitatis,* (vnde *Cellitarum* nomen manasse videtur): — — — *et quod recipiunt nomen de voluntaria paupertate, videamus,* — — — *vt nomina correspondeant rebus:* allatis non paucis super *vera paupertate,* a caussa alienis, subiungit: *nam plus delicate viuunt, quam vixerunt tempore, quo fuerunt in locis suis propriis. Nam experienter videmus, quod raro vel nunquam nobiles, vel ciues abundantes, aut periti intrant illorum congregationem; sed tantum artifices mechanici et rurales, qui se prius suis laboribus nutriebant: et nunc ocio multipliciter vacant; et rusticus, qui prius dormiebat in campo cum pecoribus supra terram, vel in paleis, apud illos fratres dormit in pennarum plumis, aut in stratibus bene politis.* Porro quoniam Eugenius fratres illos, non nisi *occasione vestium,* quas gestarent, multiplici molestia iniuriaque affici dixerat, eorum aduersarius haec vrget: *forte deferebant vestes longas ad laborandum non aptas, aut alicui religioni approbate similes* — — — *aut portarunt scapularia cum cappis, tanquam monachi ordinis alicuius approbati. Nam scapulare est signum vere et approbate religionis.* — — — *Nec etiam fratres de tertia regula S. Francisci, aut sorores, talibus scapularibus debent uti, quia regula huiusmodi hoc non intendit, et vtitur magna ratione. Nam in eadem regula tertia sunt persone matrimoniali-*

tur coniunctę, et si alię personę solutę possent uti et deberent, similiter et ille. Ecce qualis inconuenientia, si soror huius regulę impregnata uentre eleuato cum scapulari transiret ad ecclesiam, vel ad alia loca publica. Vel si vir scapulariatus furtum committens suspenderetur ad patibulum. Vnde hoc considerantes prelati voluerunt fortassis, quod tali vestitu non uterentur. Verbis, *occasione vestium*, paullo post iteratis, haec subiungit: *vsus non despicitur, sed abusus, vnde quisquis rebus pretereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus uiuit, aut intemperans, aut superstitiosus est. — — — Vnde patenter isti homines, uestitu se ab aliis segregant, vt suos ritus et mores aliis meliores ostendant, et dicant in cordibus suis, sicut Pharisęus* cet. Quae posthac addit, non nisi cauillationes sunt captiosae. Variis in animaduersionibus de prouincia, in qua eiusmodi pauperes plerumque commorentur, eorumque ortu et viuendi instituto, haec adfert: *Istud hominum genus plus per Alemanniam, quam per alias mundi plagas reperitur, in eiusque ciuitatibus — — — Hoc genus laudabile* (sic est impressum. Felix si ita scripsit, hoc epitheton εἰρωνικῶς accipiendum est: sed fortasse scripserat *laudabilem*, vt ad *ortum* pertineat, quod equidem verius existimo) *habuit ortum, ad instar sanctorum patrum et fratrum heremitarum, in nemoribus morantium. sed quod in deserto non erant corpori pinguia, quibus manducarent ad satietatem, et ideo congregabantur: prout hodie ad ciuitates, vbi pane, vino et oleo multiplicati tanquam fideles Christi requiescunt.* Vbi in bulla *ecclesias deuote frequentare* dicuntur, ipsorum aduersarius in nota eos velut *simulatores, hypocritas et phariseorum similes* describit et exagitat. Vbi *nullis erroribus se inuoluendo*, in eorum laudibus praedicatur, hic contra asseuerat: *quod istud genus hominum se multis ante tempora* (forte, *haec temp.*) *inuoluit, videtur patenter in Clement. Ad nostram cet. de heret. Et* insi-

insuper in diebus meis, et in dyocesi Constantiensi, isti homines infinitos seminauerunt errores. Vnde plerique sunt ad penitenciam publicam positi: alii igne cremati. Vnde his diebus, videlicet de anno D. MCCCCXXVIII, quidam nouos fecerunt erroris articulos, in suis libris conscriptos, et in occultis conuenticulis dogmatizatos, qui demum et vix informati penitenciam publicam peregerunt. Hinc publicum est et notorium, quod hoc errore deputati non erubescunt dicere, quod sano corpore et validis mendicare et elemosynam recipere non sit peccatum. Quo loco lectorum quisque mecum optabit, vt hominum istorum accusator *nouos illos errores* singulatim expositos refellisset, nec brachio tam leui egisset, et tantummodo perstrinxisset. Quo facto non ea, qua decuit, aequitate et honestate rem suam egisse videtur. Tandem, vbi *Gregorius* scripsit, *Datum Romae apud S. Petrum, IIII. Non. Decembris, Pontificatus nostri anno septimo*, haec animaduertit edicti censor: *Mirari possemus — — — quoniam tantum vno anno, et mensibus quinque, sedit in papatu* LEGITIME, *et quod post suam depositionem, in ciuitate Pisana factam, presidebat in Roma anno septimo sui pontificatus. Sciendum, quod ipse habuit continuam adherentiam regis Neapolitani, de cuius permissione residebat in ciuitate Caietana, vbi portus est maris, et consequenter in portu Venetorum. Et Romani in absentia Ioannis Papae, qui fuerat electus in Bononia, gratantissime receperunt eum in Roma. et demum ab omnibus derelictus remansit in ciuitate Ariminensi, et ibidem creauit Cardinales prout premittitur, et renuntiauit papatui sub conditione inter alias, vt sui Cardinales, videlicet duo, permanerent, et hi peruenerant in paupertate ad concilium Constantiense.* Haec omnia magis etiam confirmant id, quod supra iam dixi, nimirum singula in Gregorium XII. quadrare, in XI. non item: adeoque illum, non hunc, quod MOSHEMIVS credidit, bullae ab Eugenio rursus sancitae,

auctorem fuisse. Tum in bullae Eugenianae continuatione legitur, *pauperes Christi fideles et orthodoxos — — debita inquisitione preuia repertos in Coloniensi et Wormatiensi ciuitatibus* *) cet: quod eius censori opportunitatem dedit haec subiungendi: *Ecce ibi episcopus et officialis, duarum dyocesium perscrutatores, facere volunt legem communem per vniuersam Germaniam: immo vero per alias mundi plagas, vbi hoc genus hominum ducit moram — — — O quam miranda vidissent, si totam Alemanniam et prouincias et dyoceses perscrutati fuissent! Forte alium processum fecissent:* Tum quo loco isti homines laudantur eo nomine, *quod infirmorum curam gerant, ac decedentium fidelium corpora, vel pestis tempestate, ad sepulturam ecclesiasticam deferant,* ibi haec adnotauit, quae MOSHEMIVS inclutus iam transscripsit: nimirum hoc recte vereque dici de *pauperibus istis, qui in ciuitatibus morentur, non de silucstribus et anachoritis, qui in nemoribus degant.* Vbi posthac in eis commendatur, quod *etiam de his, quae manibus propriis et mendicatis acquirunt suffragiis, egenis erogare soleant*, ibi in subiecta nota admodum verbosa, contendit, dictisque ex patrum libris et iure Canonico depromtis et accumulatis, eorum temporum more, demonstrat, eos *pauperes laborare*, et cibis manuum labore partis, sese nutrire debere. Quae eius argumenta ita sunt comparata, vt non inepte aduersus omnes monachos mendicantes adhiberi potuissent. Ad haec edicti Pontificii verba: *viuentes in communi*, seuerus adnotat censor, ea *ad fratres aut sorores viuentes et moras trahentes singulares in singularibus locis*, nullo modo trahi posse, eosque *non vti posse prerogatiuis huius bulle, si saltem pre-*

*) Haec sunt verba ea, quae paullo ante (in not. p. 565.) innuere dixi, Coloniensem et Wormatiensem Episcopum cum Officiali, quem vulgo vocant, *Beguinorum* caussam egisse.

praerogatiua aut priuilegia dici mereantur. EVGENIVS posthac variis magistratuum et plebanorum epistolis authenticis demonstratum esse ait, *pauperes*, quibus fauere videatur, eiusmodi opera honesta et laudabilia perpetrare: sed FELIX, ipsorum aduersarius, contra contendit: *in omni loco, vbicunque morantur, diligenter conantur, vt habeant fauorem temporalium praesidentium, vt se defendant contra clericorum aut aliorum religiosorum quorumlibet impedimenta, iuxta illud cuiusdam sapientis, stude, quod sis potens, aut potentioribus adhaerere.* Vbi bullae auctor *pauperes suos a diuersis maxime religiosis ordinum mendicantium* — — — *indebite et iniuste perturbari* dixerat; ibi glossator animaduertit, *et bene, quia ipsi eosdem verbo et facto multipliciter offendunt: verbo, quoniam prout ipsi ordines mendicantium sunt ordinati ab ecclesia ad seminandum verbum Dei, vt in Clement. Dudum, cet. Item offendunt facto, quoniam stipendium, quod ipsis religiosis debetur ex verbo Dei, illi surripiunt.* Quibus verbis inscius et inuitus veram caussam et quasi fontem aperit odii iniusti, quo monachi mendicantes incensi, *pauperes illos* tantopere persequebantur: nec tamen, qua est cupiditate, quo partium studio, eam ita, vt decebat, tangit et exponit. Sequitur in edicto Eugeniano quaedam quasi exceptio quorumdam huiusmodi pauperum, quibus patrocinatur, *Ceterum si qui vtriusque sexus, siue paupertatis et habitus huiusmodi velamine oberrantes extra congregationem dictorum pauperum sine manifesta et legitima causa in ciuitatibus et dyocesibus vestris reperti fuerint* cet. qua permotus censor haec obseruat: *hucusque dixit bulla de cohabitantibus in vna domo: nunc de aliis tractat, qui soli discurrunt.* — Post alia, eademque ἀλλότρια, addit: *Et ita videtur, si sit aliqua praerogatiua iuris vel facti: quod extra huiusmodi domus vel habitationes communes taliter vagantes tali libertate non gaudeant. Dicebantur autem quondam tales circum-*

cumcellionet: de quibus Le. et no. XXIII. q. IIII. Circumcelliones. Vnde dicit ibidem glosa antiqua, qui etiam tales fuerunt falsi monachi, qui circa cellas aliorum vagabantur, sedem certam non habentes. Vel etiam dicuntur haeretici quidam, qui vagatione ita dicebantur. Porro, quo loco Pontifex Max. Archiepiscopis et aliis praecipit, vt *pauperes, qui extra congregationem soli reperti fuerint, — — — expellant;* eo haec monet: *videlicet vagantes et oberrantes solos; quorum in Alemannia superiori infinitus est numerus, in silvis, nemoribus aut villis, aut apud capellas morantes, et etiam aliqui vxores aut alias mulieres secum ducentes;* adiecta tandem hac Archiepiscoporum criminatione: *nondum audiui, talem fuisse per ordinarios executionem perpetratam: nec requisitionem huiusmodi taliter ipsis intimatam, nec talem repulsionem oberrantium apud aliquos obseruatam* Tum, vbi decreti auctor vult, vt *pauperes oberrantes* cogant, *habitum deponere;* ibi adiungit: *etiam si habuerint scapulare.* Ex quo non temere licet efficere, huiusmodi pauperes, si non omnes, certe quidem plerosque, id vestimenti genus sibi sumsisse. Verbis Pontificis Max. in lege vsurpatis, *vt — — — alias vberrimus fructus in Christiano populo crescat,* cet. subiungit animaduersionem aeque mordacem, ac verbosam: quam, vt ex ea, velut ex vnguibus leonem, cognoscere possint lectores, qui FELICIS libros versare nequeunt, transscribere placet: *In veritate comperi, et patet euidenter scripturas bullarum Pontificiarum sancto scrutinio perscrutanti, quod verba, nec non orationes tam exordiorum, quam narrationum, petitionum et conclusionum tam exquisite sunt dictate, tam reuerenter floribus totius commendationis, laudis, gloriae et honoris sunt constipate, quod sufficerent ad vitas patrum sanctissimorum, qui quondam in Egypto degebant eximia felicitate, vt apparet (f. appareat), quod habebant abbreuiatorem siue dictatorem cordiali feruore feruentissi-*

tissimum in cancellaria pape, et possemus exemplum producere, prout nuper quidam eximius doctor protulit ad concilium basiliense, quod magno strepitu fuit inchoatum, et exiliter terminatum, et inquit. clamabat mons ingens vlulatu terribili totam pene prouinciam commouenti, quod sibi tempus ingruebat, vt asseruit, pariendi, et abhorruit totus populus, quod si alium montem parturiret, quomodo et qualiter ipsum sine iactura vicinitatis collocarent: et his anxietatibus dum gens ingemuit, mons sinum aperuit, et murum (haud dubie per errorem, pro *murem*) *vnicum parturiuit. Et ita dicam de clangore presentium litterarum maximo, qui modicos apud sincere perpendentes producit effectus.* Approbat Pontificis verba: *per haec autem statum predictorum vt ordinem religionis approbare non intendimus approbare*, cenſor admodum vehemens et ſeuerus his verbis: *Et bene, quoniam quasi omnes sunt rustici aut mechanici ad laborem tepidi, viuentes communiter et collegialiter: nihilominus sunt laici.* Claudit denique riuum, vel certe quidem venam ſatis verboſam adnotatione non inepta, qua Eugenii rationem bullae promulgatae annum, his verbis, *anno incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo primo*, nec ſolo pontificiae dignitatis anno, ſignificandi, recte commendat: *Non legimus inter summos pontifices preteritos aliquem ipsum fuisse hac annotatione, videlicet, anno incarnationis domini, nisi presentem Eugenium et communiter Nicolaum. et laudabile videtur in oculis historiographorum. Nam sepe vidimus errores, in antiquis bullarum tenoribus notabiliter commissos, dum continebatur simpliciter annus tantummodo pontificatus, et patenter ignorauimus, quo tempore post Christi natiuitatem fuerit coronatus: et dum insuper plumbum fuerat vetustate obfuscatum suis in characteribus, similiter nesciuimus, quotus ille papa sui nominis appellatione fuerat supputatus.* Notam hanc non ſpernendam claudunt verba,

quae

quae sequuntur: *et haec sufficiant pro glossa dictarum bullarum inutiliter collocata per me Felicem, cantorem thuricensem, minimum decretorum doctorem, ad rogatum certorum curatorum et rectorum parochialium, et ad quorumlibet peritorum correctionem. de anno Dom. MCCCCXLIX.* Atque haec e Felicis Malleoli, seu Hemmerlini, libris contra *Beghardos* et *Beguinas* scriptis, excerpere, ac cum lectoribus communicare, non inutile visum est. Quibus lectis et recte ponderatis, nemo per se ipse non videbit, quam maleuolum, quam iniquum et durum aduersarium in eo habuerint *pauperes* homunculi, contra quos calamum, velut gladium, strinxit suum. Multa in eis vera esse, facillime largior: sed ex altera parte non minus verum est, ipsum iusto vehementiorem esse, odiique impetu abreptum, honestos et insontes a sontibus et flagitiosis non distinxisse; et saepenumero telis eiusmodi contra illos pugnasse, quae et *pauperes* illi, et omnes *alii*, partium minus studiosi cupidique, in singulos ordinum mendicantium monachos, hominibus aetatis illius molestissimos, et propter ingentem copiam pariter, ac singularem auctoritatem periculosos, reiicere potuissent. Quod etiam quodammodo factum, intelligi potest ex duplici eiusdem auctoris libello, altero *Contra validos mendicantes*, altero *Contra Anachoritas, Beghardos Beguinasque silvestres*, inscripto: quorum epitomen ὁ πάνυ MOSHEMIVS ipse suggessit. Hoc Felicem prae cupiditate et partium studio non perspexisse, mirum videbitur nemini, qui ingenii humani, affectu quocunque praepediti, rationem satis nouit. Accedere potuerunt caussae aliae, nobis hodie incognitae, quae ipsum, vt in huiusmodi homines tantopere inueheretur, quin fere debaccharetur, perpellerent. Sed haec omnia ad viuum resecare nec volo, nec, si velim, possim per monimentorum fide dignorum inopiam. Ceterum quo anno EVGENIVS edictum, Gregorianae legis sancien-

dae

dae caussa, se condidisse scribit, eo inchoauit etiam concilium Basileense, memoria longe dignissimum. Eius formam, agendi viam et rationem, ac decreta omnium prima Pontifex, quem dixi, molestissime ferens, nihil non tentauit, vt irrita redderet illius consilia, et duo illa, quae concilii patribus potissimum proposita et curae cordique erant, quouis modo impediret. Quin vel noui schismatis auctor esse maluit, quam futuris concilii decretis obtemperare. Quo temeritatis tum progressus sit, hic exponere non attinet. Monere saltem placet, senatum illum sacrum in *Beghardorum* et *Beguinarum* caussa, quantum adhuc constat, nihil pronuntiasse. Sed quamquam EVGENIVS edicto suo, ad Germaniae Archiepiscopos, Episcopos, alios, misso, eorum caussam defendit, nec consilii conuocati patres quidquam contra eos statuerunt: tamen coeptum *Beguinale* bellum in Germania continuatum est, variisque in conciliis, posthac coactis, leges aduersus eos sunt rogatae. Nimirum A. MCCCCLX. Bernardus, Abbas Hirsaugiensis, monasterium sororum in Altburg, *Beguttarum* reformauit: quas quidem, propter vitae impuritatem, quae ferebatur, inde expulit, et earum loco sorores de Tertia regula S. Dominici viuere ibi iussit. Quae vexatio ad *Beghardos* etiam, qui per diversas cellulas in nemore Hirsaugiano morabantur, et sororum calamitates iniquo animo ferebant, pertinuisse memoratur *). Praeterea, qui alio tempore, A. MCCCCLXIII. Friderico IIII. Imperatore, itidem Constantiae coacti patres, de ciuitatis Christianae rebus consultare iussi erant, in aliis decretum condiderunt atque promulgarunt, quod multas ob caussas huc pertinere opinor. *Quum plures*, inquiunt, *in Dioecesi nostra* LVLHARDI *et* BEGVTTAE, *etiam in coniugio existentes in seculo manentes, scapularia deferant, et praecipue hi, qui de*

*) v. Trithem. Chron. Hirsaugens. Tom. II. p. 441. edit. Schlegel.

de TERTIA REGVLA *se fore asserunt, et quia scapulare vere et approbate religionis signum esse dinoscitur, si huiusmodi scapularia deferentes tanquam laicales persone, prout se fore pretendunt, a laicis pertractarentur, non modicum scandalum generaret; volumus et districte uniuersis Decanis ruralibus, ecclesiarum Rectoribus et Plebanis per ciuitatem et Diocesin nostras constitutis mandamus, vt omnes et singulos vtriusque sexus sic scapulare deferentes moneant, et requirant, vt infra duorum mensium spatium a publicatione presentium, qua auctoritate? an ex regula suscepti ordinis? an ex priuilegio? scapularia huiusmodi deferant, coram Nobis, vel nostro Vicario doceant, vt scandalis obuiare, et animarum ipsarum saluti prouidere valeamus. Alioquin si secus fecerint, et, vt prefertur, non docuerint, lapsis dictis mensibus ad excommunicationis sententiam, et prout de iure poterimus, contra ipsos procedemus. — Preterea quamuis plures ex eisdem validi sint et ad laborem vtiles, carius tamen de elemosyna viuere, quam suarum* MANVVM LABORIBVS STVDEANT *manducare, sacra id reprobante scriptura, vniuersos fideles Nobis subiectos in Domino exhortamur et requirimus, vt tales* LVLHARDOS, *si deinceps, qui validi fuerint, elemosynam exigere non destiterint, censura Ecclesiastica compescere curabimus* IVSTICIA MEDIANTE *). Quo ex decreto tria potissimum apparent: primum quidem inde intelligitur, homines, qui antea plerumque *Beghardi* et *Beguinae* dicebantur, circa id fere tempus *Lulhardos* et *Beguttas* vocitatos esse; idque haud dubie per contemtum atque odium, vt plebes ipsos eo magis detestaretur: alterum, vtrosque *occasione vestium* (quod Gregorius XII. et Eugenius IV. in edictis iam dixerant) i. e. propter *scapulare* potius male habitos esse, quam propter opiniones singulares et religioni repugnantes; eos-

*) HARZHEM. Concil. Germ. Tom. V. p. 464.

usque adeo nec de *Fraticellorum della opinione*, siue Franciscanorum rebellium, nec de *Fratrum et Sororum liberi*, vel *alti Spiritus* cohorte, sed potius de eorum, qui *tertiam D. Francisci regulam* professi erant, sodalitio fuisse: tertium, mares, i. e. *Lulhardos*, ob mendicitatem publicam in primis reprobatos esse. Quae crimina qui cum illis, quae Cantorem Thuricensem iis dem reprehendisse vidimus, comparare non grauabitur; is plane, reor, perspiciet, et hunc, et concilii, quod dixi, patres iisdem plane caussis ad hunc hominum globum reprobandum et condemnandum permotos esse. Atque hoc decretum, in dioecesi certe Constantiensi, haud dubie hanc vim habuit, vt isti homines multum pressi, nonnihil compescerentur. Exstirpati enim haudquaquam sunt. Namque alio in Concilio, anno quartodecimo post, h. e. MCCCCLXXVI. ibidem coacto, etsi eius Canones adhuc desiderantur, hoc tamen de iisdem decretum constat esse editum *); *Item de* LOLHARDIS *et* BIGVTIS, *quantum ad eucharistiae sacramenti susceptionem, seruetur iuris dispositio, quod in mense duntaxat semel illud suscipiant. Ita fieri et seruari debere volumus.* Veram huiusmodi legis sciscendae caussam me ignorare fateor, ac prae me fero: suspicor saltem, vtrosque, vt maiori pietatis specie plebeculam caperent, huiusque fauorem et studium sibi conciliarent, solito frequentius ad sacrum epulum accessisse, eademque opportunitate ita se gessisse, vt tam affectata ratio plerorumque oculos et animos in se conuerteret. Quod sacrorum administri et monachi mendicantes, per se iam inuidia pleni, cernentes, et ideo proventuum et beneficiorum suorum diminutionem metuentes, morem, a *Beguinis* vtriusque sexus receptum, diutius pati noluerunt, suisque effecere artibus, vt eiusmodi lex conderetur. Ea vt iniusta ne videretur, *iuris*

*) id. ibid. p. 505. 507.

ris dispositionem, i. e. instituti, per ius Canonicum stabiliti, vim et vinculum iactitarunt. In quo, si coniectura mea non prorsus falsa est, et absona, quam iniuste, ne quid grauius sciscam, fecerint, quis est, qui non videat? Quum per hanc ipsos premendi et opprimendi viam et rationem nondum, quo voluerant, peruenissent legis recentioris auctores, et *Lolhardi* certe a publica mendicitate nequaquam abstinerent: in tertio Concilio Constantiensi, A. MCCCCLXXXIII. ab Ottone, sacrorum Antistite, coacto, lex contra *Lolhardos*, ante viginti annos iam rogata, denuo et iisdem verbis iterata est, ac sancita. Quod pertinax eiusmodi homines compescendi studium certo esse potest documento, quam iniquis oculis eos stipem publice petere, et beneficia, quae sibi solis deberi existimabant, ab eis ferri et quasi rapi viderint legis iterandae suasores. Tandem per Synodi Bambergensis, A. MCCCCLXXXXI. coactae patres, de ciuitate sacra deliberantes, statuta complura, ex antegressarum decretis repetita, denuo confirmata sunt et inculcata: ex Clementinis etiam LI. placita excerpta et obseruari iussa: quorum XIII. est, *Contra mulieres sectantes aut de nouo assumentes statum sc.* BEGVINARVM, et XIIII. *contra Religiosos pro statu sc.* BEGVINARVM *dantes auxilium, consilium vel fauorem* *). Haec duo decreta, etsi verbis enuntiata sunt adeo vagis et ambiguis, vt nihil noui aut certi, nec de illis, nec de his, sigillatim inde conficere possis: demonstrant tamen, primum, *Beguinas* ea aetate in agro Bambergensi superstites, adhuc vexatas esse; secundo, fuisse tum etiam homines, ordinibus sacris initiatos, (quos Tertiarios Franciscanos, vel Augustinianos fuisse reor) qui eas tuerentur, et quouis modo adiuuarent, eam haud dubie ob caussam, quod eiusmodi mulierculae sese itidem de Tertio D. Francisci, vel Augustini Ordine esse profi-

*) HARTZHEM. l. c. p. 637.

profiterentur, quod feueriores legum Pontificiarum interpretes, et Dominicanae in primis familiae homines, nefas esse clamabant; tandem edicti, de quo quaeritur, auctores et suasores hoc sequutos esse, vt eiusmodi *Beguinarum* patronos et defensores, ordine quocunque sacro initiatos, si non obtemperarent, maiori iuris specie, itidem impugnare, et vna cum ipsis *Beguinabus* e medio tollere possent quaesitores religiosi. Atque hoc modo bellum *Beguinale* vsque ad tempora instauratorum per Lutherum et socios sacrorum continuatum est; etiamsi *Beghardi* et *Beguinae*, multis in locis, vt perniciosis aduersariorum consiliis occurrerent, nec radicitus exstirparentur, tertiam D. Francisci et Augustinianorum regulam, quae dicitur, amplectebantur *). Verum ne sic quidem tranquille placideque vitam traducere poterant. Eorum hostes, quos iam dixi, inuidebant ipsis vel minima beneficia et munuscula, pro variis seruitiis porrigi sueta. Qua inuidia, et cupiditate tacti, aeque facile, ac lupus agnum dilaniaturus, reperiebant caussam eos inuadendi atque opprimendi. Tandem vero *Beghardi*, siue *Fraticelli*, qui probe, honeste, suoque instituto conuenienter viuentes, in Germania adhuc supererant saeculo XVI. ad vnum fere omnes *Lutheri* in sententiam abierunt **). Idem haud dubie fecerunt etiam *Beguinae* probabiles et honestae. In Heluetia contra tum fuisse dicuntur aliae, quae sacrorum emendationem perosae, negotii suscepti auctores calumniarentur ***): aliae, eaedemque prudentiores, quae religionis emendatae placita lubenti gratoque animo audirent, et tanquam vnice veris adstipularentur. Luculentum eius, quod dixi, documentum habemus in *Beguinabus* Gorlicienfibus, quae ab A. MCCCCLVI. in

*) MOSHEM. Institutt. H. E. p. 602. et 624.

**) MOSHEM. c. l. p. 625.

***) FVESSLIN. l. l. Part. II. c. 2. p. 42.

in hac Lusatiae vrbe, fixam habuerunt sedem, et vernacula nostra *Seelenweiber* (quasi *feminae animarum saluti consulentes*) dictae sunt. Harum origines, societatis stabiliendae consilia, probabilem vitae rationem, pietatis significandae prouehendaeque, item miseros, pauperes et moribundos fouendi consolandique studium, dicendo persequutus est, nec immerito laudauit auctor ἀνώνυμος qui tamen ingentem earum diuersitatem non satis cognouisse videtur *). De eis M. Franciscus Rupertus, princeps sacrorum Gorliciensium administer, idemque sacris emendatioribus addictus, non raro praedicasse fertur, se, puerum, scholam publicam adhuc frequentantem, vna cum commilitonibus quam saepissime in *Beguinagium* intrasse, et ex *Beguinabus*, in eo degentibus, complura religionis castioris placita, et precum saluberrimarum carmina didicisse, quae posthac fecissent, vt sacrorum emendationi facilius faueret, ac libentius adstipularetur. Quod insigne *beneficium aliis* quoque detulisse dicuntur. Eandem rationem *Beguinas* Rochlicenses tenuisse scripsit Io. Matthesius, in praefatione, Lutheri libro, nescio cui, praemissa **): quo loco vel precatiunculae carmen, quod puer septennis ex eiusmodi anicula honestissima didicisse, et quo se, aetate prouectiorem, adhuc delectari, ait, litteris consignauit. Lubeca septem *Beguinagia* similia habuit: et *Beguinas*, in eis degentes, sacris emendandis mirifice studuisse, memorat scriptor, fide omnino dignus ***). Huiusmodi mulieres Lipsiam quoque, vsque ad sacrorum emendatorum tempus aluisse, ex pacto, quod de earum aedibus, inter vtriusque reip., academicae nimirum et ciuicae, patres ac proceres initum est, et cuius leges

*) Im Ober-Laufitzer Beytrag zur Gelahrheit und deren Historie. B. I. Stück 8. S. 113. ff.

**) l. c.

***) D. G. H. Goetzius de Lutheranismo Beguinarum, Lubeo. 1719.

leges in publico seruantur tabulario, demonstrari potest: Et quoniam ex eis, quae auctor ille ἀνώνυμος de *Beguinabus Gorlicensibus* memorat, liquido apparet, ipsas vernacula nostra vocatas esse *Seelenweiber:* ipsarum aedes, credibile est, nomen der *Seelenhaeuser* habuisse, quod in priscis curiae Gorlicensis monimentis plane reperitur. Cuiusmodi aedificium quum Ratisbonae hodieque supersit, in quo, praeter personas alias, senecta, inopia et morbis confectas, gymnasii, poeticum quod vocant, alumni publici, eidemque peregrini, morbo laborantes, nutriuntur atque fouentur: perquam facile mihi persuadeo, id olim simile *Beguinagium* fuisse, sed sacrorum emendatorum tempore, huiusmodi consilio vsuique destinatum esse. Vrbis, quam dixi, monimenta prisca si quis curiosius perscrutari velit, is, non dubito, quin coniecturam qualemcunque meam confirmare possit. Verbo, vniuersum *Beghardorum* et *Beguinarum* institutum in oppidis prouinciarum, vbi sacra emendatiora hominum mentes ceperunt, ideoque quasi radices egerunt, non potuit non abrogari, simulac prauae peruersaeque opiniones de eleemosynis, et harum vi ad consequendam salutem sempiternam efficacissima, de purgatorio, quod vocant, aliis, dominari desierunt; et in eiusmodi locis religionis placita docendi et mentibus instillandi prouincia data est doctoribus, qui homines viam et rectiorem et certiorem ad aeternam beatitatem adipiscendam docere tam possent, quam vellent etiam. Verum in eiusmodi prouinciis, quarum a finibus arcebantur religionis Christianae, prisca simplicique munditia commendabilis, placita, et sacra emendata, vel hodie reperiuntur homines, quales adhuc descripsimus. *Supersunt* (teste quidem HARTZHEMIO *)), cuius etiam, quae sequuntur,

*) Concil. German. et Digressione quidem ad Saec. XIV. §. 3. p. 623. ss. conf. AEGID. GELENIVS de Coloniae magnitudine, lib. III. Syntagm. 51.

tur, verba funt) *Treueris*, *Aquisgrani*, *Coloniae*, *fratres* BEGARDI, BAGGARDI, *varia inflexione nuncupati*, *qui iidem et* ALEXIANI (*Coloniae ob reliquias S. Alexii in eorum oratorio asseruatas*) *et* ALVMNI S. IOANNIS DE DEO *nuncupari volunt: omnes hi viri ante annum MCCC.* BEGARDI *vocabantur*, *et erant: Sorores autem*, BEGHINAE, PAVPERES SVSESTRINAE *) *vocabantur*, *quia manuum labore et stipendiis*, *ob obsequia moribundis et mortuis exhibita*, *se nutriebant.* — — *Nunc communi vocabulo* CELLITAE *nominantur*, *et licet olim a variis impugnati*, *interuentu tamen ciuitatum Germaniae*, *Episcopis Dioecesanis et Pontificibus Rom. commendati fuere*, *et ab his defensi*, *data eisdem Regula S. Augustini: unde Coloniae ab Episcopo*, *vel Nuntio Apostolico*, *antea Patri Priori FF. Crucigerorum*, *nunc Eremitarum Augustinianorum Prouinciali*, *qua Commissario et Visitatori*, *subiecti sunt. A. MCCCCLXXIII. Festo S. Antonii*, CELLITAE *Colonienses praescriptam ab Ordinario Professionem ex Sixtina Bulla*, *ceu religionis susceptae sacramentum*, *ediderunt. Foeminae* CELLITISSAE *intra Coloniam sex Conuentus habent*, *nunc Religiosae*, *Regulam S. Augustini professae: inuitatae et rogatae*, *erga stipendium*, *seruiunt aegrotis iuuandis.* BAGARDI *autem Coloniae omnia cadauera ex lege publica tumulant.* Haec ille, qui eodem loco nonnulla tradit de statu *Beguinarum* in Belgio, ex libro repetita eodem, quem ὁ πάνυ MOSHEMIVS iam indicauit. Quae huc transscribere nolo, ne cui actum agere velle videar.

§. VIII.

Multis in nominibus, quae *Beghardis*, vel propter similem fere viuendi, mendicandi, sese vestiendi rationem,

*) Sic scriptum reperio: dictae essent *Schwestriones* vel credo per errorem; verius *Swestriones*.

nem, vel per contumeliam imposuerunt varii eius aetatis scriptores, locum etiam habuit *Lollhardorum* denominatio. Hoc, praeter alios, fecisse constat Cantorem Thuricensem, FELICEM MALLEOLVM, quod satis iam ostendit MOSHEMIVS *): qui de hominum, proprie hoc nomine nuncupatorum, globo, eius origine, nominis caussa, multa, eaque non tralaticia, disputauit in Institutionibus Historiae Ecclesiasticae **). Quae quoniam in primis ad hunc locum pertinent, librum autem, quo ea exposita dixi, lector quisque non illico in promtu habere potest; ea inde petere, et huc transscribere liceat, omissis tamen, quae minus necessaria videntur. Vocabulum *Lollhardus*, seu *Lullhardus*, *Lollert*, *Lullert* (vt Germani veteres scribunt), compositum est ex antiquo verbo Germanico, *Lullen*, *lollen*, *lallen* ***), et ex notissima terminatione *hard*, quae tot vocabula Germanica claudit. *Lollen* autem, siue *Lullen*, significat submissa voce canere. Manet eodem sensu vocabulum adhuc in lingua Anglorum, qui dicunt, *lull asleep*, quod est, suaui et obscuro cantu somnum alicui conciliare. Vid. FRANC. IVNII *Etymologicum Anglicanum*, ab EDVARDO LYE Oxon. 1743. fol. editum, voce *Lollard*. Manet etiam in sermone Belgarum, Suecorum †), et aliorum populorum eadem potestate, quod Lexica docebunt. Apud nos notio paullulum mutata est: sonus etiam. *Lallen* enim dicimus; quod verbum significat, *parum distincte pronuntiare*, *balbutire*. *Lollhard* igitur est *cantator*, homo, qui saepe ac frequenter cantat. Quemadmodum vero vocabulum

 Beg-

*) Institutt. H. E. p. 637. not. c. et alibi.

**) Saec. XIV. Part. II. c. 2. p. 589. ss. n. y.

***) Hoc postremum minus recte vereque huc trahi censet commentarii editor.

†) The English and Swedish Dictionary by IACOB SERENIVS, Nykoping, 1757. 4. Nam Suecis est *Lulla* idem, quod *sopire*.

Beggen, quod in vniuersum significat, cum feruore animi aliquid petere, tractum est ad preces religiosas, seu ad Deum fusas, et arctiori sensu apud Germanos idem est, quod: *feruide Deum precari:* ita etiam verbum *lollen*, seu *lallen* ad cantum sacrum translatum, sensuque angustiori idem est, quod: *sacrum carmen canere.* *Lollhard* igitur vulgari veterum Germanorum sermone notat, *hominem assidue Deum carmine celebrantem*, *seu hymnos canentem*. Rectissime vim vocabuli perspexit et expressit saeculi huius scriptor, HOCSEMIVS, *Canonicus Leodiensis*, in *Gestis Pontificum Leodiensium*, lib. I. c. XXXI. in IO. CHAPEAUVILLI *Gestis Pontificum Tungrensium et Leodiensium*, Tom. II. p. 350. *Eodem anno* (1309.) *quidam hypocritae gyrouagi, qui* LOLLARDI, *siue Deum laudantes vocabantur, per Hannoniam et Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt.* Quoniam enim qui Deum laudant, carmine plerumque id faciunt, ideo stilo Latino *medii aeui*: *Deum laudare*, idem est, quod *canere*: et homines *Deum laudantes*, sunt *religiosi cantores*, qui Dei maiestatem et bonitatem hymnis continuo celebrant. Preces vero et hymni quum certissimum signum sint externum pietatis aduersus Deum, ideo cuncti, qui solito maiorem pietatem atque religionem affectabant, et ceteris idcirco hominibus frequentius Deum laudabant et precabantur, populari sermone *Lolthardi* dicebantur. Igitur eamdem vocabulum hoc significationem induebat, quod nomen *Beghardus* habebat, hominemque notabat pietate insignem. Et duo haec vocabula in antiquis monumentis ab vndecimo saeculo eiusdem sunt potestatis, vt, qui *Beghardi* appellantur, iidem etiam *Lollhardi* vocentur. Quod plurimis locis extra omnem controuersiam poni potest, et ex solis FELICIS MALLEOLI contra Beghardos libris manifestissimum est. Tot igitur sunt *Lollhardorum* genera, quot *Beghardorum*. Qui hodie *fratres Laici* Monachis dicuntur, olim *fratres Lollhar-*

di vocabantur, quod bene BARTHOL. SCHOBINGER obseruauit ad *Ioach. Vadianum de Collegiis, monasteriisque Germaniae vet. lib. I. p. 24.* in GOLDASTI *Scriptor. rerum Alemannicarum, Tom. III.* Fratres *liberi Spiritus*, de quibus supra dictum est, ab aliis *Beghardi*, ab aliis *Lollhardi* nominantur. Discipuli GERHARDI GROOTE, siue *sacerdotes vitae communis*, *Lullhardi fratres* saepissime vocantur. Bonus ille WALTHERVS, Coloniae combustus, quem tot viri docti conditorem sectae *Lollhardorum* perperam faciunt, aliis *Beghardus*, aliis *Lollhardus*, aliis etiam *Fraticellus* audit. Franciscanorum Tertiarii, qui precibus aliisque sanctis exercitationibus supra vulgus sese efferebant, *Lollhardorum* saepe nomine notantur. In primis *Fratres Cellitae*, seu *Alexiani*, quorum spectatissima erat pietas, simulatque in Belgio sub saeculi huius exordium comparebant, a populo vsitatissimo vocabulo *Lollhardi* vocabantur. In his tamen singularis erat ratio, quae plebem inducebat, vt isto eos nomine insigniret. Funera enim eorum, qui peste decesserant, lugubre ac triste carmen obscura voce canendo, sepulcro inferebant, et publici idcirco cantatores erant. Apponam hic ex multis testimoniis verba IO. BAPT. GRAMAYE, viri rerum patriarum in primis periti, in *Antwerpia*, Lib. II. c. VI. p. 16. *Alexiani, qui funeribus curandis operam suam impendunt, Antwerpiae sua debent exordia, vbi post a. 1300. collecti probi aliquot, piique Laici, a parcimonia vitaque tam modeste, quam moderate instituta, dicti Matemanni, et* A FVNERVM OBSEQVII LOLLHARDI — — — *A cellulis Fratres Cellitae dicti.* Idem in *Louanio p. 18. b.* in *Antiquit. Belgicis, Louanii 1708. fol.* splendida forma editis: *Alexiani, funeribus curandis operam nauantes, coeperunt apparere. Erant autem viri laici, operibus misericordiae se consecrantes, dicti tum* LOLLHARDI *et Matemans. Placuit horum obsequium in curandis aegris, phreneticis, mortuis, pu-*

Beggen, quod in vniuerſum ſignificat, cum feruore animi aliquid petere, tractum eſt ad preces religioſas, ſeu ad Deum fuſas, et arctiori ſenſu apud Germanos idem eſt, quod: *feruide Deum precari*: ita etiam verbum *lollen*, ſeu *lallen* ad cantum ſacrum translatum, ſenſuque anguſtiori idem eſt, quod: *ſacrum carmen canere*. *Lollhard* igitur vulgari veterum Germanorum ſermone notat, *hominem aſſidue Deum carmine celebrantem*, ſeu *hymnos canentem*. Rectiſſime vim vocabuli perſpexit et expreſſit ſaeculi huius ſcriptor, HOCSEMIVS, *Canonicus Leodienſis*, in *Geſtis Pontificum Leodienſium*, lib. I. c. XXXI. in IO. CHAPEAUVILLI *Geſtis Pontificum Tungrenſium et Leodienſium*, Tom. II. p. 350. *Eodem anno* (1309.) *quidam hypocritae gyrouagi*, *qui* LOLLARDI, *ſiue Deum laudantes vocabantur*, *per Hannoniam et Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt*. Quoniam enim qui Deum laudant, carmine plerumque id faciunt, ideo ſtilo Latino *medii aeui*: *Deum laudare*, idem eſt, quod *canere*: et homines *Deum laudantes*, ſunt *religioſi cantores*, qui Dei maieſtatem et bonitatem hymnis continuo celebrant. Preces vero et hymni quum certiſſimum ſignum ſint externum pietatis aduerſus Deum, ideo cuncti, qui ſolito maiorem pietatem atque religionem affectabant, et ceteris idcirco hominibus frequentius Deum laudabant et precabantur, populari ſermone *Lollhardi* dicebantur. Igitur eamdem vocabulum hoc ſignificationem induebat, quod nomen *Beghardus* habebat, hominemque notabat pietate inſignem. Et duo haec vocabula in antiquis monumentis ab vndecimo ſaeculo eiusdem ſunt poteſtatis, vt, qui *Beghardi* appellantur, iidem etiam *Lollhardi* vocentur. Quod plurimis locis extra omnem controuerſiam poni poteſt, et ex ſolis FELICIS MALLEOLI contra Beghardos libris manifeſtiſſimum eſt. Tot igitur ſunt *Lollhardorum* genera, quot *Beghardorum*. Qui hodie *fratres Laici* Monachis dicuntur, olim *fratres Lollhardi*

di vocabantur, quod bene BARTHOL. SCHOBIN-GER obseruauit ad *Ioach. Vadianum de Collegiis, monasteriisque Germaniae vet. lib. I. p. 24.* in GOLDASTI *Scriptor. rerum Alemannicarum, Tom. III.* Fratres *liberi Spiritus*, de quibus supra dictum est, ab aliis *Beghardi*, ab aliis *Lollhardi* nominantur. Discipuli GERHARDI GROOTE, siue *sacerdotes vitae communis*, *Lullhardi fratres* saepissime vocantur. Bonus ille WALTHERVS, Coloniae combustus, quem tot viri docti conditorem sectae *Lollhardorum* perperam faciunt, aliis *Beghardus*, aliis *Lollhardus*, aliis etiam *Fraticellus* audit. Franciscanorum Tertiarii, qui precibus aliisque sanctis exercitationibus supra vulgus sese efferebant, *Lollhardorum* saepe nomine notantur. In primis *Fratres Cellitae*, seu *Alexiani*, quorum spectatissima erat pietas, simulatque in Belgio sub saeculi huius exordium comparebant, a populo visitatissimo vocabulo *Lollhardi* vocabantur. In his tamen singularis erat ratio, quae plebem inducebat, vt isto eos nomine insigniret. Funera enim eorum, qui peste decesserant, lugubre ac triste carmen obscura voce canendo, sepulcro inferebant, et publici idcirco cantatores erant. Apponam hic ex multis testimoniis verba IO. BAPT. GRAMAYE, viri rerum patriarum in primis periti, in *Antwerpia*, Lib. II. c. VI. p. 16. *Alexiani, qui funeribus curandis operam suam impendunt, Antwerpiae sua debent exordia, ubi post a. 1300. collecti probi aliquot, piique Laici, a parcimonia vitaque tam modeste, quam moderate instituta, dicti Matemanni, et* A FVNERVM OBSEQVII LOLLHARDI — — — *A cellulis Fratres Cellitae dicti.* Idem in *Louanio p. 18. b.* in *Antiquit. Belgicis, Lovanii 1708. fol.* splendida forma editis: *Alexiani, funeribus curandis operam nauantes, coeperunt apparere. Erant autem viri laici, operibus misericordiae se consecrantes, dicti tum* LOLLHARDI *et Matemans. Placuit horum obsequium in curandis aegris, phreneticis, mortuis, pu-*

blice et priuatim omnibus. Addit vir eruditus, se partem horum *ex veteri diario, vbi rhythmo vernaculo id expressum*, referre. Hinc in *Annalibus Holland. et Vltraiect.* in ANT. MATTHAEI *Analect. vet. aeui, Tom. I. p. 431. Die Lollardtjes die brochten de dooden by een.* Quae verba MATTHAEVS sic explicat: *Libitinarii, vespillones, quorum certum erat corpus, viles homines et abiecti, qui velut mortuos plangentes lugentis quendam edebant sonum. Vnde et nomen plateae, in qua plerique habitabant, Vltraiecti* de Lollestraet. Confer eumdem MATTHAEVM *Analect. Tom. II. p. 345. 643.* Quae ratio effecit, vt ex honesto in se vocabulo *Beghard* conuitium fieret, eadem etiam notionem nominis *Lollhard* mutauit. Deprehendebantur nempe inter homines illos, qui ceteris pietate superiores, atque vitam inter preces, Dei laudes et religiosa exercitia consumere, videri volebant, impii simulatores, qui flagitiis et ineptis de religione sententiis *pietatem obtenderent.* Maxime post ortum *Alexianorum*, seu *Cellitarum*, nomen *Lolthardus* infame ac turpe fiebat vocabulum. Bono enim huic hominum generi quum sacerdotes et Monachi valde inimici essent, noxias de illo suspiciones studiose disseminabant, atque populo persuadebant, qui niuei ac benefici viderentur *Lollhardi*, reapse atros esse, atque aut pessimis de religione sententiis imbutos, aut scelerum et criminum amantes. Quare paullatim eueniebat, vt communi sermone *Lollhardus* homo vocaretur, pietatis larua aut haereses, aut crimina tegens. Certum ergo est, nulli sectae proprium hoc nomen, sed omnibus et sectis, et hominibus, commune olim fuisse, in quibus pietati externae impietas aduersus Deum et ecclesiam iuncta videretur. Ceterum tenendum adhuc est, qui *Lollhardi* dicerentur, eos etiam Germanice, ab antiquo vocabulo *Nollen*, *die Nollbrüder* appellatos esse. Hoc vero nomen primo impositum est *Fratribus et Sororibus Cellitis*, vel *Alexianis*, a pietatis officio, quo ipsi

ipſi Antwerpiae primum defungi coeperant; vnde poſt-hac in aliis quoque oppidis ſimiles pii bonique homines ſimiles ſocietates condere non dubitarunt. Nimirum aegrotantes, quos, qui ea aetate viuebant, ſacrorum administri, plerumque negligere ſueuerant, ſua ſponte inviſebant et conſolabantur, morientibus aderant precibus et exhortationibus, funera vel eorum, quos peſtis conſumſerat, curabant, et lugubri carmine ad ſepulcrum comitabantur. Quorum ſeruitiorum poſtremum in primis perpulit vulgus, vt eiusmodi homines appellaret *Lollhardos*. Quorum laudabile exemplum imitati ſunt non pauci alii: eoque breui factum, vt per maximam Germaniae et Belgii partem, ſimiles *Lollhardorum* ſocietates, vtriusque ſexus, colligerentur: quae partim ex laboribus manuariis, partim ex eorum, quibus ſeruiebant, aliorumque piorum hominum munuſculis, adipiſcebantur, vnde viuerent. Oppidorum, in quibus degebant, tam magiſtratibus, quam ciuibus, admodum cari erant et accepti eiusmodi fratres et ſorores, ob miniſteria, quae ſua ſponte ſubibant, miſeris et aegrotis, moribundis et mortuis perutilia, quin neceſſaria. Sacerdotes contra, et monachi mendicantes, quorum vel fama et exiſtimatio, vel reditus, non poterant ex eorum inſtituto non capere detrimentum maximum, homines per ſe bonos vehementer premere et vexare, atque apud Pontifices grauiſſimorum tam errorum, quam ſcelerum, accuſare coeperunt. Quia ipſorum aſtu technisque res pedetentim deducta eo eſt, vt vocabulum, alioquin honeſtum, *Lollhardus*, in conuicium abiret, quod paullo ante e MOSHEMII dictis iam intelligi potuit, eoque notaretur homo, qui deceptrice pietatis ſpecie aut flagitia, aut opiniones, religioni ſtabilitae pernicioſas, occultare ſoleret. Succurrebant quidem *Lollhardis* contra aemulos et inimicos, oppidorum magiſtratus commendationibus et teſtimoniis, variasque Pontificum conſtitutiones ipſis aequas et fauorabiles obtinebant, quibus tam inſtitutum

eorum

eorum approbabatur, quam ipsi a quaesitorum religiosorum iurisdictione exemti, non nisi Episcopis subiiciebatur: verum ne sic quidem securi et tuti viuere poterant. Quare CAROLVS, Burgundorum dux, a Sixto IV. Pont. Max. A. MCCCCLXXII. impetrauit, vt *Cellitae*, siue *Lollhardi*, sollemni decreto inter familias religiosas reciperentur, atque adeo Episcoporum potestati subducerentur. Maiora etiam iura A. MDVI. ipsis impertiit Iulius II. Pont. Max. Complura huius generis sodalitia hodieque Coloniae, Aquisgrani, et in Belgii vrbibus superesse, quae tamen a pristino viuendi instituto multum desciuerint, testatur HARTZHEMIVS, qui etiam, quae adhuc dicta sunt, de illis memoriae prodidit. Ceterum etsi multi rerum, in ciuitate Christiana gestarum, scriptores sunt, qui TRITHEMII potissimum verbis adducti, WALTHERVM, natione Batauum, Coloniae comprehensum et combustum, *Lollhardorum* parentem fuisse contendant: MOSHEMIVS *tamen erroris* illius fontem, siquid videre possum, plane indicauit, eumque hominum mysticorum, quos vocant, sententiis imbutum, et praecipuum doctorem *fratrum liberi Spiritus* ad Rhenum morantium, fuisse demonstrauit *). Alio praeterea loco docuit **), *Clericos*, vel *Fratres vitae communis*, qui omnibus sacerdotibus et monachis, eisque verae doctrinae et litterarum humaniorum osoribus, itidem maximo fuerunt odio, a multis temere, vt *Beghardos*, ita *Lollhardos*, appellatos esse. Quid? quod in Anglia et Scotia IO. WICLEFI discipulos, quoniam Pontificum Rom. scita, et sacerdotum mores increpare continuabant, vulgus odioso *Lollhardorum* nomine notare haud dubitauit ***). Quod quam verum sit, testatur THOM. WALSINGHAMVS hisce verbis †):

LOLAR-

*) Institutt. H. E. p. 601. not. *e*.

**) ibid. p. 626.

***) MOSHEM. l. c. p. 629.

†) Histor. Anglic. in Henrico V. et maxime in dedicatoria,

DLARDI, *iidemque Wiclefistae, qui doctrinam euan-licam et apostolicam atque propheticam depravabant, erunt schedulas in valuis ecclesiarum Londinensium* t. item in vita Henrici V. scribit: *Eo tempore facta ondiniis cleri conuocatione per dominum Cantuarien-n, maxime in caussa praedicti Ioannis* (scil. cui *Old-stle*, i. e. Oldcastellius, vel Castri veteris cognomen m erat) *quod idem Ioannes fuit, et est principalis rece-ator et fautor, protector et defensor* LOLARDORVM, *quod praesertim in dioecesibus Londoniensi, Roffensi Herefordensi ipsos* LOLARDOS *ab ordinariis, suis oecesanis* cet. Alio denique loco scribit idem WAL-NGHAMVS: *in Anglia cum Wicleffi haeresis in-er serperet — — — coepta maxime et multa prae-mo perfidiae signifero Ioanne Oldcastle coniuratio est, Henricum Regem opprimendum, eoque caeso ad reli-osorum monasteria euertenda. Verum non est passus us tantum flagitium ad exitum perduci — — — rticipes Regi ipsi insidias — — — patefecere — — iustitiaeque praefectis praecepit, vt in seditiosos ereticos, vulgo* LOLLARDOS *nuncupatos, animad-rterent.* Tum sequitur Regis, quem dixi, edictum, consilio scriptum, item litterae ex Senatus Londinien-actis prolatae, in quibus isti rebelles itidem *Lollardi* pellantur. Ex his omnibus prorsus apparet, hoc no-en, tanquam conuicium, hic, illic, impositum esse minibus, qui plane dissimiles essent eorum, qui pro-ie, et iure quodam suo, *Lollhardi* vocari poterant, ac bebant. Vnum non possum hoc loco non tangere, tequam ad aliud *Beghardorum* cognomen progredior. mirum ex WALSINGHAMI verbis apparet, Wiclefi seclas in Anglia vocatos esse *Lollhardos*: est contra scri-

ia, quam vocat, epistola, 13. et ad A. 1414. n. 15. te quidem RAYNALDO, Tom. XVII. p. 427. et 441. nal. Eccles. ad a. 1413. n.

eorum approbabatur, quam ipsi a quaesitorum religiosorum iurisdictione exemti, non nisi Episcopis subiiciebantur: verum ne illo quidem securi et tuti viuere potuerunt. Quare CAROLVS, Burgundorum dux, a Sixto IV. Pont. Max. A. MCCCCLXXII. impetrauit, vt *Cellitae*, siue *Lollhardi*, sollemni decreto inter familias religiosas reciperentur, atque adeo Episcoporum potestati subducerentur. Maiora etiam iura A. MDVI. ipsis impertiuit Iulius II. Pont. Max. Complura huius generis sodalitia hodieque Coloniae, Aquisgrani, et in Belgii vrbibus superesse, quae tamen a pristino viuendi instituto multum descinerint, testatur HARTZHEMIVS, qui etiam, quae adhuc dicta sunt, de illis memoriae prodidit. Ceterum etsi multi rerum, in ciuitate Christiana gestarum, scriptores sunt, qui TRITHEMII potissimum verbis adducti, WALTHERVM, natione Batauum, Coloniae comprehensum et combustum, *Lollhardorum* parentem fuisse contendant: MOSHEMIVS tamen erroris illius fontem, siquid videre possum, plane indicauit, eumque hominum mysticorum, quos vocant, sententiis imbutum, et praecipuum doctorem *fratrum liberi Spiritus* ad Rhenum morantium, fuisse demonstrauit *). Alio praeterea loco docuit **), *Clericos*, vel *Fratres vitae communis*, qui omnibus sacerdotibus et monachis, eisque verae doctrinae et litterarum humaniorum osoribus, itidem maximo fuerunt odio, a multis temere, vt *Beghardos*, ita *Lollhardos*, appellatos esse. Quid? quod in Anglia et Scotia IO. WICLEFI discipulos, quoniam Pontificum Rom. scita, et sacerdotum mores increpare continuabant, vulgus odioso *Lollhardorum* nomine notare haud dubitauit ***). Quod quam verum sit, testatur THOM. WALSINGHAMVS hisce verbis †):

LOLAR-

*) Institutt. H. E. p. 601. not. *e*.

**) ibid. p. 626.

***) MOSHEM. l. c. p. 629.

†) Histor. Anglic. in Henrico V. et maxime in dedicatoria,

LOLARDI, *iidemque Wiclefistae, qui doctrinam euangelicam et apostolicam atque propheticam depravabant, fixerunt schedulas in valuis ecclesiarum* LONDINENSIUM cet. item in vita Henrici V. scribit: *Eo tempore facta Londiniis cleri conuocatione per dominum Cantuariensem, maxime in caussa praedicti Ioannis* (scil. cui *Oldcastle*, i. e. Oldcastellius, vel Castri veteris cognomentum erat) *quod idem Ioannes fuit, et est principalis receptator et fautor, protector et defensor* LOLARDORUM; *et quod praesertim in dioecesibus Londoniensi, Roffensi et Herefordensi ipsos* LOLARDOS *ab ordinariis, suis dioecesanis* cet. Alio denique loco scribit idem WALSINGHAMUS: *in Anglia cum Wicleffi haeresis indies serperet — — — coepta maxime et mota praecipuo perfidiae signifero Ioanne Oldcastle coniuratio est, ad Henricum Regem opprimendum, eoque caeso ad religiosorum monasteria euertenda. Verum non est passus Deus tantum flagitium ad exitum perduci — — — participes Regi ipsi insidias — — — patefecere — — — iustitiaeque praefectis praecepit, vt in seditiosos haereticos, vulgo* LOLLARDOS *nuncupatos, animaduerterent*. Tum sequitur Regis, quem dixi, edictum, eo consilio scriptum, item litterae ex Senatus Londiniensis actis prolatae, in quibus isti rebelles itidem *Lollardi* appellantur. Ex his omnibus prorsus apparet, hoc nomen, tanquam conuicium, hic, illic, impositum esse hominibus, qui plane dissimiles essent eorum, qui proprie, et iure quodam suo, *Lollhardi* vocari poterant, ac debebant. Vnum non possum hoc loco non tangere, antequam ad aliud *Beghardorum* cognomen progredior. Nimirum ex WALSINGHAMI verbis apparet, Wicleffi adseclas in Anglia vocatos esse *Lollhardos*: est contra scri-

toria, quam vocat, epistola, 13. et ad A. 1414. n. 15. teste quidem RAYNALDO, Tom. XVII. p. 427. et 441. Annal. Eccles. ad a. 1413. n.

ſcriptor non contemnendus, qui *Wiclefum* ex *Lolhardis*, quae docuit placita, didiciſſe contendat *), hosque adeo eius doctores potius, quam adſeclas, exſtitiſſe.

§. VIIII.

Aliud tandem *Beghardorum* nomen ſilentio praetermittere nolo; id tamen non plane nouum et inauditum, ſed ſaepiſſime iam dictum, et durius pronuntiando nonnihil inflexum. Nimirum quos alii *Beghardos* nominabant, eos cum alii Germani *Pyckarden*, tum Bohemi potiſſimum *Picardos*, appellare ſolebant, mutata paullulum et ad duriorem nationis linguam inflexa pronuntiatione. Duplicis autem generis homines in Bohemia ſic vocitati traduntur. Alii fuerunt *fratres et ſorores liberi Spiritus*, quos populares noſtri *Beghardos*, et *Schweſtriones*, Franco-galli *Turlupinos* appellare ſuerant; adeoque homines, myſticorum placitis, non recte intellectis, ita capti et abrepti, vt opiniones longe ineptiſſimas proponerent, et tantum non in manifeſtam delaberentur amentiam. Cuiusmodi hominum ſtulte piorum agmen, duce IOANNE quodam, Pragae primum, tum aliis in locis, poſtremo in inſula quadam, conuentus ſuos ſecretos egiſſe dicitur. E myſticorum inſtitutione praeceptisque, ſed perperam, quod iam dixi, perceptis, peius applicatis, ſecta illa haec quaſi λήμματα ſumſit, aliosque docere, et viuendo exprimere iuſſit: *inſtinctus naturae*, pudorem, verecundiam, ſigna mentis eſſe nondum ſatis purgatae, atque ad naturam diuinam, vnde manaſſet, penitus reductae; eos demum vere perfectos et Deo iunctos eſſe, qui nudorum corporum adſpectu non amplius mouerentur, et, primorum parentum, nondum deprauatorum exemplo, nudi et ſine omni velo cum diuerſi ſexus perſonis libere, ac ſine libidinis ſenſu, ver-

*) FUESSLIN Neue und unpartheyiſche Kirchen- und Ketzerhiſtorie, Zweyter Theil, Abſchn. IIII. Cap. I. S. 32.

versari possent. Quin etiam nunquam fere non fu ore habere solebant praeceptum, religioni, quam profitebantur, consentaneum: *Non esse liberos*, id est, corporis vinculis satis expeditos, atque in Deum conuersos, *qui vestibus et praesertim femoralibus vterentur*; ideoque etiam sine vestimentis ad preces et sacra conuenire, eisque interesse. Quae propter placita, etsi nihil a castitate alienum in concionibus sacris admittebant, tamen in non leuem summae turpitudinis et impudicitiae suspicionem inciderunt. Hinc IO. ZISKA, temere veritatus, quae de illis falso narrabantur, misellos istos adgressus, alios trucidauit, alios igne exstirpari iussit: quod supplicium sectae intrepidae, neceemque supra omnem fidem spernentis homines, laeti ac hilares subierunt. Praeter hos, *Adamitarum* quoque nomine haud raro nuncupatos, isti ex HVSSI adseclis, qui vulgo THABORITAE, a monte *Thabor*, item *Fratres Bohemi*, solent vocari, ab aduersariis itidem *Picardi*, id est, *Beghardi*, appellati sunt. Quid? quod hoc nomen ad *Hussitas* tandem, et Bohemos omnino omnes, qui cum ecclesia Rom. certabant, ab eorum inimicis translatum, adeoque *fratres Picardos* a vulgo dictos esse, satis inter omnes constat*).

§. X.

Superest, vt duo breuiter strictimque, et quantum possum, exponam, quae commentarii antegressi auctor im-

*) Haec omnia fere desumta sunt e MOSHEM. Institutt. H. E. Saec. XV. Part. II. c. 5. p. 637. f. Digna sunt, quae cum his conferantur, ea, quae FVESSLINVS in der neuen und unpartheyischen Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern Zeit, Th. zweyt. Abschn. IIII. Kap. 2. S. 43. ff. exposuit; etiamsi in quibusdam a MOSHEMIO dissentiat. Generosissimus de FRIESE in sacrorum Poloniae et Lithuaniae emendatorum Historia, Germanice scripta, Vol. II. Part. I. p. 98. et 261. obseruat, praeter haereticos alios, *Picardos*, legibus publice sancitis, condemnatos esse Saec. A. C. N. decimo sexto. Quales vero *Picardi* isti fuerint, non anquiris.

erat, nisi *singularitates* quaedam, vti ipsos Sacrorum Antistites vocare videmus, hoc est, singulares sodalitatis leges, mores, sese vestiendi, ingrediendi, interdum stipem petendi, quin et cultui diuino vacandi rationes et consuetudines, et, quam vocabant, publica mendicitas, qua Ordinum mendicantium monachos in primis offendebant. Quae quoniam ad ipsam religionis quasi dominantis naturam et rationem, item ad recepta magistrorum scita et placita minus pertinebant, neque ipsi, vtpote homines illiterati, super similibus capitibus locisque disputando, opiniones nouas, stabilitis contrarias, proponebant et tuebantur: hi homines pietatis vere studiosi, simplices ac modesti, donec tales esse studuerunt, haudquaquam adnumerari poterant eis, quos vulgo *haereticos*, vel *haereseos labe infectos*, nominare solent. Id quod vel HARTZHEMIVS perspexit, pluriesque fassus est *): item *Continuator Guilielmi Nangii*, qui ad A. MCCCXVII. scripsit, *Beguinas, non obstante condemnatione status eorum* (per Clementinas) *processu temporis inualuisse: cum melius longe sit, eas sic esse, quam laxatis habenis in saeculi pompis et vanitatibus euagari: inter ipsas enim sunt multae bonae et religiosae personae, et inter ipsas exercentur opera pietatis* **). Interim inficias ire nolim, in tanto, quantus dicitur, eorum hominum numero fuisse nonnullos inepte pios et religiosos, neque ab omni super variis disciplinae Christianae locis errore immunes: qui tamen ipsis, donec eiusmodi opiniones peruersas haud propagabant, nec crimini poterant dari, nec fidei censorum odium contrahere, ita vt eos studiose indagatos, e medio tollere iuerent.

Mutari nonnihil eorum rationes et laudes, simul ac quidam homines versuti, pietatis simulatores, ad ipsorum

*) Concil. Germ. in Di. Tom. III. p. 623 ff.
gressione ad Saec. XIV. §. III. **) HARTZHEM. l. c.

rum consortia admissi, pari religionis, honestatis, modestiae studio sese insinuarunt, externaque et probabili specie ipsos, homines per se probos et εὐήθεις, sed hanc ipsam ob caussam quoque credulos, simplices; ac tantum non fatuos, misere fefellerunt, et peruersis pedetentim opinionibus infecerunt. Id quod duplicis potissimum generis homines fecisse constat: alii imbiberant ipsi mysticorum, quos vocant, magistrorum sententias, qui has in coitionibus clandestinis, plerumque nocturnis, proponentes, auditorum simplicium, muliercularum maxime, mentes ita quasi infatuarunt, vt super grauissimis disciplinae Christianae mysteriis inconsiderate disputarent, temere iudicarent, et a recta tritaque religionis via aberrarent; quin phantasiae veluti oestro perciti ad facinora perquam obscoena sese abripi sinerent: alii egressi erant e schola Franciscanorum eorum, qui peruersam de Iesu, huiusque legatorum paupertate opinionem amplexi, omnem fere Christianorum perfectionem in paupertate et mendicitate ponebant, ideoque huic non solum ipsi studebant, et alios studere iubebant, sed etiam summis Pontificibus, qui contraria sciscebant placita, vehementissime atque pertinacissime aduersabantur. Vnde hi, perquam callidi, probabili quidem illa, sed deceptrice pietatis et integritatis specie fallentes, sensim sensimque reliquorum magistri facti sunt, et temerarias, quas ipsi imbiberant opiniones, in coitionibus occultis, auditorum simplicium animis instillarunt. Quod quum ita sit, *Beguinos*, a maiorum integritate, pietate, studiisque honestis desciscentes, in duas veluti classes abiisse, adeoque haereses longe diuersas tenuisse, ecquis est, qui non peruideat? Vtriusque placita, si non omnia, certe quidem praecipua, proferre iam placet.

Qui dogmata et placita, e Mysticorum scholis petita, didicerant, et ex loco Paullino (Rom. VIII. 2. 14.) de LIBERTATE CHRISTIANA praue intellecto, nouas, easque non minus prauas effecerant conclusiunculas, vnde

Fratres et Sorores liberi Spiritus vocari fuerant *), eiusmodi docebant, tuebantur et propagabant opiniones, quae ad enuntiata alia, absurda et repugnantia pariter, ac paradoxa, tandem deducebant, et quas homines nequam et scelesti, pietate simulata reliquis imponentes, ad satiandas libidines foedissimas et effrenes vt facillime trahere poterant, ita nonnunquam traxisse reperiuntur. Eorum asseclae, vere quidem, sed non satis prudenter pii atque honesti, sese contendebant veros esse Dei filios, ideoque in plenissimam a lege libertatem vindicatos. Vnde, si non omnes, certe quidem plerique, insolitis amicti vestimentis, incedere per vrbes et agros, panem clamitando poscere, labores quasi detestari sunt soliti, propterea quod mentem eis impediri aiebant, quo minus ad Deum sese attollere, et res, ad eum pertinentes, recte contemplari posset. Alii, male persuasi, omnia, vt ex Deo manassent, ita in eum reuersura temere credebant, aliosque docebant; mentes, ratione praeditas, ipsius Supremi Numinis particulas, totamque rerum vniuersitatem Deum esse; hominem, anima a rebus sensus ferientibus auocata, et in semet ipsam quasi adducta et inuoluta, rerum omnium parenti et caussae, ratione quadam inexplicabili, coniungi, et vnum cum ipso fieri posse; eum denique longa contemplatione in diuinitatis voraginem immersum, summam libertatem consequi, nec libidines tantum omnes, verum ipsos etiam naturae instinctus amittere. Ex quibus inconsiderate stolideque sumtis, et similibus, efficiebant, hominem, hac via et ratione elatum, et a diuina natura velut absorptum, ipsum esse Deum, et talem, qualis Christus, Dei filium, eaque re supra leges

Pp 2 omnes,

*) MOSHEM. Institutt. H. E. p. 551. ff. De Mysticis in vniuersum disputauit FVESSLIN. in der neuen und unpartheyischen Kirchen- und Ketzerhistorie, idque volumine tertio et postremo p. 1. ff. quae recte animis expendantur, necesse est.

omnes, et diuinas et humanas, euectum; omnem religionem vnice interiori Dei cultu, spreto externo, contineri, ideoque leges per ecclesiam et Pontifices sancitas, regulas monachorum, cetera instituta sacra, ab hominibus vere perfectis, sperni et posse et debere. Qui ceteris deteriores erant, et stulte non minus, quam periculose pii, eiusmodi placitis praue et malitiose detortis, contenderunt, perpetua contemplatione ex anima pelli et exturbari omnes naturae instinctus posse, et stuporem quemdam sanctum et diuinum in mentes induci. Opinionem tam dementem qui asserebant, abiectis plerumque vestibus, si non omnibus, certe quidem femoralibus, secretiores celebrabant conuentus, nudique cum sororibus suis, siue Schwestrionibus, aliisque mulieribus, lecto cubabant. Verecundiam enim et pudorem signa dicebant esse mentis, a sentiente anima et libidinosa nondum satis segregatae, nec ad fontem suum, diuinam, puta, naturam, reuocatae: et qui stimulos naturae adhuc aut sentiat, aut aspectu et tactu diuersi sexus corporum inflammetur, et moueatur, aut denique surgentes forte motus comprimere et domare nequeat, eum longissime a Deo adhuc abesse. Quin tali et tanto in globo fuerunt, qui his et similibus praeceptis ad omnem nequitiam abvterentur, nec docere vererentur, hominem diuinum, seu cum Deo intime copulatum, peccare non posse, quidquid demum peragat: quod placitum, vecors sane et impium, alii aliter, nec omnes eodem modo, interpretati sunt. Atque haec fere sunt praecipua et primaria quasi lemmata, quorum cauillatione foeda, foedoque abusu factum constat, vt homines flagitiosi nonnunquam, globo tam confuso temereque mixto sese adiungentes, eximiae pietatis adspectu pedetentim ita caperent aeque bonas et honestas, ac simplices animas, vt eorum libidini seruire ne minimum quidem dubitarent. Nequitiae tam exsecrandae specimina supra iam allata, rem, vt dixi, euenisse, demonstrant. Quibus dictis, lector quisque

per

per se videbit, quo ex fonte manauerint octo illi errores, quos Clemens V. P. M. in bulla, contra *Beguinas* scripta *), reprobandos esse censuit; et in quos, eodem Antistite supremo iudice **), delapsi sunt multi, *Beguinae* potissimum, temere et inconsiderate de Summa Trinitate et diuina essentia disputando, ac contra fidei articulos et sacramenta ecclesiastica disserendo. Eos singulos huc transscribere non opus esse opinor: adeat, qui ipsos legere auet, tam Pontificum bullas super ea caussa scriptas, quam auctoris eruditissimi commentarium antegressum, vna cum Institutionibus Historiae Ecclesiasticae ***).

Progredior igitur ad *Beghardorum* et *Beguinarum* placita ea, qui *Franciscanorum tertii Ordinis*, quos *Poenitentiarios*, vulgo *Fraterculos*, *Fratricellos*, *Fraticellos de la opinione* vocabant, pietate simulata et deceptrice capti, eorum vt opiniones sensim amplexi sunt, ita vitae rationem et exemplum imitati. Hos potissimum, tanquam rebelles reip. Christianae ciues, quoniam Pontificum Rom. auctoritati, legibus et decretis pertinacissime aduersabantur, inuadi vexarique voluerunt Antistites Summi ab omnibus, quibus religionis Christianae integritas, quae iactabatur, verius autem Sedis Romanae incolumitas atque auctoritas, curae cordique erat. Cui sectae qui adscripti erant *Beguini*, paupertatem voluntariam in primis, veluti certissimum verae pietatis et perfectionis Christianae signum et laudare, et commendare soliti sunt: quin Seruatoris O. M. et legatorum suorum exemplum sese mendicando exprimere crediderunt. Error hic, Iesum nempe huiusque legatos nihil nec in proprio, nec in communi (sic loquebantur) habuisse, qui per se quidem momentum ad religionem vel tuendam, vel euertendam, habet nullum,

*) v. Append. poster. Num. III.

**) ibid. Num. IV. et VI.

***) p. 551. sf.

eius matrem (et aliqui addunt, post Apostolos) fuit summus et praecipuus obseruator vitae et regulae euangelicae, ac renouator eius in isto statu sexto [8]) Ecclesiae, in quo dicunt iam nos esse; VIIII. quod regulam, sancti Francisci dicunt esse Euangelium Christi, ac verbum, et idem esse cum euangelio Christi; X. quod quicunque impugnant, vel [9]) contradicunt in aliquo regulae S. Francisci, (quam dicunt esse euangelium) impugnant et contradicunt euangelio Christi, et per consequens errant, et sunt haeretici, si in hoc perseuerant; XI. quod sicut Papa, vel aliquis alius, non potest aliquid immutare in euangelio [10]), nec addere, nec subtrahere ex eodem, ita non potest aliquid immutare in praedicta regula, nec addere, nec subtrahere ex eadem, quantum ad vota, seu consilia euangelica ac praecepta, contenta in ipsa; XII. quia dicunt, quod Papa non potest dictam regulam [11]) S. Francisci cassare, vel immutare; nec [12]) tollere ordinem S. Francisci, quem euangelicum ordinem esse dicunt. Idem dicunt de tertia eius regula; XIII. quia dicunt, quod Papa non potest facere constitutionem vel decretalem, per quam dispenset ac [13]) concedat Fratribus Minoribus, quod possint habere bladum vel vinum [14]) ad seruandum [15]) in communi, in granariis vel cellariis, pro tempore futuro ad suum vsum, seu victum necessarium: et quod hoc [16]) esset facere contra euangelicam regulam S. Francisci, et euangelium Christi; XIV. quoniam dicunt, quod dominus Papa Ioannes [17]) XXII. faciendo quandam constitutionem, quae incipit: *Quorumdam* cet. in qua di-

8) *sexto statu.*
9) *in*, perperam.
10) *in eu. Christi;*
11) *praedictam regulam Euangelicam.*
12) *ac.*
13) *et.*
14) *et vinum.*
15) *conseruandum.*
16) *hoc*, abest.
17) *dom. Ioannes Papa.*

XVIII. quod si aliquis frater Minor factus fuerit Episcopus, vel [25]) Cardinalis, vel etiam Papa, tenetur seruare votum paupertatis, a se prius factum, secundum regulam S. Francisci; XIX. quia dicunt, quod perfectior status, qui sit in ecclesia Dei, est status ordinis [26]) fratrum Minorum, qui paupertatem Euangelicam vouerunt et promiserunt: nec status praelatorum ad perfectionem eius pertingit: sed illi praelati, qui de ordine fratrum Minorum assumuntur, vbi paupertatem Euangelicam promiserunt [27]), ad quam seruandam sunt perpetuo obligati, ad eandem perfectionem pertingunt, si votum seruauerint a se prius factum; XX. quia dicunt, quod illi quatuor fratres Minores, qui sub [28]) anno Domini MCCCXVI. [29]) apud Marsiliam, per Inquisitorem haereticae prauitatis, qui etiam erat de ordine fratrum Minorum, fuerunt velut haeretici condemnati (ex hoc, vt ipsi dicunt, quod volebant seruare et tenere puritatem et veritatem, et paupertatem regulae dictae [30]) S. Francisci, et quia nolebant assentire [31]) in laxationem regulae, nec recipere dispensationem praedicti domini papae factam super illam [32]), nec sibi nec aliis super hoc obedire) fuerunt condemnati iniuste, pro [33]) veritate euangelicae regulae [34]) defendenda: et ideo dicunt ipsos non fuisse haereticos, sed catholicos, et etiam martyres gloriosos, ipsorumque implorant orationes et suffragia apud Deum; XXI. quia dicunt multi ex eis, se credere, eos esse non minores martyres, nec [35]) minoris meriti apud Deum, quam

 sanctos

25) *vel*, abest.
26) *ordinis*, abest.
27) verba: *nec status praet. — — — — paup. ev. promiserunt*, omissa sunt.
28) *sub*, deficit.
29) *MCCCXVIII.* quod verius est.
30) *dictae regulae.*
31) *consentire.*
32) *illa.*
33) *et pro.*
34) *reg. euang.*
35) *et nec.*

sanctos Laurentium et Vincentium martyres; XXII. quod quidam ex ipsis 36) dicunt, quod in ipsis quatuor fratribus Minoribus, fuit Christus iterum spiritualiter crucifixus, tanquam in quatuor brachiis crucis, cum paupertas Christi, et vita eius fuerint in ipsis condemnatae 37); XXIII. quia dicunt, quod si dominus noster Papa mandauit, ac consensit 38), quod praedicti quatuor fratres Minores fuerint per Inquisitorem velut haeretici condemnati, ex hoc ipse factus 39) est haereticus, et maior etiam inter alios, cum 40) deberet ipse, sicut caput ecclesiae, perfectionem euangelicam defendere, et 41) ideo (vt dicunt) papalem perdidit potestatem, nec etiam credunt ipsum esse papam, et quod non est ei obediendum in aliquo a fidelibus, et quod ex tunc vacauit 42) Papatus; XXIV. quia dicunt, quod omnes illi Beguini vulgariter appellati, qui se ipsos *fratres de poenitentia, de tertio Ordine S. Francisci* appellant, qui in istis tribus annis praecedentibus, videlicet ab anno Domini MCCCXVIII. vel circa, fuerunt per iudicium praelatorum et Inquisitorum 43) haereticae prauitatis, velut haeretici condemnati in prouincia Narbonae, et in Capite stagni, et Biterris, et apud Lodonam, et in dioecesi Agatan. et apud Lunellum, et Magalonen. dioecesi. qui credebant, praedictos quatuor fratres Minores esse sanctos martyres 44), et credebant, et tenebant, et sentiebant, sicut ipsi de paupertate Euangelica, et de potestate papae, videlicet quod eam perdidit 45), et quod sit factus haereticus, et quod 46) etiam praelati et inquisitores, qui dictos fratres persecuti fuerunt, ex hoc facti

36) *eis.*
37) *fuit i. i. condempnata.*
38) *consentiit*, per errorem.
39) *ex hoc ipso facto.*
40) *quoniam.*
41) *et*, abest.
42) *vacabat,*
43) *inquisitorem.*
44) *martyres*, abest.
45) *perdiderit.*
46) *quod*, deest.

facti sunt haeretici, et quod doctrina fratris Petri Ioannis olim [47]) tota erat vera et catholica, et quod ecclesia carnalis, scilicet [48]) Romana ecclesia, erat Babylon meretrix magna, destruenda et deiicienda, sicut olim destructa fuit Synagoga Iudaeorum, incipiente ecclesia primitiua: tales etenim [49]) Beguini, quamuis praedicta omnia crederent, et defenderent, fuerunt (vt dicunt) [50]) iniuste condemnati, et pro veritate defendenda, et non fuerunt haeretici, sed catholici, et dicunt, eos esse [51]) coram Deo martyres gloriosos; XXV. quia dicunt, quod ecclesia Dei adhuc recognoscet, quod dicti quatuor fratres Minores, et dicti Beguini, qui fuerunt velut haeretici condemnati, sunt sancti martyres, et de eis fiet solemne festum in ecclesia, sicut de aliis [52]) magnis martyribus; XXVI. quia dicunt, quod Praelati et Inquisitores, qui ipsos iudicauerunt et condemnauerunt velut haereticos, et etiam omnes illi, qui consenserunt, ac [53]) consentiunt scienter in condemnationibus eorum, ex hoc facti sunt haeretici, si in hoc perseuerant: et ex hoc perdiderunt ecclesiasticam potestatem ligandi et soluendi [54]), et administrandi [55]) ecclesiastica sacramenta, nec est eis obediendum a fidelibus Christianis; XXVII. quia dicunt, quod omnes et singuli praedicti, quos dicunt esse [56]) factos haereticos propter praedicta, non sunt de [57]) ecclesia Dei, nec de numero fidelium: sed sunt extra ecclesiam, si in hoc perseuerant; XXVIII. quia dicunt, quod omnes illi, qui tenent et credunt, sicut ipsi Beguini, seu fratres pauperes de [58]) tertio ordine,

cre-

47) *Oliui*: quod verius arbitror.

48) *videlicet.*

49) *tales inquam.*

50) abest, (*ut dicunt*)

51) *esse eos.*

52) *aliis*, abest.

53) *et.*

54) *absoluendi.*

55) *administranda*, perperam.

56) *esse*, abest.

57) *non s. ecclesia aut de*;

58) *seu fr. pauperes*, *fratres de.*

credunt et tenent [59]) de praedictis omnibus: et sicut tenuerunt et crediderunt illi, qui fuerunt veluti [60]) haeretici condemnati, et etiam alii fideles, qui non sunt de tertio ordine, siue sint clerici, aut [61]) religiosi, aut [61]) laici, qui credunt aut [61]) tenent de praedictis, sicut ipsi Beguini; omnes, inquam, tales (vt aiunt) sunt ecclesia Dei, ac de ecclesia Dei [62]), et intra ecclesiam Dei viuunt; XXIX. quod multi Beguini et Beguinae, ac etiam credentes ipsorum erroribus [63]), recollegerunt occulte ossa combusta, et cineres praedictorum combustorum, qui fuerunt velut haeretici condemnati, ad conseruandum sibi pro reliquiis, et tanquam reliquias sanctorum osculabantur et venerabantur, sicut aliorum sanctorum ob deuotionem et reuerentiam eorumdem: sicut compertum extitit, et inuentum per inquisitionem et confessionem, ac confessiones [64]), ac depositiones quorumdam Beguinorum receptas in iudicio, qui [65]) talia secum habebant, et alios habere et habuisse viderant, et sciebant: sicut quoque nos inquirentes de talibus reliquiis, apud eos inuentis, palpauimus, et vidimus, et fide probauimus oculata; XXX. quod aliqui ex Beguinis scripserunt, et notarunt [66]) nomina praedictorum condemnatorum, et dies [67]) siue Calendas, in quibus passi fuerunt, sicut martyres (vt ipsi asserunt) secundum quod ecclesia Dei de sanctis et iustis martyribus facere consueuit: et nomina eorum adnotauerunt in suis Calendariis, et in suis inuocant Litaniis [68]); XXXI. quod Papa [69]) non potest dispensare cum aliqua persona in voto virginitatis, seu castitatis, etiam si votum [70]) id fuerit simplex, et

59) *tenens et credunt.*
60) *velut.*
61) *ac.*
62) verba *ac d. ec. Dei*, absunt.
63) *erroribus*, abest.
64) *imo. per inquisitiones et confessiones.*
65) *quod.*
66) *vocauerunt.*
67) *dies*, abest.
68) *Letaniis.*
69) *quia dicunt, quod P.*
70) *votum*, abest.

et non solemne, quantumcunque etiam ex tali dispensatione sequeretur aliquod magnum bonum ciuitatis [71]): puta, reformatio pacis alicuius prouinciae siue regni: vel conuersio vnius gentis ad fidem Christi: quia persona, cum qua dispensaretur, de maiori et altiori gradu perfectionis suae descenderet ad minorem; XXXII. quia dicunt, quod si omnes mulieres essent mortuae, excepta vna, quae vouisset castitatem vel virginitatem Deo, et [72]) etiam si genus humanum deficeret, nisi talis mulier contraheret, Papa non posset cum tali muliere dispensare: nec talis mulier teneretur obedire Papae praecipienti, vt contraheret, et si obediret, mortaliter peccaret, et si propter [73]) hoc excommunicaretur per Papam, talis excommunicatio esset iniusta, et eam non ligaret: et si sustineret propter hoc mortem, esset martyr; XXXIII. quia dicunt, quod non tenentur iurare coram Praelatis et Inquisitoribus, quamuis delati sint de secta, et haeresi Beguinorum ad respondendum eis, nisi solum de fide, ac [74]) articulis fidei; XXXIV. quia dicunt, quod si excommunicarentur propter hoc, quia recusant iurare simpliciter, et absolute de veritate dicenda in iudicio de requisitis [75]), nisi tantum de articulis fidei et praeceptis, ac sacramentis: et quia nolunt de aliis respondere, et quia recusant suos complices reuelare, quod talis excommunicatio est iniusta, et quod non ligat eos; XXXV. quia dicunt, quod Papa non potest secundum Deum inhibere Beguinis etiam per sententiam excommunicationis, quod non viuant de mendicitate, quamuis possent laborare, et de arte sua victum sibi congruum procurare, nec tenentur sibi obedire: et si propter [73]) hoc condemnarentur ad mortem, dicunt, quod essent martyres gloriosi; XXXVI. quia dicunt, et asseuerant [76]), quod tota doctrina, et scriptura fratris

71) *communitatis.*
72) *et*, abest.
73) *super.*
74) *et.*
75) *in iud. requisiti.*
76) *asserunt.*

tris Petri Ioannis olim [77]) de ordine Fratrum Minorum, est vera et catholica, et eandem credunt, et dicunt, fuisse ei [78]) a Domino reuelatam, et dicunt, fratrem Petrum Ioannem hoc ipsum, dum viuebat, suis familiaribus reuelasse; XXXVII. quod fratrem Petrum Ioannem communiter vocant sanctum Petrum non canonizatum, quia dicunt ita eum esse martyrem [79]); XXXVIII. quia dicunt, eum esse ita [80]) magnum doctorem, quod ab Apostolis et Euangelistis citra, non fuit aliquis maior eo: et aliqui addunt, quod fuit maior in sanctitate et doctrina; XXXIX. quia dicunt aliqui ex eis, eundem fratrem Petrum Ioannem veritatem tenuisse et dixisse, in eo, quod dixit et tenuit, quod Christus viuebat, quando fuit pendens [81]) in cruce, in [82]) latere lanceatus, dicentes quod anima Christi secundum rei veritatem adhuc erat in corpore, sed quia Christus erat multum exinanitus, ideo aspicientibus mortuus videbatur: Ioannes autem Euangelista ideo dicit, eam [83]) tunc esse mortuam, quia mortuus apparebat, Matthaeus autem Euangelista [84]) scripsit, quod Christus tunc viuus erat, quia secundum rei veritatem ita erat, sed [85]) ecclesia abrasit hoc de Euangelio [86]) Matthaei, ne Ioanni Euangelistae contrarius videretur; XXXX. quia dicunt, quod scriptura et doctrina praedicti fratris Petri Ioannis sunt magis necessariae Ecclesiae Dei pro isto tempore finali [87]), quam aliquae aliae scripturae quorumcunque doctorum et sanctorum, exceptis scripturis Apostolorum et Euangelistarum: quia (vt dicunt) ipse magis declarat, et dat intelligere malitiam Antichristi, et discipulorum eius, vide-

77) *olim.*
78) *ei fuisse.*
79) verba: *quia dic. i. e. e. martyrem*, absunt; recte.
80) *ita*, abest.
81) *qu. pendebat.*
82) *et.*
83) *Euang. scripsit eum.*
84) *Euangelista*, deest.
85) *quod Ch. viuus erat secundum rei verit. sed.*
86) *Euangelista*, male.
87) *finali*, abest.

videlicet Pharisaeorum, quos dicunt esse praelatos et religiosos moderni temporis [88]); XXXXI. quia dicunt, quod illi, qui non recipiunt doctrinam eius, sunt caeci: et illi, qui reprobant eius doctrinam, et condemnant, sunt haeretici; XXXXII. quia dicunt, quod si Papa condemnaret doctrinam vel scripturam fratris Petri Ioannis, condemnando eam esset haereticus, quia condemnaret vitam et doctrinam Christi; XXXXIII. quia dicunt (prout inueniunt in postilla fratris Petri praedicti super [89]) Apocalypsim) ecclesiam carnalem, per quam intelligunt Romanam ecclesiam, non solum pro ipsa Roma [90]), sed quantum se extendit Romani imperii latitudo, esse illam Babylonem meretricem magnam, de qua loquitur Ioannes in Apocalypsi: et de ipsa exponunt et intelligunt, quae leguntur [91]) ibidem, videlicet, quod ipsa est ebria de sanguine martyrum Iesu Christi: et exponunt de sanguine illorum quatuor fratrum Minorum, qui fuerunt apud Marsiliam combusti, vt haeretici condemnati, et de sanguine Beguinorum de tertio ordine, qui fuerunt in istis retro annis tanquam haeretici condemnati et combusti in prouincia Narbonensi: sicut superius plenius continetur, quos asserunt esse martyres Iesu Christi; XXXXIIII. quod dogmatizant [92]), quod ecclesia carnalis, videlicet Romana [93]) ecclesia, ante praedicationem Antichristi est destruenda [94]) per bella, quae contra ipsam faciet [95]) Fredericus, Rex Siciliae [96]), qui tunc regnabat cum complicibus suis, qui vocantur decem Reges, qui intelliguntur per decem cornua bestiae, de quibus scribitur in Apocalypsi. Et quaedam alia de Rege Frederico contra Regem

88) *modernis temporibus.*
89) *Pet. Iohannis super.*
90) *Romana,*
91) *quod legitur.*
92) *dogmatizabant olim.*
93) *quod videlicet ec. car. fuit Rom.*
94) *Ant. destruenda erat.*
95) *faceret.*
96) *Siciliae, abest.*

qui appellati sunt Fraticelli in Italia, et tertiam dicunt esse tam in fratribus, quos vocant spirituales, seruantibus puritatem regulae sancti Francisci, quam in fratribus de tertio ordine, eisdem adhaerentibus: et primae duae partes (vt aiunt) destruentur, et tertia remanebit [110]) vsque ad finem mundi duratura: quia (vt aiunt) beato Francisco sic fuit a Deo promissum; XXXXVIII. quia dogmatizant esse duplicem Antichristum, videlicet vnum spiritualem seu mysticum, et alium realem, maiorem Antichristum [111]), et primum dicunt esse praeparatorem viae secundi: et dicunt esse primum [112]) Antichristum illum Papam, sub quo fiet, et sub quo iam fit (vt aiunt) persecutio et condemnatio eorumdem; XXXXIX. quod determinant tempus, infra quod maior veniet Antichristus, et incipiet praedicare, et finiet cursum suum: quem Antichristum iam dicunt esse natum, et finiet (secundum quosdam ex eis) cursum suum circa [113]) annum, quo computabatur incarnatio Domini anno MCCCXXXI. L. quia dogmatizant, quod illi viri spirituales, quos vocant euangelicos, in quibus et per quos fundabitur ecclesia, mortuo Antichristo, praedicabunt XII. tribubus Israel, et conuertentur de qualibet tribu duodecim milia, qui simul congregati [114]) erunt centum quadraginta quatuor millia: et haec erit militia signata per Angelum, habentem signum Dei viui, et exponunt de beato Francisco, qui habuit stigmata vulnerum Christi: quae militia primo pugnabit cum Antichristo, et per eum occidetur ante aduentum Heliae et Enoch; LI. quia dicunt, quod tempore persecutionis Antichristi, ita affligentur Christiani carnales, quod desperati dicent, quod si Christus esset Deus, non permitteret,

110) *manebit.*

111) verba: *videlicet vn. sp. s. m. et al. r. m. Antichristum,* omissa sunt.

112) *dic. etiam pr.*

113) *infra.*

114) *q. sim. omnes congr.*

et Herodem, qui Christum illudendo derisit: quia, vt dicunt, ipse condemnat vitam Christi, et deridet Christum in pauperibus suis; LV. quia dicunt, ipsum Papam esse aprum de silua, et singularem ferum [124]), exterminantem et destruentem maceriam seu clausuram ecclesiae Dei: ita vt in eam possint [125]) ingredi canes et porci, id est, homines [126]), qui perfectionem vitae euangelicae [127]) dilacerant, atque [128]) conculcant, et dicunt, quod plus facit [129]) de malo in ecclesia, quam omnes haeretici praecedentes: quia [130]) tempore haereticorum manebat ecclesia in statu suo: nunc vero tempore eius, carnalis ecclesia destruetur, quia [130]) ipse solus cum duobus Cardinalibus fugiet, et latitabit, et morietur prae tristitia et dolore. Atque haec quidem ex Eymerici Directorio *) huc transscribere visum est, vt id, quod commentarii auctor immortalis pollicitus quidem est, exsequutus vero non item, ex parte supplerem, et singulatia hominum, de quibus quaeritur, placita et somnia plenius perspici possent. Opus qui inchoauit, si idem perficere potuisset, haud dubie plura protulerit e Codice MS. quem manibus versabat: quippe quo continebantur *octoginta nouem* sententiae *Beghardorum*, e quibus vnam protulit **). Haec vt prorsus desideratur in Eymerici libro, quem ego habui; ita non temere suspicari mihi videor, complura alia, quae ad hunc locum pertineant, et scitu necessaria sint, eodem codice contineri. Optabile igitur est, vt librum, si non eumdem, certe quidem geminum, alicubi offendat vir eruditus, rerum similium amans, qui, quod ad

 rem

124) in Cod. MS. ita scriptum est, vt *feram* legere possis.
125) *possent.*
126) *porci. Idem sunt hom.*
127) *euang. vitae.*
128) *et.*
129) *fecit.*
130) *et.*
*) Secunda Parte, Quaest. XV. p. 281. ff.
**) Institt. H. E. p. 555. not. *s.*

ſato ſingulari (viuus enim magna ſanctitatis et doctrinae fama floruit; mortuus haereſiarcha eſt habitus, eiusque oſſa ſepulcro extracta ſunt, et combuſta) inclutus: eodem autem aſpere ſimul et grauiter increpuerat morbos et vitia religionis Romanae; quin aſſeuerare non dubitarat, Romanam eccleſiam eſſe Babylonem, meretricem illam magnam. Qua de cauſſa Franciſcani illi *Spirituales*, quos et *Fraticellos* et *Beguinos* appellatos eſſe, ſupra demonſtratum eſt, viri minime obſcuri placitis et opinionibus religioſis adeo capti ſunt, vt eis penitus adſtipularentur: ipſe vero, propter aſſenſum adeo temerarium, horum parens et magiſter haberi ſoleret. Quo dementiae in eo colendo progreſſi ſint *Fraticelli*, ſatis, reor, videre licet ex eorum erroribus, quos paullo ante enumeraui. Hinc mirum non eſt, ſi eum, vel mortuum, hanc ipſam ob cauſſam, maximo perſequuti ſint odio Pontifices Maximi et quaeſitores religioſi: quod ex pluribus *Directorii Eymericiani* locis intelligi poteſt. Reliqua eius ſcripta etiamſi rei et auctoritati Pontificiae non magis fauebant, pari tamen nec cupiditate, nec applauſu, lectitata ſunt, neque etiam in concertatione ſuper *mendicitate* a Franciſcanis, veluti arma, vſurpata. *Fraticellorum*, ſiue *Beguinorum*, cauſſae patrocinabatur etiam MICHAELIS CAESENATIS liber contra Pontifices, de duriore S. FRANCISCI regula multum remittentes: quin ipſius quaſi ductu, bellum illud diuturnum, et Pontificibus exitioſiſſimum, motum eſſe conſtat. Plura de hoc viro expoſuit MOSHEMIVS. Antecellunt multis aliis GVIL. OCCAMI, viri in primis ſubtilis et acuti, *Dialogi*, et reliqui libri, qui a plerisque auide lecti, et ad poſteros propagati ſunt, propterea quod maieſtati Pontificiae quam maxime aduerſabantur; et quos, hanc ob cauſſam, manibus verſare grauiter vetabant fidei cenſores. Hanc in claſſem referuntur etiam *Magiſtri* ARNOLDI *de Villa noua*, medici, libri varii ſuper rebus religioſis, vt, *libellus de humilitate et*

Quae enim de diuinae naturae distinctione in tres personas tradunt sacri libri; ea omnia homines, huiusmodi placitis imbuti, negarunt ad verbum intelligi debere: ideoque e reconditae disciplinae suae sensu interpretati sunt. Quod quoniam faciebant, non iniuria reprehensi sunt et reprobati variis Pontificum decretis. Ceterum hic scriptoris ἀνωνύμου liber plane discrepat ab alio, eisdem verbis inscripto, et eadem fere placita seu paradoxa inculcante, quem aliquamdiu post HENRICVS SVSO, e D. Dominici familia, celeberrimus inter mysticos scriptor, confecit, quique in reliquis SVSONIS libris a LAVRENTIO SVRIO editus est. Id quod ὁ πάνυ MOSHEMIVS alio loco, quo de varii generis *Beghardis* et *Beguinabus* breuiter strictimque disputabat *), lectores ignorare noluit.

Atque haec quidem habui, quibus *commentarii Moshemiani* fragmentum, quod tandem in lucem exire iubeo, augere et quodammodo supplere possem. Quae qui ab erudito et ingenioso Viri immortalis labore, mirum quantum, distare videt, is animo secum reputet, Ipsum hunc inchoasse commentarium ab eiusmodi praesidiis instructum, quae vt sibi parare possit, nemini facile continget. Feci in eo promulgando, non quantum volui, sed quantum potui: et magnis in rebus, quod vir quisque prudens et aequus largitur, voluisse sat est.

*) l. c. p. 554. not. *s* extr.

„non receptae, sint penitus reprobatae. Et mandatur „vniuersis Plebanis, per ciuitates, Dioecesim et prouin„ciam Moguntinas constitutis, vt eosdem Beghardos pu„blice, tribus diebus Dominicis vel Festiuis ammoneant, „vt huiusmodi singularitatibus derelictis, se teneant, sicut „alii Christiani, et quod non praedicent in cauernis, vel „in aliis locis secretis, et non conueniant cum Beguinis, „se conformantibus eisdem in moribus, habitu et in„cessu: alioquin extra parochias suas expellant. Idem „etiam de Beguinis pestiferis statuimus."

II.

Bulla BONIFACII VIII. Pont. Max. qua anno MCCLXXXXVII. *Matthaeum* de Theate, in Minoritarum sodalitium adlectum, quasi armauit in Franciscanos, *Spirituales* qui dicebantur, vel *Fraticelli della Opinione*, item *Bizochi* vel *Beguini;* eique ius et potestatem in illos animaduertendi largitus est *).

A. 1297. BONIFACIVS, cet. Matthaeo de Theate, Ordinis Minorum, inquisitori haereticae prauitatis in prouincia B. Francisci, cet.

Ad nostram nuper audientiam est deductum, quod nonnulli diuersarum religionum apostatae, nec non et alii nullam de approbatis religionibus professi, qui *Bizochi*, seu alio nomine se appellant, non obstante prohibitione seu ordinatione, alias tam per nos, quam per alios ex praedecessoribus nostris facta, et habita circa tales, in montibus Aprutinis, seu in illis finibus Aprutii et Marchiae Anconitanae, ac terris circumpositis finibus illis, se, tanquam in cubilibus struthionum, in vestimentis ouium receptantes; velut lamiae nudatis mammis catulos suos lactant, dogmatizando palam diuersos

*) v. Raynald. Annal. Eccles. ad a. 1297. Vol. XIV. p. 512. sequ.

poribus, et prauitas haeretica de finibus fidelium exstirpetur) non sine displicentia grandi peruenit auditum, quod secta quaedam abominabilis quorumdam hominum malignorum [1]), qui *Beguardi* [2]), et [3]) quarumdam mulierum infidelium, quae *Beguinae* [4]) vulgariter appellantur, in Regno Alemanniae [5]) (procurante fatore malorum operum) damnabiliter insurrexit [6]), tenens et asserens doctrina sua sacrilega [7]) et peruersa, inferius designatos errores: *Primo* videlicet, quod homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur [8]) penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit: nam (vt dicunt) si quis semper posset [9]) proficere, posset aliquis Christo perfectior [10]) inueniri. *Secundo*, quod ieiunare non oportet hominem, nec [11]) orare, postquam gradum perfectionis huiusmodi [12]) fuerit assequutus: quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subiecta, quod homo potest libere concedere corpori [13]), quicquid placet [14]). *Tertio*, quod illi, qui sunt in praedicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanae subiecti obedientiae, nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur: quia (vt asserunt) vbi Spiritus Domini, ibi libertas. *Quarto*, quod homo potest ita [15]) finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti [16]) assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. *Quinto*, quod [17]) quaelibet intellectualis natura in [18]) se ipsa

1) *malign. hominum.*
2) *Beghardi.*
3) *ac.*
4) *Beghinae.*
5) *Almaniae.*
6) *surrexit.*
7) *sortilega*, haud dubie per errorem.
8) *et redditur.*
9) *possit.*
10) *perfectius.*
11) *vel.*
12) *perfectionis huius gradum.*
13) *corp. conc.*
14) *sibi placet.*
15) *ita*, abest.
16) *in praesenti*, abest.
17) *quod*, deficit.
18) *in*, deest.

V.

IOANNIS XXII. Pont. Max. bulla, siue lex, qua *Beghardorum* et *Beguinarum* sectam reprobat ac detestatur *).

Sancta Romana atque vniuersalis ecclesia, cui auctore domino licet immeriti praesidemus, sicut religiosa et pia vota [1]) benigno fauore prosequitur, ita [2]) superstitiosos conatus insolentium hominum detestatur, ne [3]) sub ouina pelle gregem dominicum truculenta lupi rapacitas [4]) inuadat, sub pietatis [5]) ymagine virus haereticae prauitatis obrepat, et sub praetextu conuersationis angelicae incautis mentibus spiritus malignus illudat. Cuius rei gratia sacris est canonibus interdictum [6]), ne aliquis nouum ordinem aut [7]) religionem inueniat, vel habitum nouae religionis assumat, sed quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis; nonnulli tamen prophanae [8]) multitudinis viri, qui vulgariter *Fratricelli*, seu *Fratres de paupere vita*, aut *bizoti* [9]), siue *beghini* [10]), vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Ytalie, nec non in [11]) insula Cicilie [12]), comitatu prouinciae, Narbonensibus et Tolosanis [13]) ciuitatibus et prouinciis [14]), aliisque diuersis citra-marinis A. 1317. vel 1318.

*) Profertur ex Cod. MS. Helmstad. Directorii Officii S. Inquisitionis Eymerici, vbi bis reperitur, sed lectione non nihil diuersa. Discrepat quoque in paucis a lectione, quae in Boehmer. Iuris Can. editione nouissima reperitur. Hanc lectionis varietatem subiungere placet.

1) *et pia vota*, desunt in Alt.

2) *sic*, Alt. et Boehmer.

3) *videlicet ne*, A. et B.

4) *truculentia lupi rapacis*, A. et B.

5) *pietatis*, deest in A. perperam.

6) *sacris can. est inter.* A. et B.

7) *ac*, A.

8) *prophani*, A. male.

9) *ac bytzochii*, A. *Bizochi*, B.

10) *begini*, A. *Beguini*, B.

11) *nec non et in*, A.

12) *Siciliensi*, B.

13) *Tholos.* B.

14) *ciu. et dioecesibus et prou.* A. et B.

vendi ritum sibi [34]) a quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis ecclesiarum praelatis concessum sibi aiunt [35]), quibus huiusmodi concedere non licuit, contra suam formam [36]) concilii generalis. Nonnulli etiam ex ipsis asserentes se esse de tertio ordine beati [37]) Francisci, penitentium vocato, praedictum statum et ritum eorum sub velamine talis nominis satagunt palliare; cum tamen in ipsius tertii Ordinis regula [38]) talis vivendi ritus nullatenus sit concessus. Et quod in errorum baratrum [39]) faciliter ruunt, qui conceptus proprios patrum diffinitionibus [40]) anteponunt: ipsorum quamplurimi, sicut fide digna relatione percepimus, a veritate Catholicae fidei deuiantes ecclesiastica sacra [41]) despiciunt, ac errores alios student multipliciter seminare. Cum itaque talium dampnosa [42]) temeritas in eiusdem fidei detrimentum, fidelium scandalum, praefati Minorum et aliorum ordinum opprobrium [43]), ac etiam suorum [44]) et aliarum multarum [45]) animarum perniciem redundare noscatur: nos [46]) sectam, ritum [47]) et statum huiusmodi, non obstantibus praemissis eorum excusationibus, quas friuolas reputamus, et quidquid per eos communiter vel diuisim sub religionis, conuentus, collegii, seu congregationis nomine, vel colore, attemptatum extitit [48]), vel

34) *sibi*, abest in A.

35) *prael. se recepisse praetendunt*, A. vt etiam Eymer. ed. Ven.

36) *quos nec eis recipere, nec praedictis episcopis, vel eorum superioribus, vel aliis ecclesiarum praelatis concedere licuit, c. formam*, A. vt ed. Ven.

37) *sancti*, A.

38) *tam. in regula huius tertii ord.*

39) *barathrum*, B. vt ed. Ven.

40) *definitionibus*, B.

41) *sacramenta*, B. et ed. Ven.

42) *damnanda*, B. et ed. Ven. *addampnanda*, A.

43) *obprobr.*

44) *et etiam suarum*, A. vt ed. Ven.

45) *multarum*, abest in B. et ante habet *aliorum*.

46) *nos*, abest in B.

47) *et rit.* A.

48) *attentatum extitit*, B.

VI.

IOANNIS XXII. Pont. Max. decretum, quo cautionem adhibere suadet in *Beguinarum* caussa indaganda et dirimenda *).

IOANNES, Episcopus, seruus seruorum Dei cet. Ratio recta non patitur, vt innocentes ad paria cum nocentibus iudicentur. Sane felicis recordationis Clemens Papa V. praedecessor noster, cum de mulieribus, quae vulgariter *Beghinae* 1) nuncupantur, nonnulla fuissent ei insinuata 2) sinistra, et praesertim quod earum quaedam de Summa Trinitate et de diuina essentia disputare, ac etiam praedicare circa 3) articulos quoque fidei et ecclesiastica sacramenta opiniones eidem 4) fidei contrarias introducere 5), et multorum simplicium animas in diuersos super his errores inducere 6), multaque alia animarum pericula parientia facere sub quodam sanctitatis velamine praesumebant 7); ex hiis 8) et aliis de illis frequenter auditis 9) habens eas non indigna ratione suspectas, statum ipsarum prohibendum duxit perpetuo, et a Dei ecclesia penitus abolendum 10), in illas, quae statum huiusmodi iam 11) assumtum sectantur 12) vlterius, aut quae illum de nouo assumerent, excommunicationis sententiam promulgando 13). A. 1318.

 Verum

*) Descriptum ex Cod. MS. Helmstad. et comparatum cum exemplo Boehmeriano, in Corp. Iur. Can. Extrauag. comm. l. III. tit. IX. de relig. domibus, c. VII. p. 1174. vnde petita est lectionis varietas.

1) *Beghinae vulgar.* B.

2) *ei fuissent praecipue de Alemaniae partibus insi.* B.

3) *disputarent et praedicarent, ac circa,* B.

4) *Catholicae,* B.

5) *introducerent,* B.

6) *inducerent,* B.

7) verba: *multaque alia* — — — — *vel. praesumebant,* desunt in ex. B.

8) *his,* B.

9) *frequenter de illis aud.* B.

10) verba: *statum ipsi.* — — — *pen. abolendum,* desunt in B.

11) *nouiter,* B.

12) *sectarentur,* B.

13) *promulgauit,* B.

aut iuribus ſuis [32]) a quibuscunque contra eas attemptatum eſt hactenus, vel attemptari contigerit in futurum, illud [33]) per dictos ordinarios [34]) auctoritate noſtra in ſtatum reduci debitum volumus, inuocato etiam [35]), ſi opus fuerit, brachio ſeculari [36]). Ceterum ſtatum Beghinarum huiusmodi, quas eſſe permittimus, niſi de ipſis [37]) per ſedem apoſtolicam aliter ordinatum fuerit [38]), nullatenus ex praemiſſis intendimus approbare. Locorum autem ordinarios et alios, ad quos praedicta ſpectabunt, curam peruigilem et ſollicitudinem debitam praecipimus adhibere, ne praemiſſarum ſequentes inuias et ipſarum actus temerarios imitando, praemiſſis erroribus et disputationum et praedicationum temeritatibus ſe inuoluant, eas, quae contra praedicta praeſumpſerint, cenſura eccleſiaſtica [39]), appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Porro mulieres quascunque, Beghinarum vel aliud nomen [40]) habentes, quae de illis, ex quibus praedictae prohibitiones proceſſerunt [41]), culpabiles ſe reddiderunt [42]), aut merito notabiles vel ſuſpectas, etiamſi [43]) ſtatum vel habitum quoquo modo mutauerint, nedum [44]) ſub praedicta decernimus remanere cenſura: ſed [45]) taliter contra eas, per illos, ad quos pertinuerit, procedi volumus et mandamus, quoad ab erroris deuio [46]) reuocatae, non vltra inficiant ſanas oues. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc cet. Datum Auinione, Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

32) *ſuis*, abeſt in B.
33) *illud*, abeſt in B.
34) *per illos praedictos ord.* B.
35) *etiam*, abeſt in B.
36) *auxilio brachii ſecularis*, B.
37) *his*, B.
38) *exſtiterit*, B.
39) *per cenſuram eccleſiaſticam*, B.
40) *mulieres quodcumque nomen*, B.
41) *e quibus prohibitio proceſſerit*, B.
42) *reddiderint*, B.
43) *ſuſp. eſſe*, *ſi*, B.
44) *vere*, B.
45) *et*, B.
46) *errore de more*, B.

lati et rectores ecclesiarum diuersarum dioecesium, qui non discernentes inter bonam vitam et reprobam, ac frumenta non excutientes a paleis, occasione Constitutionis nouae in Clementinis sub tytulo de Religiosis domibus positae, quae incipit, *Cum de quibusdam mulieribus*, tam mulieres primas, quam secundas, quae laudabiliter viuunt, eadem sententia ferientes, illas et illas indifferenter reprobant, et indiscreta animaduersione condempnant, cogentes bonas, sicut et malas, humilitatis deponere habitum, et secularem assumere in suarum periculum animarum. Praeterea in litteris praelibatis intimasti, quod tam Praelati, quam rectores, occasione praemissa etiam mulieres reclusas de reclusoriis suis, in quibus circa quinquaginta annos laudabiliter permanserunt, eiiciunt, et eas seculariter viuere, cum graui fidelium scandalo et turbatione compellunt. Quare de animarum et commissi tibi populi salute sollicitus declarationem super praedictam constitutionem instanter et humiliter postulasti. Nos igitur indigne ferentes, inter huiusmodi personas differentiam non haberi, volentes, vt periculis et odiis, bellorumque fomitibus, auctore Domino, aditus obstruatur, auctoritate Apostolica declaramus, personas illas vtriusque sexus, quae sub mentita sanctitate vagantur in tam arduis disputationibus fidei, decretae Constitutionis summae subiacere: mulieres vero alias, quae per virtutum semitam incedentes, et vitae meritis vnguentorum diffundunt odores, nec non et reclusas probatae conuersationis et vitae memoratae, Constitutionis summa decernimus non contingi, nec eius censura debere percelli; sed cum apostolicis prosequendae sint fauoribus, districtius inhibemus, ne quis praetextu Constitutionis eiusdem impetat quolibet ausu et molestet, sed ipsas solitum habitum deferre et viuere, sicut prius, in sua tranquillitate permittat, donec de ipsis per sedem apostolicam aliter fuerit ordinatum. Ceterum antiquus hostis ibi satagit mortiferum virus effundere,

chiepiscopis, et Episcopis, et Dilectis Filiis Fratribus Praedicatorum et Minorum Ordinum, Inquisitoribus haereticae prauitatis, ad quos litterae praesentes peruenerint, Salutem et Apostolicam benedictionem.

Dudum fidedigna relatio ad apostolatus nostri deduxit auditum, quod nonnulli viri pestiferi, qui vulgariter Fraticelli, seu Fratres de paupere vita, aut Bizochi siue Bighini, vel aliis fucatis nominibus nuncupantur, in Diocesis Italiae partibus ac Insula Siciliae, Comitatu Prouinciae, Narbonensi et Tholosana Ciuitatibus et Diocesibus atque Prouinciis, aliisque diuersis cismarinis et vltramarinis partibus, contra Sacros canones, habitum nouae religionis assumere, congregationes et conuenticulas facere, et superiores sibi ipsis eligere, quos ministros, seu custodes, vel Guardianos, aut aliis nominibus appellabant; plurimos ad eorum sectam recipere, loca etiam de nouo construere, et ab aliis constructa recipere, et communiter habitare, et publice mendicare, et alia facere, quasi eorum secta foret vna de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis, temeritate dampnabili praesumebant; et vt error ipsorum veritas, et impietas religio putaretur, plurimi eorum regulam ordinis fratrum Minorum, quam Sanctus Franciscus instituit, se profiteri et obseruare ad litteram confingebant, quamquam sub obedientia vicarii Generalis, vel Prouincialium Ministrorum ipsius ordinis minime morarentur; praetendentes se a Sanctae memoriae Petro Confessore, tunc Celestino PP. V. Praedecessore nostro, huiusmodi vitae seu status priuilegium habuisse; quod tamen si etiam ostendissent, caruisset et careret roboris firmitate, cum piae memoriae Bonifacius PP. VIII. Praedecessor noster, ex certis causis rationabilibus omnia priuilegia ab ipso Celestino concessa, quae per ipsum Bonifacium non contingeret approbari, iuribus penitus vacuasset, dictumque vitae priuilegium non reperiatur per eumdem Bonifacium approbatum, et

puniat transgressores; discretioni vestrae, in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus Vos et singuli Vestrum ad requisitionem Rectorum et Vicariorum, seu Procuratorum et Nuntiorum dicti Ordinis Minorum et cuiuscunque . . . . dictam constitutionem seu prohibitionem nostram, quoad omnia eius capitula, prout iacent auctoritate nostra, faciatis per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia, prout expedire videbitur, appellatione remota, inuiolabiliter obseruari. Contra quoscunque, qui aduersus contenta in ea, vel eorum aliquod facere praesumpserint, cuiuscumque status aut conditionis extiterint, ad poenas debitas procedentes iuxta Canonicas sanctiones. Contradictores per censuram eandem, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus eiusdem Bonifacii PP. VIII. Praedecessoris nostri, qua *) cauetur, nequis extra suam ciuitatem et dioecesin, nisi in certis exceptis casibus, et in illis vltra vnam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices et conseruatores a sede deputati praedicta, extra Ciuitatem et Dioecesin, in quibus deputati fuerint, procedere, siue alii, vel aliis vices suas committere praesumant. Et tam de duabus Dietis edita in Concilio generali, dummodo vltra tertiam vel quartam dietam aliquis extra suam ciuitatem et Dioecesin auctoritate praesentium non trahatur, quam aliis quibuscunque constitutionibus a Praedecessoribus nostris, Romanis Pontificibus editis, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare: seu si aliquibus communiter vel diuisim a dicta sit sede indultum,

*) In verbis: *non obstantibus* — — — *qua*, latet error librarii, qui, ut recte suspicor, scribere debebat: *non obstante constitutione* — — — *qua*; seu, *non obstantibus verbis*, seu *legibus*, — — — *quibus* cet.

errore perire, quam euangelica doctrina et salubri persuasione proficere, de articulis fidei, de sacramentis ecclesiae, de Apostolicae potestatis plenitudine, ac in quantum eiusdem claues ecclesiae se extendunt, altercari et disputare, nonnulli etiam ex eis aliter in praemissis, quam Rom. Ecclesia doceat et sentiat, sentire ac profiteri praesumunt in derogationem, quantum in eis exstat, catholicae fidei, ac in perniciem suarum et aliarum, quas astute decipiunt, simplicium animarum.

Nos itaque dignum censentes et debitum, vt super his per Vos et Vestrum quemlibet, auctoritate nostra, cum sitis in partem nostrae solicitudinis euocati, habeatur indago, et certitudo plenaria veritatis; Fraternitati Vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus ne talis morbi contagium in fideles subrepat populos, animasque simplicium, quod absit, inficiat, personis vtriusque sexus eiusdem Tertii Ordinis in vestris dioecesibus constitutis ad Vestram, prout commodius fieri poterit, praesentiam euocatis, inquiratis tam super praemissis et singulis praemissorum, quam de ingressu earum ad huiusmodi Tertium Ordinem, et per quem vel quos ad ipsum ordinem fuere recepti, et in cuius seu quorum manibus, ac vbi et quando et quid specifice fuere professi, iuxta datam Vobis ex alto prudentiam diligenter, et habita de ingressu, receptione et professione ipsorum, ac de disputationibus et erroribus, vt praefertur, et vtrum tanquam fideles atque catholici firmiter de praedictis et aliis sentiant, quod sancta Rom. sentit Ecclesia, certitudine veritatis cet. Subdit, vt iis, quos a criminis labe puros inuenerint, nullam molestiam infligant, sed moneant, ne se illorum erroribus irretiri atque inquinari patiantur: illos vero, quos non sentire cum ecclesia, sed haeresis macula aspersos deprehenderint, Canonicis poenis afficiant. Dat. Auin. IV. Kal. Mart. Anno Pontif. VI.

XI.

Cum de mulieribus, quae *Beguinae* vulgariter et communiter nuncupantur, felicis recordationis Clementi PP. V. Praedecessori nostro, praecipue de Alamanniae partibus, multa fuissent insinuata sinistra, praesertim, quod earum aliquae de Summa Trinitate ac diuina essentia disputare, ac etiam praedicare contra articulos quoque fidei, et Ecclesiastica sacramenta, opiniones eidem fidei contrarias introducere, multorumque simplicium animos in diuersos super hiis errores inducere, et alia multa pericula animarum parientia facere suffucato *) sanctitatis velamine praesumebant; idem Praedecessor ex praemissis et nonnullis aliis, quae de dictis mulieribus frequenter audiuit, habens eas non indigna ratione suspectas, statum earum prohibendum duxit perpetuo, et a Dei Ecclesia penitus abolendum, in illas, quae statum huiusmodi iam assumptum sectarentur vlterius, aut quae de nouo illum assumerent, excommunicationis sententiam promulgando. Cum autem nuper ad nostri apostolatus auditum relatio, fidedigna deduxerit, esse plures mulieres, *Beguinas* vulgariter nuncupatas, seu de poenitentia Beati Dominici in Lombardiae et Tusciae partibus, quae per virtutum odoramenta currentes honeste viuunt, et deuote frequentant ecclesias, Praelatis suis reuerenter obediunt, et se in praemissis disputationibus et erroribus non inuoluunt, nec suas vel aliorum animas per opiniones erroneas ab Euangelica veritate degeneres dampnabili praesumtione decipiunt, sed in sancta et solida simplicitate viuentes, aliquae proprias, aliquae parentum suorum, aliquae conductas, vel sibi communes, et cum honesta familia domos inhabitant, aliquae vero rerum cogente defectu simul in eisdem domibus et diuersis Beguinagiis ad maioris castitatis obseruantiam immorantur,

*) Sic scriptum quidem est: sed haud dubie esse debet: *Sub fucato.*

tur, sicque hactenus vixerunt laudabiliter, et nunc vivunt, quod nulla vmquam super hiis fuit vel est suspicio, aut infamia contra ipsas, fuit nobis pro parte ipsarum humiliter supplicatum, vt, cum indignum sit, innocentes cum nocentibus ad paria iudicari, sintque propterea occasione huiusmodi in diuersis locis illarum partium scandala grauia, dissensiones et odia, guerrarum pericula suscitata, prouidere super hiis per Apostolicae sedis prouidentiam dignaremur. Nos igitur inconueniens et rationi contrarium reputantes, si probas et reprobas similis censura percelleret, praemissis etiam scandalis et dissensionibus, odiis atque periculis obuiare volentes, Fraternitati Vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus Vos et singuli Vestrum, in vestris Ciuitatibus et Diocesibus per Vos, vel per alium, seu alios de vita dictarum mulierum laudabiliter viuentium, vt praefertur, diligentius informati, si repereritis ita esse, non permittatis eas, vel ipsarum aliquam in personis ac bonis earum, occasione prohibitionis et abolitionis huiusmodi quousque de statu earum fuerit aliter per sedem apostolicam ordinatum, ab aliquibus molestari: molestatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo; non obstante, si eis, vel eorum aliquibus, communiter vel diuisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dictae sedis, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod praedictas mulieres attentius et accuratius moneatis, eisque districtius iniungatis, ne de huiusmodi disputationibus contra huiusmodi praedicti Praedecessoris nostri prohibitionem et abolitionis tenorem, se aliquatenus intromittant, sed in sanctis operibus persistentes et proficientes semper de virtutibus in virtutes mereantur retributionis aeternae praemium, quod non inchoantibus, sed perseuerantibus in consummatione praestatur.

Datum

Datum Auinione Kalend. Iunii, Pontificatus nostri anno decimo.

XIII.

Eiusdem litterae, eadem in caussa, ad Archiepiscopum Tarraconensem huiusque suffraganeos, qui dicuntur, et quaesitores religiosos ibi commorantes, scriptae *).

IOANNES, Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Tarrachonensi [1]) eiusque suffraganeis, ac [2]) dilectis filiis Inquisitoribus haereticae prauitatis in prouincia Tarrachonensi [3]) auctoritate apostolica deputatis, Salutem cet.

Anno incerto, sed haud dubie intra 1325 — 1330.

Quia nonnunquam vnius impunitatis [4]), cet. et quia indignum est, vt [5]) eius, a quo [6]) se obedientia subtrahere [7]), quemque impugnare temere satagunt [8]), priuilegiis perfruantur, ipsos omnibus et singulis tam exemptionibus [9]), quam aliis quibuscunque priuilegiis et gratiis, et libertatibus et immunitatibus, tam ordinibus suis, quam personis, et locis ipsorum sub quacunque forma vel expressione verborum ab Apostolica sede concessis, auctoritate Apostolica omnino priuamus: et praeter poenas alias, contra talia praesumentes inflictas, quibus ipsos subiacere volumus priuatos perpetuo, ac [10]) ordinariorum locorum iurisdictioni ordinariae, quoad casus omnes et alia omnia [11]), decernimus manere subiectos.

*) Descriptae sunt e Cod. MS. Helmstad. Exstant etiam in edit. Veneta, p. 287. in qua pauca nonnihil discrepant, quae adnotare placet.

1) *Tarraconens.*

2) *et.*

3) *Tarraconen.*

4) *impunitas.*

5) *et.*

6) *a cuius.*

7) *subtrahunt.*

8) *setagunt*, haud dubie per errorem.

9) *exemptionis.*

10) *et.*

11) *omnia alia.*

Processus contra Fraticellos.

Dudum ad audientiam Apostolicae sedis multorum insinuatione perducto, quod nonnulli profanae multitudinis, qui vulgariter *Fraticelli*, seu *Fratres de paupere vita*, aut *Bizochi*, siue *Bighini*, vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiae, nec non insula Siciliae, comitatu Prouinciae, Narbonensi et Tolosana ciuitatibus et dioecesibus ac prouinciis, aliisque cismarinis partibus contra sacros canones, habitum nouae religionis assumere, congregationes et conuenticula facere, et Superiores sibi ipsis eligere, quos ministros, seu custodes vel guardianos, aut nominibus appellant aliis, plurimos ad eorum sectam recipere, in quibus habitant in communi, publice mendicare, quasi eorum secta sit vna de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis, temeritate damnabili praesumebant etiam incessanter; et vt ipsorum error veritas, et impietas religio putaretur, plurimi eorum Regulam Ordinis Fratrum Minorum, quam Sanctus Franciscus instituit, se profiteri ad litteram obseruare fingebant, quamquam sub obedientia Generalis, vel Prouincialium ministrorum ipsius ordinis minime morarentur, praetendentes se a sanctae memoriae Caelestino V. praedecessore nostro, huiusmodi status, seu vitae priuilegium habuisse (confirmatam a Caelestino monasticam eorum disciplinam, et vocatos pauperes eremitas Domini Caelestini, contendunt nonnulli, et Clarenorum congregationem fuisse huiusmodi; at illi aduertant, quid subiiciat Pontifex) quod tamen, etiamsi ostenderent, non valeret, cum felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. praedecessor noster, ex certis caussis rationabilibus omnia priuilegia ab ipso Caelestino concessa, quae per ipsum Bonifacium non contingeret approbari, vacuasset viribus, nec dictum priuilegium inueniretur per eundem Bonifacium approbatum; nos attendentes, quod in errorum barathrum faciliter ruunt, qui concepta propria patrum diffinitionibus anteponunt, ipso-

rumque quamplurimi, ſicut nobis fidedigna innotuerat relatio, a veritate catholicae fidei deuiabant; contra ſectam, ritum et habitum huiusmodi, auctoritate apoſtolica, de Fratrum Minorum conſilio proceſſimus ſub hac forma: *Ioannes* cet. *ad perpetuam rei memoriam.* SANCTA ROMANA ATQVE VNIVERSALIS ECCLESIA, cet. (Extat haec ſanctio inter Extrauagantes hac temporis nota conſignata: *Dat. Auin. III. Kal. Ianuarii, Pont. noſtri anno II.* Tum ſubiicit) Sane quia ſectam praefatam non reſurgere, ſed abolitam remanere perpetuo, praedictamque inuiolabiliter obſeruari ſententiam plenis deſideriis affectamus, ad quod expedire plurimum credimus, proceſſum et ſententiam huiusmodi ſaepe praeſente fidelium multitudine publicari; diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiae diſtrictius iniungendo mandamus, quatenus vos, Fratres, Archiepiſcope et Suffraganei, per vos veſtrosque ſubditos, et alios viros religioſos et ſeculares, exemptos et non exemptos, de quibus vobis videbitur (quos ad haec non obſtantibus exemptionis et quibusuis aliis priuilegiis eis, vel eorum ordinibus, aut locis, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum conceſſis, compellere per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, valeatis) ſingulis diebus dominicis ac feſtiuis in eccleſiis et locis veſtrarum ciuitatis et dioceſis, ac in ſermonibus publicis, de quibus expedire recognoueritis, eosdem proceſſum et ſententiam, dum clerus et populus ad diuina, vel ſermones audiendos conuenerint, publicantes, omnes et ſingulos ſectam huiusmodi obſeruantes generaliter, nec non nominatim illos, de quibus vobis ſummarie, ſimpliciter et de plano, ac ſine ſtrepitu et figura iudicii conſtiterit in praemiſſam incidiſſe ſententiam, excommunicatos denuntiare ſingulis diebus dominicis et feſtiuis in eisdem eccleſiis, locis et ſermonibus publice procuretis. Et quia ſine fautoribus, et receptatoribus diu peſtilentes homines huiusmodi latere non poterunt, nec durare, diebus dominis-

ninicis et aliis solennibus, praesente fidelium multitudi-
ne copiosa, sub excommunicationis poena et aliis, quae
autoribus et receptatoribus talium per iura canonica sunt
nflicta, vt a fautoria, receptatione ac defensione illo-
um publica et occulta debeant abstinere, moneatis, et
fficaciter inducatis; contra non parentes monitioni hu-
usmodi ad denunciationem inflictarum comminatarum
oenarum huiusmodi et alias, prout expedire videritis,
os, Archiepiscope et Suffraganei, vestra ordinaria, vos-
ue, Filii Inquisitores, apostolica auctoritate simpliciter
t de plano, absque strepitu et figura iudicii vestri, se-
undum statuta Canonica et priuilegia concessa inquisi-
onis officio, procedentes, inuocato ad hoc, si necesse
uerit, auxilio brachii secularis. Dat. Auin. XIV. Kal.
Martii, anno Pontif. XV.

XV.

Innocentii VI. Bulla, siue epistola, in *Beguinorum* caussa, ad Germaniae magistratus, tam sacros, quam ciuiles, scripta *).

INNOCENTIVS cet. Venerabilibus A. 1353.
ratribus, vniuersis Archiepiscopis et Episcopis,
: dilectis Filiis, Principibus, Ducibus, Marchionibus,
omitibus, ciuitatum ac locorum dominis, et communi-
tum rectoribus per Alemanniam constitutis etc.

Iniuncto nobis circa gregem dominicum ex officio
astorali solerter vigilare nos conuenit, ne lupina rabies
aereticae prauitatis, sub ouino vellere sponte latitans,
iactet crudeliter et disperdat, quod fidei viuificat sacra-
entum. Cum itaque, sicut accepimus, huiusmodi
estifera rabies, specialiter illorum, qui *Beckardi* vocan-
r, in Alemanniae partibus, procurante humani gene-

 ris

*) Descripta ex Raynaldi Annal. Eccles. ad A. 1353. n. 26. Tom. XVI. p. 349.

Ad audientiam nostram fidedigna relatione peruenit, quod quidam filii Belial vtriusque sexus, qui *Begardi*, seu *Beguini* vulgariter nuncupantur, et sub ouina pelle lupinam feritatem abscondunt, multis erroribus detestabilibus inuoluti, in diuersis ciuitatibus, castris, villis et locis regni Franciae latitantes, nonnullos fideles (praesertim simplices) a via veritatis auertere, et secum in gehennam trahere moliuntur. Nos igitur cupientes, quod aduersus talium nefandorum versutiam periculosam nimium opportunis remediis celeriter occurratur, discretioni Vestrae, tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, quatenus receptis praesentibus, omni mora sublata, contra *Begardos* eosdem, et credentes ipsorum erroribus, nec non fautores, defensores, et receptatores eorum, cum omni diligentia, appellatione postposita, Vestri officii debitum exequi studeatis, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Sic igitur super hoc vos reddatis solicitos et intentos, quod praeter retributionem diuinam, nostram et Apostolicae sedis gratiam mereamini vberius obtinere. Vt autem de talium locis, vita, conuersatione ac erroribus sitis plene informati, et contra eos procedere melius valeatis, quandam informationem super iis nobis traditam, venerabili fratri nostro, episcopo Parisiensi sub bulla nostra transmittimus, cuius copiam singuli vestrum recipiant ab eodem. Dat. Auin. III. non. Septembris, anno III.

XVII.

Gregorii XI. Bulla ad Germanorum magistratus omnes, in *Beghinorum* caussa, scripta *).

GREGORIVS cet. Venerabilibus Fratribus vniuersis et singulis Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Prae- A. 1372.

 positis,

*) Promulgatur ex ἀπογράφῳ, Roma mihi transmisso.

oportunis, cum super hoc fueritis requisiti, vt de agro dominico extirpata zizania, seges Domini crescat fera-
(sic)
cior in eius orreum Dominicum inferenda, Vosque proinde coeleste praemium vberius reportetis. Datum apud Villamnouam Auinionen. Dioc. VI. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo *).

XVIII.

Eiusdem Bulla, in caussa *Fraterculorum*, siue *Fraticellorum* aut *Beghardorum*, ad Siciliae Antistites scripta **).

GREGORIVS cet. Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque ecclesiarum Praelatis, in insula Siciliae constitutis, ad quos praesentes peruenerint, Salutem, cet. A. 1372.

Molesta significatio ad nostrum perduxit auditum, quod in nonnullis Ciuitatibus, castris, villis et aliis locis insulae Siciliae, vobis ordinario iure subiectis, quidam diabolica fraude decepti, ossa et cineres quorumdam de Fraterculorum, Dulciniorum, et de paupere vita, sectis, per sedem Apostolicam reprobatis (qui, dum viuerent, vt simplices sub specie recti deciperent, ipsis simplicibus se viros poenitentiae ostendebant), ac si cineres et ossa huiusmodi essent reliquiae ascriptorum sanctorum catalogo, temeritate propria colere, et ecclesias seu capellas in talium honorem erigere, et erectas cum luminaribus in anniuersariis obituum eorumdem cateruatim annis praesumunt singulis visitare. Cumque praemissa, quae absque auctoritate Romanae ecclesiae fieri a sacris cano-

 nibus

*) *Απογράφου* scriptor, ei extremo subiunxit hancce notam, exstare in tabulario pontificio plura eiusdem tenoris, et eodem die scripta, exempla, ad aliarum prouinciarum magistratus transmitti iussa.

**) Sumta ex Raynaldi Annal. Eccles. ad A. 1373. n. 36. Tom. XVI. p. 514.

tibus prohibentur, nullatenus debeant tolerari, diſcretioni Veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in Veſtris ciuitatibus et dioceſibus praedicta, vel ſimilia, per quaſcunque perſonas de caetero attentari, diſtrictius inhiberi curetis, contradictores (cuiuscunque ſtatus, ordinis, ſexus, vel conditionis exiſtant) auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſaecularis. Dat. apud Villamnouam Auinionenſ. dioceſis, II. Id. Septembris anno ſecundo.

XVIIII.

Eiusdem Epiſtola ad Carolum, Galliarum Regem ſcripta, qua eum ad *Beghardos, Turlupinos*, ac ſimiles, vexandos delendosque cohortatur **).

A. 1373. GREGORIVS cet. Chariſſimo in Chriſto Filio, Carolo, Regi Franciae illuſtri, cet.

Chriſtianorum principum, Regum Franciae, progenitorum tuorum feruidum zelum ad fidem catholicam, quem ſcripta diuerſa teſtantur, et fama publica manifeſtat, grata memoria recolentes, et te inclytum imitatorem ipſorum in hoc et aliis bonis operibus attendentes; ac tenentes indubie, quod negotia dictae fidei pro Dei reuerentia ſuſcipiens cordialiter commendata, illa promouebis pro viribus, et officialium, ſubditorumque tuorum in hac parte negligentias et culpas alias, cum illas agnoſces, nullatenus ſuſtinebis; ad deuotam magnitudinem tuam Apoſtolica ſolicitudo, quae circa hoc inuigilare tenetur, recurrit cum fiducia ſpeciali. Audiuimus ſiquidem ſaepius, Fili chariſſime, quod hoſtis humani generis, circuiens ſemper et quaerens, quos deuoret, vbi maiora viderit opera ſanctitatis, ibi virilius ſatagit

*) Petita eſt ex Raynaldi Annal. Eccleſ. ad A. 1373. n. 19. Tom. XVI. p. 520.

git suae venenum effundere prauitatis, in regni tui, quod prae ceteris mundi regnis praeclaruit, prout praeclaret fide et operibus virtuosis, in aliquibus partibus in nonnullis personis vtriusque sexus, praesertim de secta *Begardorum*, qui alias *Turlipini* dicuntur, sparsit semen pestiferum multiplicis haereticae prauitatis: quodque ingens Tua deuotio, de iis aliqua sentiens ab Inquisitoribus prauitatis eiusdem, feruenter incepit circa ea regiae potestatis remedia adhibere: de quo eam dignis laudibus commendamus.

Audiuimus etiam relatibus fidedignis, quod in partibus Dalfinatus Viennensis, et aliis locis vicinis eisdem, est quorumdam haereticorum, qui vocantur Waldenses, maxima multitudo: et quod quidam officiales tui dilectos filios . . . . inquisitores dictae prauitatis in eisdem partibus deputatos, non solum non iuuant, vt deberent, in suo inquisitionis officio; immo multa impedimenta, vt sequitur, contra ipsos praestare praesumunt: videlicet quod eosdem inquisitores, ne possint procedere contra dictos haereticos, impediunt indirecte, eisdem assignando vt plurimum loca minus tuta ad procedendum contra haereticos praelibatos: et quod non permittunt, vt iidem inquisitores procedant sine iudice seculari, et compellunt eosdem, quod processus suos iudicibus secularibus ostendant, si quos fecerint sine ipsis. Haereticos quoque seu suspectos de haeresi, captiuatos per Inquisitores eosdem, eis irrequisitis praecipiunt a carceribus liberari. Requisiti praeterea a dictis Inquisitoribus, quod praestant iuramentum a iure dispositum de expurgando haereticos et suspectos de haeresi, illud praestare contemnunt. Aliqui etiam nobiles Dalfinatus eiusdem haereticos et suspectos de haeresi, contra quos per Inquisitores proceditur memoratos, receptare ac fouere multipliciter non verentur. Quare deuotam Serenitatem Tuam requirimus et hortamur in Domino, quatenus praemissa, zelo feruoris regii vtique detestanda, deuote con-

manae curiae, bullatas, quarum quidem litterarum apostolicarum tenor sequitur sub his verbis:

BONIFACIVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Coloniensi, Treuerensi, et Maguntinensi, Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, aliisque Archiepiscopis et Episcopis, ac locorum ordinariis per Alamaniam, Brabantiam et Flandriam constitutis, ad quos praesentes litterae peruenerint, Salutem et Apostolicam benedictionem. Ex iniuncto nobis ab alto pastorali officio angimur et tenemur animarum saluti prospicere circa corrigendos quorumcunque maxime exorbitantium a fide, sine qua nemo proficit ad salutem, excessus, et ad ea, quae tranquillitatem et pacem, ac statum prosperum et Deo gratum Christi fidelium respicere dinoscuntur, tanto libentius fauoris Apostolici praesidium impertiri debemus, quanto ex eorum quiete, Altissimo famulatus deuotior exhibetur. Sane nuper accepimus, quod in vestris ciuitatibus et diocesibus atque locis existere consueuerunt, et hodie existunt nonnullae personae pauperes, vtriusque sexus, diuisim, viri scilicet coniunctim in suis, et mulieres etiam coniunctim in domibus suis, absque mutua ipsorum conuersatione commorantes, quae humiliter et honeste in paupertate et continentia sub humilitatis spiritu viuunt, et ecclesias deuote frequentant, Romanae ecclesiae earumque praelatis et curatis in omnibus reuerenter obediunt, nullis erroribus se inuoluunt, neque ritus neque modos reprobatos a iure seu aliter illicitos, aut repugnantes salutaribus praeceptis obseruant, sed pauperes et miserabiles personas, petentes, ad eorum recipiunt hospitia, et alia exercent, prout possunt, opera caritatis, infirmos scilicet visitando, et, si opus sit, in eorum infirmitatibus eos forsitan requisiti custodiendo et fouendo; ac decedentium corpora fidelium in locis, vbi degunt, rogati ad sepulturam ecclesiasticam deferendo. Quamuis circa praemissa Vos et inquisitores haereticae

praui-

prauitatis pro tempore in Vestris ciuitatibus et diocesibus nec non aliis partibus constituti, personis ipsis auxilio in praemissis esse deberetis, verumtamen ipsae personae per vos ac plerosque ex inquisitoribus ipsis, ac etiam per officiales et vicarios vestros in Spiritualibus generales, nec non alios locorum ordinarios circa praemissa pia opera et modum viuendi multipliciter minus debite frequentius tribulantur, et eisdem circa praemissa diuersa grauamina inferuntur. Nos igitur, qui salutem animarum zelamus singulorum, attendentes, quod no-
(sic)
stra interest, sub praemissis etiam statui eorundem personarum salubriter prouidere, fraternitati Vestrae, de qua in his et in aliis specialem in domino fiduciam
(sic)
optinemus, per Apostolica' scripta coniunctius *) mandamus, quatenus vos et vestrum singuli, in vestris ciuitatibus atque locis de huiusmodi personis vtriusque sexus, ibidem pro tempore commorantibus, et de vita et conuersatione, et an aliquos errores per felicis recordationis Clementem V. praedecessorem nostrum, in
(sic)
consilio Viennensi, in Capitulo, quod incipit, *Ad nostram* cet. damnatos, aut alios in fide catholica teneant, aut sectam seu ritum habeant contra Constitutionem piae memoriae Iohannis vicesimi secundi, etiam praedecessoris nostri, quae incipit *Sancta Romana*, cet. aut aliter in aliquibus casibus excedant, seu excedere consueuerunt, quotiens opus erit, diligenter inquiratis, vosque de hoc plenarie informetis, et quos pro tempore culpabiles repereritis, corrigatis iuxta canonicas sanctiones: illos autem, quos innocentes inueneritis infra vestras ciuitates, et dioceses atque loca, quamdiu sedes

*) Ex vocabuli huius litteris curtatis vinctisque nihil melius expungere possum. Vsitatius est *districtius*, aliis in bullis vsurpatum.

sedes apostolica de ipsis aliter non disposuerit, citra tamen formam et ritum religionis aut alium modum vivendi reprobatum, libere, vt praefertur, conuersari et commorari, ac Deo laudabiliter in praemissis seruire permittatis, eisque, in personis, seu rebus ipsorum, sub permissione huiusmodi mansuris, molestias vel iacturas inferri, potius paterno ipsis compatientibus affectu aliqualiter non sinatis, dum tamen exinde aliquod sinistrum vel scandalum, seu incontinentia, super quibus vestras et vestrorum singulorum conscientias oneramus, minime generentur in praemissis, ac etiam aliis apostolicis ac prouincialibus, nec non synodalibus constitutionibus et statutis contrariis non obstantibus quibuscunque, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, si aliquibus communiter, vel diuisim, a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per hoc tamen non intendimus alias statum dictarum personarum aliquatenus approbare. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Septimo Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno quinto. Quas quidem litteras apostolicas ad instantiam et requisitionem discretorum virorum, Domini Bartholdi dicti Wilde presbyteri, Bartholdi van Oldendorp, Conradi van Halle, Iohannis Doring van der Lippe, Werneri Mörler, Fratrum Colonien. Maguntin. Herbipolen. Halberstadien. et Padelborn. Dioces. et per Hinricum de Strateborch et Iohannem Martini notarios publicos subscribi et publicari mandamus, et volentes et decernentes, quod huiusmodi transscripto, sicut ipsis originalibus literis, tam in iudicio, quam extra, adhibeatur de cetero plena fides: quibus omnibus et singulis nostram auctoritatem ordinariam interposuimus pariter cum decreto. In cuius rei testimonium praesens transscriptum publicum sigillo nostro

stro fecimus communiri. Datum et actum Magdeborch in curia habitationis Honorabilis viri, Domini Hinrici Bynorden, canonici ecclesiae Magdeburgensis, quam inhabitat retro chorum dictae ecclesiae Magdeb. ad partes orientales. Anno Dom. M.CCC. LXXXXVI. Indictione quarta, die Veneris, vicesima mensis Octobris, hora tertiarum, vel quasi Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Bonifacii.

XXI.

Eiusdem bulla, qua Gregorii XI. edicto, in Inquisitorum fauorem olim promulgato, maiorem obligandi vim et auctoritatem denuo conciliatum iuit *).

A. 1395. BONIFACIVS, Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis, Magistro et Fratribus Ordinis Praedicatorum, Salutem et Apostolicam benedictionem. Meritis vestrae deuotionis inducimur, vt petitionibus vestris, quae vestri ordinis conseruationem respiciunt, fauorabiliter annuamus. Sane nuper pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt literas felicis recordationis Gregorii papae XI. praedecessoris nostri, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus annotari et inseri fecimus, quae incipiunt vetustate consumi, innouare de benignitate Apostolica dignaremur, quarum quidem litterarum tenor dinoscitur esse talis. GREGORIVS cet. (*iam sequitur Bulla, qualis a* MOSHEMIO *data est, exceptis paucis illis, quas in varietate lectionis notauimus: quam finitam excipiunt haec:*) Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, praedictas litteras, quas in Cancellaria nostra inspici fecimus diligenter, auctoritate Apostolica tenore praesentium innouamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius

*) Profertur e Cod. MS. Helmstad.

ius vobis de nouo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habetis, tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino homini liceat, hanc paginam nostrae innouationis, communitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romae apud S[tum] Petrum, Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

XXII.

Eiusdem Bulla, eo consilio scripta, vt quaesitorum religiosorum numerus augeretur: cuius particulam tantum dedit ὁ πάνυ MOSHEMIVS*).

BONIFACIVS, Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto Filio, Priori Prouinciali Ordinis Fratrum Praedicatorum prouinciae Saxoniae secundum morem dicti Ordinis, Salutem et Apostolicam benedictionem. A. 1400.

Ab exordio nascentis ecclesiae pastores vigilare coeperunt contra pseudo-discipulos, qui non intrantes in dominicum ouile per ostium, sed aliunde, et vineam Domini Sabaoth, Catholicam videlicet ecclesiam, diffusam per orbem, quasi vulpeculae demoliri conantur, quorum pastorum exemplo laudabili, nonnulli praedecessores nostri, Romani Pontifices, qui fuerunt pro tempore, se murum defensionis pro domo Domini opponendo, ardore Christianae fidei et religionis accensi, circumspecta vigilantia studuerunt ordinare per diuersa mundi climata Inquisitores contra tales prauitate haeretica maculatos, eorumque fautores et defensores diuersarum sectarum, ad instar vulpium caudas habentium colligatas, eisdem Inquisitoribus auctoritate concessa per poenas canonicas et ciuiles procedendi contra eos iuxta canonicas san-

*) Promulgatur e Cod. MS. Helmstad.

ſanctiones et ſtilum huiusmodi inquiſitionis officii hactenus obſeruatum. Nos igitur, qui dictorum praedeceſſorum noſtrorum veſtigia libenter feruentibus imitamur affectibus, ac fidei et religionis ampliari cultum, et extirpari vbique huiusmodi prauitatem haereticam cupimus, attento ſicut veridica relatio ad noſtri Apoſtolatus perduxit auditum, quod in tua ſupradicta prouincia non modo propter multitudinem haereſium et haereticorum, verum etiam propter numeroſitatem ciuitatum et locorum longe lateque nimis ab inuicem diſtantium, prauitate huiusmodi infectorum per vnum, aut paucos dictae inquiſitionis officium nequaquam poſſit commode exerceri; tenore praeſentium tibi committimus et mandamus, quatenus SEX dicti Ordinis fratres ad hoc idoneos, in lege Domini profunde eruditos, quorum honeſta conuerſatio exemplum tribuat honeſtatis, et doctrinam fundant erudita labia ſalutarem: Inquiſitores huiusmodi prauitatis haereticae in Maguntinen. Colonien. Magdeburgen. Bremen. Rügenſi, ciuitatibus, dioceſibus, et prouinciis, in quantum infra terminos praedictae prouinciae ſecundum morem dicti Ordinis fore noſcuntur, nec non in ciuitate et dioceſi Caminenſi, et vniuerſaliter in omnibus locis dictae prouinciae auctoritate Apoſtolica deputes et aſſignes, eosque, quotiens tibi videbitur, abſoluas et amoueas, et in locum amotorum alios, vt praemittitur, idoneos ſubſtituas perpetuis futuris temporibus, quotiens fuerit opportunum, qui ſimul vel ſeparatim, prout negotii ſuadebit vtilitas, ſub ſpe mercedis aeternae in prouinciis, ciuitatibus, dioceſibus ac locis praedictis, contra quoscunque haereticos, ſeu de haereſi infamatos, aut ſuſpectos, ipſorumque credentes, fautores, receptatores et defenſatores, iuxta ſacrorum formam canonum et ſtilum huiusmodi officii hactenus obſeruatum, nec non ſecundum priuilegia, indulgentias et ſtatuta per praedeceſſores noſtros, Romanos Pontifices ac Romanorum Imperatores in fauorem fidei Chriſtianae pro officio In-

quisitionis, et Inquisitoribus quarumcunque aliarum provinciarum edita et concessa, quae omnia et singula tenore praesentium ad huiusmodi Inquisitores prouinciae Saxoniae, quos per te aut successores tuos pro tempore, sic vt praemittitur, deputari contigerit, extendi specialiter volumus et declaramus, efficaciter et districte procedant, et ipsum officium, auctoritate Apostolica, qua supra, fideliter et libere exequantur, nullum super hoc a quoquam, cuiuscunque conditionis, status, ordinis vel dignitatis existat, etiam si Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali vel Regali, aut alia qualibet fulgeat dignitate, impedimentum quodlibet habituri. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostrae commissionis, mandati, voluntatis et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romae apud Sanct. Petrum, Nonis Iunii Pontificatus nostri anno decimo.

XXIII.

Martini V. Bulla, contra *Fratricellos* promulgata, vt eos tandem exstingueret *).

MARTINVS cet. Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, nec non dilectis Filiis, haereticae prauitatis Inquisitoribus vbilibet constitutis, ad quos praesentes litterae peruenerint, Salutem cet. A. 1418.

Nuper, ex nonnullorum relatione, ac etiam fama referente, ad nostrum peruenit auditum, quod secta abominabilis quorumdam hominum malignorum, qui a vulgo *Fratres de opinione*, seu *Fraticelli* communiter

 non-

*) Descripta ex Raynaldi Annal. Eccles. ad A. 1418. n. 11. Tom. XVIII. p. 8. f.

sexus, cuiuscunque dignitatis, status, vel conditionis, etiamsi pontificalis vel regalis existant; etiam alias vobis non subditos et eorum quemlibet inquisitionis officium auctoritate nostra exercentes, in eos procedatis, cet. Dat. Mantuae XVIII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

XXIIII.

Eiusdem edictum, quo Albanensem et Portuensem episcopos Cardinales, ad *Fraticellos* vexandos et exstirpandos inflammare voluit *).

MARTINVS cet. Cum, sicut accepimus, in aliquibus partibus, praesertim Italiae, quaedam secta haereticorum nefanda, qui *Fraticelli de la opinione* vulgariter nuncupantur, operante satore zizaniae, proh dolor! eruperit, quae pestiferum virus euomens, simplices animas suis tendiculis ac palliatis coloribus, sub praetextu simulatae sanctitatis illaqueando decipit, quas aeterno igni vrendas transmittere satagit; nos huic veneno, haeresique nefariae et labi pestiferae, quam extingui supremis affectibus anhelamus, salubri remedio occurrere cupientes, ne huiusmodi morbus inficiens excrescat vlterius, sed concedente Domino radicitus euellatur, Fraternitati vestrae, ac cuilibet vestrum, contra praefatos haereticos, eisque adhaerentes, complices et fautores, eorumque receptatores, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis, etiamsi vniuersitates, communitates et municipia sint, in quibuscunque mundi partibus, vbi esse comperirentur, inquirendi, procedendi, capiendi cet. plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Datum Romae apud S. Petrum, II. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno IIII. A. 1421.

*) Depromtum e Raynaldi Annal. Eccles. ad A. 1421. n. 4. Tom. XVIII. p. 33. s.

ſtram et eccleſiae Romanae deuotionem et fidem Chriſtianam redire voluerint, etiamſi perſonae ipſae, vel earum aliquae, alias in ſimiles haereſes relapſae, et errores abiuraſſent et abnegaſſent ſemel vel pluries, ſi hoc humiliter petiuerint, ad Apoſtolicae ſedis gremium, noſtramque et ipſius eccleſiae obedientiam per te, vel alium, reducendi et reuocandi, ipſasque abiuratione praeuia ab omnibus excommunicationum, ſuſpenſionum, et interdicti aliisque ſententiis, cenſuris et poenis eccleſiaſticis, in quas praemiſſorum occaſione quomodolibet incurrerint, etiam ſi abſolutio huiusmodi eſſet diſpoſitioni apoſtolicae ſpecialiter reſeruata, auctoritate noſtra abſoluendi in forma eccleſiae conſueta, iniunctis eis pro modo culpae poenitentia ſalutari et aliis, quae fuerint iniungenda, — — (*nonnullisque interiectis; quibus rite expiatos priſtinae famae, honoribusque et iuribus auctoritate pontificia reſtituere, omnesque cenſuras diſſoluere iubet*) — — plenam et liberam auctoritate apoſtolica, tenore praeſentium, concedimus facultatem. Dat. Romae apud S. Mariam maiorem, XIV. Kal. Octobris, pontificatus noſtri anno VII.

XXVI.

Eiusdem litterae, ad Ioannem Capiſtranum miſſae, quibus hunc ampliſſima quaſi muniuit poteſtate, *Fraticellos* premendi plectendique *).

MARTINVS cet. Cum, ſicut fidedigna relatio plurimorum nobis diſplicenter innotuit, in plerisque mundi partibus, quaedam ſecta haereticorum, nefandi ſcilicet *Fraticelli della Opinione* vulgariter nuncupati, operante ſatore zizaniae, proh dolor! eruperit, peſtiferum virus euomens, ſimplices animas A. 1426.

*) Sumtae eodem ex l. ad A. 1426. n. 18. Tom. XVIII. p. 88.

animas suis tendiculis et palliatis coloribus, sub praetextu simulatae sanctitatis, illaqueando decipit, illas aeterno satagens igni transmittere consumendas; nos huic veneno haeresis nefariae et labi pestiferae, quam extingui supremis affectibus anhelamus, salubri remedio occurrere cupientes, et ne huiusmodi morbus inficiens excrescat vlterius, sed cooperante Domino radicitus passim euellatur, salubriter prouidere volentes, ac sperantes, quod tu, quem, vt accepimus testimoniis fide dignis, constantia fidei, religionis zelo, vitae munditia, et aliis multiplicum virtutum meritis Altissimus insigniuit, per tuae prudentiae et solicitudinis studium, labem huiusmodi extirpare, et orthodoxae fidei fructuosos palmites transplantare conaberis, tibi contra praefatos haereticos eorumque adhaerentes, complices et fautores cet. — — plenam et liberam concedimus facultatem cet. Dat. Romae apud S. Petrum, VI. Kal. Iunii, pontificatus nostri anno nono.

XXVII.

Eiusdem litterae, ad Episcopum Anconitanum missae, quibus hunc ad idem negotium exsequendum cohortatus est*).

A. 1428. MARTINVS cet. Venerabili Fratri Astorgio, episcopo Anconitano, in prouincia Marchiae Anconitanae pro nobis et Romana ecclesia locumtenenti, salutem cet. Nuper ad audientiam nostram fidedigna relatione peruenit, quod in castro Magnalata Aesinae dioecesis nonnulli haeretici, *Fraticelli de Opinione* vulgariter nuncupati, qui per prouinciam nostram marchiae Anconitanae in mentibus hominum non sanam doctrinam, sed haereses et errores, et falsa dogmata

*) Descriptae ex eodem l. ad A. 1428. n. 7. Tom. XVIII. p. 66. sq.

dogmata suggesserunt, et indies suggerere student, principale eorum receptaculum habuerunt, et in dicto castro hodierna die ab illius incolis et habitatoribus huiusmodi errorum et haeresium, sicut nobis innotuit ex fidedigna relatione multorum, labe infectis similiter recepiantur in periculum Christifidelium animarum, et exemplum detestabile plurimorum.

Nos igitur, attendentes quanti possit esse discriminis fidelibus populis conuicinis dictae prouinciae, qui ambulant in via Domini, si nidus et receptaculum ipsorum *Fraticellorum* haereticorum in dicto castro funditus non tollatur, ac solo aequetur; et proinde attendentes quod legitur de haereticis in diuersis ciuitatibus, terris, castris et locis commorantibus, ibi: *incendes ciuitates eorum igni, nec erit ibi habitaculum in aeternum;* et propterea praemissa debita deliberatione pensantes, habitaque super iis deliberatione matura, quantum materia requirebat, volumus, et fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, vt dictum castrum Magnalate et eius arcem, siquam habeat, ad terrorem et exemplum perpetuum aliorum castrorum et locorum dictae prouinciae, ne de caetero tales haereticos *Fraticellos* receptare, aut eis praebere consilium, auxilium, vel fauorem per se, vel alios, audeant vel praesumant, ex toto mandes et facias demoliri, prouisurus, quod nullum ibidem de caetero aedificium vel domicilium construatur; et tempore demolitionis huiusmodi virum religiosum instituas ad praedicandum inibi verbum Dei, qui populos de causa demolitionis praedictae sapienter instituat et informet: et deinde, postquam dictum castrum demolitum et solo aequatum fuerit, vt praefertur, conuocatis aliquibus magistris in theologia et doctoribus iuris canonici vel ciuilis, et aliquibus religiosis viris, et illis tibi in hoc assistentibus et consulentibus, pueri patrum haereticorum segregentur ab eis, et procul mittantur, ne haeretica labe possint

inflci quoquo modo. Maiores autem ex habitatoribus et incolis dicti castri interrogentur super haeresi dictorum *Fraticellorum*, in qua si obstinati et induratis animis perseuerent, puniantur secundum canonicas sanctiones: si vero poenitere voluerint, et praemissam haeresim abiurare, tunc qui in dicto errore fuerint principales et magis peruersi, ad aliorum terrorem ad perpetuos carceres deputentur, et si bene se habuerint, in futurum misericorditer agetur cum eis ex benignitate sedis Apostolicae, quae nulli cum poenitentia redeunti gremium claudit misericordiae et pietatis suae. Insuper innocentes et etiam multum simplices, si qui sint inter habitatores et homines dicti castri, diuisim locentur in terris conuicinis, vt colere possint agros suos de territorio dicti castri: aliorum autem haereticorum praedia tamquam confiscata ad Romanam ecclesiam decernimus pertinere, quorum partem iuxta tuam et ipsorum conuocandorum assistentium tibi magistrorum, doctorum et religiosorum discretionem, prudentiam et arbitrium illis innocentibus applicari volumus propter damnum eis illatum ex demolitione praedicta; quodque omnes, siue qui manifeste fuerint haeretici, siue alii tamquam de haeresi vehementer suspecti, abiurent praedictam haeresim, omnemque haereticorum conuersationem et fautoriam iuxta decreta sanctorum patrum et canonicas sanctiones. Propterea placet nobis, quod aliquibus principibus dicti castri terror tormentorum incutiatur, et, si opus fuerit, torqueantur, vt reuelent, siquos in prouincia praedicta, vel alibi, sciant, sentiant et cognoscant praefatae haeresis labe infectos, vel occulte existant, vt pro illorum reductione ac punitione, ne inficiant alios, possit salubriter prouideri. Et similiter pro libris dictorum *Fraticellorum*, et pro extirpandis eorum reliquiis, siquae remanserint, per totam prouinciam inquiri et inuestigari facias diligenter, deputando vbique praedicatores idoneos, instructos in

sacra

sacra pagina, qui de mentibus oberrantium haereticas opiniones euellant, et sanam doctrinam illos edoceant, et per rectam viam mandatorum Dei et ecclesiae suae incedere moneant, instruant, et informent.

Ceterum attendentes, quia iam diu dicti *Fraticelli* aufugissent de praefata prouincia, nisi haberent occultos receptatores et fautores eorum, qui eos suis secretis praesidiis et fauoribus manutenent, super quibus etiam nostra interest, quantum cum Deo possumus, de opportuno remedio prouidere, similiter volumus et mandamus, vt vniuersis et singulis vicariis nostris in temporalibus deputatis, nec non communitatibus, vniuersitatibus et singularibus quibuscunque personis ciuitatum, terrarum, castrorum, et locorum quorumlibet dictae prouinciae sub priuatione vicariatuum et excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque grauissimis sententiis, censuris, et poenis spiritualibus et temporalibus, a iure vel ab homine promulgatis contra eos, qui contra fecerint, infligendis, auctoritate nostra mandes atque prohibeas, ne dictos haereticos *Fraticellos* per se vel alios, publice vel occulte, in ciuitatibus, terris, castris et locis praedictis sub quouis quaesito colore receptent, aut receptari faciant vel permittant, nec illis ministrent aut praestent quouis modo auxilia, consilia, vel fauores: volentes quod contra transgressores mandatorum nostrorum, et ad publicationem poenarum, in quas illos vel eorum aliquem incidisse cognoueris, eadem auctoritate procedas atque declares, prout illorum temeraria praesumptio exiget et requiret, in eas sententias, censuras et poenas in tuis contentas processibus incidisse. Demum de omnibus, quae gesseris in praemissis, nos prouideas per tuas literas informare, vt ad vlteriora, si necesse fuerit, pro salute animarum fidelium, suadente iustitia, auctore Domino, procedere, prouidere, et consulere valeamus. Datum Romae apud SS. Apostolos, Kal. Iunii, pontificatus nostri anno XI.

XXVIII.

XXVIII.

Eugenii IIII. P. M. epiſtola ad Antonium Oſtienſem, ac Iordanum Sabinenſem, Cardinales epiſcopos ſcripta, qua hos in *Fraticellos* animaduertere iuſſit *).

A. 1430. EVGENIVS cet. Cum, ſicut accepimus, in plerisque mundi partibus quaedam ſecta haereticorum nefanda, quae *Fraticelli de la opinione* vulgariter nuncupatur, operante ſatore zizaniae, proh dolor! eruperit, quae peſtiferum virus euomens, ſimplices animas ſuis tendiculis et palliatis coloribus, ſub praetextu ſimulatae ſanctitatis, illaqueando decipit, illas aeterno ſatagens igni transmittere conſumendas, vobis cet. Datum anno incarnationis Domin. MCCCCXXX. Kal. Maii.

XXVIIII.

Eiusdem Bulla ad Germaniae, Brabantiae et Flandriae Antiſtites ſacros miſſa, qua Gregorii XII. bullam, *Beghardis* et *Beguinabus* veluti patrocinantem, denuo repetit et inculcat. **)

A. 1431. EVGENIVS cet. Venerabilibus Fratribus, Colonienſi, Treuerenſi, Maguntinenſi, ceterisque Archiepiſcopis, et tam eorum ſuffraganeis, quam aliis Epiſcopis vniuerſis per Alemaniam, Brabantiam et Flandriam conſtitutis, ad quos praeſentes litterae peruenerint, Salutem et Apoſtolicam benedictionem. Piis votis fidelium, qui ſub humilitatis ſpiritu piae vitae ſedulum domino famulatum impendunt; illis praeſertim, qui tranquillitatem, pacem et ſtatum proſperum eorundem reſpicere dinoſcuntur, eo libentius fauoris Apoſtolici praeſidium impartiri debemus, quo

*) Repetita ex cod. I. ad A. 1432. n. 24. T. XVIII. p. 107.

**) Deſcripta ex Felicis Hemmerlini opuſculis, de quibus ὁ πάνυ MOSHEMIVS ſatis iam diſputauit.

quo ex eorum quiete Altissimo famulatus gratior exhibetur. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorio papae vndecimo, praedecessori nostro, exposito, quod nonnulli ex vobis, seu praedecessoribus vestris, et alii in vestris ciuitatibus et dioecesibus, dilectos *filios de cellis*, seu *voluntariae paupertatis pauperes* communiter nuncupatos, occasione vestium, quas gestarent, diuersis molestiis et iniuriis afficerent in eorundem pauperum detrimentum: idem praedecessor noster, volens dictorum pauperum indemnitati prouidere; vobis et praedecessoribus ipsis, nominibus propriis non expressis, suis dedit litteris in mandatis, vt certis modis et formis quieti et tranquillitati dictorum pauperum prouidere curaretis, seu curarent, prout in eisdem litteris, quarum tenor est talis, continetur. GREGORIVS episcopus cet. — — (*iam sequitur huius bulla integra, ita, vt eam dedit fragmenti auctor.*) — — Et sicut nuper accepimus, bonae memoriae quondam Eucharius, Episcopus Wormatiensis, ad litterarum praedictarum executionem, vigore ipsarum, Apostolica, et quondam Iohannis de Ceruo, officialis Coloniensis, ordinaria, auctoritatibus rite procedentes, eosdem pauperes Christifideles et catholicos, ac virtutum ac bonorum operum sectatores debita inquisitione praeuia repertos in Coloniensi et Wormatiensi ciuitatibus et diocesibus a quibuslibet Christi-fidelibus tam clericis, quam laicis, pie confouendos per suas patentes litteras diuersas et processus in se continentes publice mandauerunt. Et quamquam praedicti pauperes, viri de per se scilicet, et mulieres seorsum, in suis distinctis domibus absque mutua eorum conuersatione commorantes, in paupertate et continentia, in humilitatis spiritu ecclesias deuote frequentent; et Romanae ecclesiae ac eorum ordinariis, praelatis, plebanis, rectoribus et curatis in omnibus reuerenter obediant; nullisque erroribus seu ritibus, qui salutaribus praeceptis et fidei orthodoxae repugnent, se inuol-

mino sedulo famulantium, tranquillitatem affectamus, attendentes quoque, quod nostra interest, super praemissis opportune prouidere, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt pauperes praedicti, viri et mulieres, seorsum et distinctim sine mutua conuersatione viuere et habitare, ac vestes, prout hactenus consueuerunt, gestare, opera praefata exercere, nec non victum et amictum huiusmodi, vt praefertur, acquirere libere et licite possint et valeant, auctoritate eadem Apostolica, tenore praesentium, indulgemus ipsis vtriusque sexus, ne per quemuis super praemissis molestari queant vel turbari, cum omnibus et singulis eorum domibus, possessionibus, locis, rebus et bonis, quae nunc obtinent, et in futurum, praestante domino, iuste potuerint adipisci, ab inquisitorum et fratrum praedictorum ac aliorum quorumcunque cuiusuis status, vel praeeminentiae, inquisitione, iurisdictione, potestate et superioritate, eadem auctoritate, harum serie perpetue eximentes penitus et liberantes: ita quod ipsi inquisitores fratres et quiuis alii, nullam inquisitionis, visitationis, iurisdictionis, superioritatis potestatem vel officium in eosdem, eorumque domos valeant exercere, nec in ipsos excommunicationis seu alias sententias vel poenas promulgare: decernentes exnunc irritos et inanes omnes et singulos processus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias siue poenas, quos vel quas forsan contra exceptionem et liberationem praedictas quoquomodo contigerit promulgari vel haberi. Nolumus tamen vobis propter hoc sine iurisdictioni vestrae ordinariae in aliquo derogare; sed potius pauperes ipsos in omnibus et per omnia vestrae iurisdictioni, tamquam praelatis et plebanis, curatis et rectoribus eorum subesse, obedire et intendere. Ceterum siqui vtriusque sexus, siue paupertatis et habitus huiusmodi velamine oberrantes extra congregationem dictorum pauperum sine manifesta et legitima causa in ciuitatibus et dioecesibus vestris reperti fuerint, vobis iniungi-

iungimus per praesentes, vt easdem praedictas censuras et alias poenas temporales et spirituales quam merito formidentur, de ciuitatibus, diocesibus et locis et territoriis vobis subditis eiiciendo, protinus expellatis, aut alias eosdem oberrantes compellatis, dictum habitum deponere, vel ipsos stare et commorari in congregatione communi pauperum praesatorum; etiam cum inuocatione, si expedit, auxilii brachii secularis: ac etiam ipsos et quoscunque alios praedictos pauperes, gubernatori, prouisori vel procuratori eorum, quem inter se duxerint eligendum iuxta canonicas sanctiones, et prouinciales, et synodales constitutiones, et vestrorum ordinariorum et obseruantias et honorabiles ritus eorum inter ipsos ab antiquo approbatos in licitis et honestis, vt congruit eorum statui et conditioni, parere et intendere faciatis, prout, secundum Deum, singulis circumstantiis, quae circa praemissa considerandae sunt, attentis noueritis expedire: vt exinde animarum suarum salutem consequantur; et alias vberrimus fructus in Christiano populo crescat, atque opera mĩe *) absque impedimento in exemplum salutare valeant vbilibet exerceri. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et vestrum singuli per vos, vel alium, seu alios, eisdem pauperibus in praemissis omnibus et singulis, auctoritate praefata, efficacis defensionis auxilio assistatis, non permittentes, ipsos contra exceptionem et liberationem, ac litterarum nostrarum tenorem huiusmodi per inquisitores et fratres praedictos, seu quosuis alios vexari, perturbari et illis grauamina, molestias, siue damna irrogari, turbatores et molestatores huiusmodi, nec non quoslibet contradictores et rebelles in praemissis eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstante, si eisdem ordinibus, vel quibus-

*) Haud dubie *misericordiae* significat.

quibusuis aliis, communiter vel diuisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et aliis in contrarium facientibus quibuscunque. Per haec autem statum praedictorum, vt ordinem religionis approbatae, non intendimus approbare, sed eos per vos ordinarios volumus exhortari, vt sub firma et continua Rom. ecclesiae obedientia et deuotione sic persistant, quod merito eam inducat ad concedendum eis vlteriores gratias et fauores. Dat. Romae apud S. Petrum, Anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo primo, IIII. Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo.

XXX.

Nicolai, P. M. litterae ad Ioannem Capistranum missae, quibus hunc ad *Fraticellos*, haereticos, inuestigandos et opprimendos cohortatus est*).

NICOLAVS cet. Cum, sicut ex fidedigna relatione plurimorum nobis displicenter innotuit, A. 1447. in plerisque mundi partibus quaedam secta haereticorum nefanda, quae *Fraticellorum della opinione* nuncupatur, operante satore zizaniae, proh dolor! eruperit, quae pestiferum virus euomens, simplices animas suis tendiculis et palliatis coloribus sub praetextu simulatae sanctitatis illaqueando decipit, illas aeterno satagens igni transmittere consumendas, cet. — — — sperantes, quod tu, quem, sicut tam magistra experientia, quam etiam testimonio fide-dignorum accepimus, constantia fidei, religionis zelo, vitae munditia, et aliis multiplicium virtutum meritis illustratum Altissimus insigniuit, per tuae pru-

*) Repetitae ex Raynaldi Annal. Eccles. ad A. 1447. n. 23. Tom. XVIII. p. 348.

prudentiae et solicitudinis studium, labem huiusmodi extirpare, et orthodoxae fidei palmites transplantare conaberis, cet. Dat. A. MCCCCXXXXVII. V. non. Iulii.

XXXI.

Episcopi, aliusne auctoris, ἀνωνύμως litterae supplices pro *Beghardis Beguinabusque* tuendis, ad Pontificem Max. nescio quem, nec quo anno, scriptam *).

Beatissime pater,

In diuersis ciuitatibus et locis Alamaniae ab antiquo fuerunt, et hodie sunt nonnulli, personae vtriusque sexus, quae propter Deum saeculum relinquentes, et insimul absque sexuum societate habitando, humilem vitam ducunt et honestam, de more in locis eorum deuotas personas adinuenientes ad hospitia recipiunt nocte, ad hoc infirmos custodiunt, ac mortuos ad sepulturas deferunt, ac alia exercent, prout possunt, opera caritatis, et Romanae ecclesiae diocesanisque locorum, ac etiam ecclesiarum parochialium rectoribus et aliis superioribus suis in omnibus obediunt, et Deo et sibi inuicem seruiendo, desiderant sic in humilitatis spiritu Altissimo famulari. Et quamuis dictae personae nullis erroribus se inuoluant, nec ritum aut sectam habeant cuiuscunque religionis nouae, nec alios mores obseruent illicitos seu reprobatos, aut aliud quodcunque agere seu obseruare consueuerint, quod contra sanctam Romanam ecclesiam scripturasque approbatas, seu contra fidem Catholicam existat, tamen saepe, aliquando pro parte Ordinariorum ab Inquisitoribus haereticae prauitatis, in illis partibus auctoritate Apostolica deputatis, aliquando ab aliis personis, de facto contra iustitiam in praemissis et aliis multipliciter inquietantur, et eisdem contra praemissa diuersa grauamina inferuntur. Supplicatur

*) Depromtae e Cod. MS. Helmstad.

catur ergo Sanctitati Vestrae, quatenus Archiepiscopis et Episcopis per Alemanniam constitutis conuenienter dignari et mandare, quatenus singuli eorum, quotiens opus erit, in suis ciuitatibus et diocesibus de huiusmodi personis vtriusque sexus, ibidem pro tempore commorantibus, et de ipsarum vita et conuersatione, etiam an aliquos errores in Clementinis ad verbum contentos, an alios, in fide catholica teneant, aut sectam aut ritum habeant contra prohibitionem decretalem Iohannis XXII. quae incipit, *Sancta Romana* cet. aut alias in aliquibus casibus excedunt, vel excedere consueuerunt, diligenter inquirant, seque plenarie informent, et quos culpabiles repererint, corrigant et puniant iuxta canonicas sanctiones; illos autem, quos innocentes repererint infra suas ciuitates et dioceses, quamdiu sedes Apostolica de ipsis aliter non disposuerit, libere, citra tamen formam et ritum religionis, aut alium modum viuendi reprobatum, conuersari et commorari, ac Deo laudabiliter in praemissis seruire permittant, et illos sub permissione huiusmodi ab aliis molestari non patiantur, et cum ceteris non obstantibus et clausulis opportunis, vt in formula cet. cet.

Fiat vt petitur, p.
Sine aliqua limitatione, p.
Datum Romae apud S. Petrum, Septimo Idus Ianuarii anno quinto.

INDEX
PERSONARVM, DOGMATVM ET RERVM.

Dam-

Eremitica

Gerhardi

Q. R.

Q. R.

Theo-

Waldsea



THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

FEB 2 1916		
MAR 3 1916		
MAR 7 1916		

Form 410

